



Toronto University Library  
Presented by

Trinity College, Dublin  
through the Committee formed in  
The Old Country

to aid in replacing the loss caused by  
The disastrous Fire of February the 11<sup>th</sup> 1890





Digitized by the Internet Archive  
in 2008 with funding from  
Microsoft Corporation

Re  
Theal



THE  
WHOLE WORKS  
OF THE  
MOST REV. JAMES USSHER, D. D.,  
LORD ARCHBISHOP OF ARMAGH,  
AND  
PRIMATE OF ALL IRELAND.

---

VOLUME VI.



6760

BRITANNICARUM ECCLESIARUM

ANTIQUITATES,

QUIBUS INSERTA EST PESTIFERÆ ADVERSUS DEI GRATIAM A PELAGIO  
BRITANNO IN ECCLESIAM INDUCTÆ HÆRESEOS

HISTORIA.

COLLECTORE

JACOBO USSERIO,

ARCHIEPISCOPO ARMACHANO TOTIUS HIBERNIÆ PRIMATE.

DUBLINII.

1639.





# CONTENTS

OF

## THE SIXTH VOLUME.

---

### CAPUT XIV.

PAG.

De Fausti et Semipelagianorum doctrina, Possessoris, Hormisdæ papæ, Johannis Maxentii, Petri diaconi, Africanorum episcoporum in Sardinia exulantium, Fulgentii Ruspensis, Cæsarii Arelatensis, Felicis IV. papæ, Arausicanæ et Valentinæ synodi, atque Bonifacii II. pontificis, judicia. Diploma quod Cantabrigiensi academiæ ab Arthuro concessum fuisse fingitur. De Arthuri, Iltuti et Davidis Menevensis exitu. De Paterno, Theliao, Samsone, et aliis doctoribus Britannorum. De Gilda Badonico; et ab eo, tum de regibus Constantino, Aurelio, Vortiporio, Cuneglase, Maglocuno, tum de clero Britannico, edita querela. De Gurmundo et Ceretico, et regni Britannici ex-  
cidio . . . . . 1

### CAPUT XV.

De Pictorum ex Scythia, et Scotorum ex Hibernia in Britanniam ductis coloniis. De Pictorum coloniis tribus; quas sub Mario, Carausio et Gratiano hic constitutas Britannica refert historia. De Scotis et colonia ex Dalrieda Hiberniæ in Dalriedam Albanæ ab eis missa: deque Reuda et Fergusio colorum ducibus. De conversione Scotorum, quæ sub Victore I. Romano episcopo facta fuisse dicitur. De Ursula, quæ regis Scotiæ filia fuisse fingitur, novæ fabulæ. De his, qui, sæviante persecutione Constantii vel Maximiani, in Albaniam et Monam secessisse dicuntur. De adventu Reguli et sociorum; atque ecclesiæ

Andreapolitanæ fundatione. De Pictorum et Scotorum doctoribus, Niniano, Palladio, Servano, Tervano, Gilda, Kentigerno, Columba, cum duodecim ejus sociis; et aliis ad res Pieticas atque Scoticas spectantibus . . . . .	101
--	-----

## CAPUT XVI.

De Hibernia, Britannicarum insularum altera; quæ Britannia minor, et Scotia major aliquando dicta. Scotorum nomen ante tertium post ortum Servatoris seculum scriptoribus incognitum, deinceps Hibernis et eorum in Dalricda Britannica colonis commune fuit; Scotiæ tamen appellationem sola Hibernia retinente ad seculum usque decimum: post quod, novo ab exteris Irdandiæ introducto vocabulo, vetus Scotiæ nomen in desuetudinem abiit. De mortis Christi recente nuncio ad Ultoniensem regem Conchurem perlato nostratum traditio. Ab apostolis in Britannicis insulis annunciatum esse evangelium ex Eusebio et aliis ostenditur: ubi de Simone Zelota et Petro, Jacobo majore cum matre Salome, patre Zebedæo sive Aristobulo, et fratre Barnaba; qui ad partes hasce dicuntur appulisse. De S. Beato et ejus Achate qui Helvetiis, et S. Mansueto qui Lotharingis fidem primus prædicavisse memoratur: Eugenio item primo Toletanorum episcopo, et Josepho Arimathæensi qui ab animalibus venenatis Hiberniam liberavisse fingitur. De Dicho, Eucho, et Achlena horumque filiis Cataldo Tarentinorum et Donato Lupiensium in Italia episcopo. De Florentino, Honesto, Firmino, Macra, Guthagone et Ghillone. De conversione Hiberniæ quam Constantini Magni temporibus ancillæ cujusdam opera factam fuisse fabulantur. De Hildeberto Scotorum archiepiscopo, et ejus discipulo Sedulio Scoto Hiberniensi. De S. Colmano et Dymma et aliis religionis Christianæ sub annum Domini CCCL. in Hibernia professoribus. De Eliphio et Euchariorum fratribus, eorumque sororibus Menna, Libaria et Susanna. De S. Kebii Cornubiensis adventu in Hiberniam: deque Celestii Scoti adolescentia et Christianis parentibus. Johannis Chrysostomi de fidei Christianæ professione in Britannicis insulis conservata testimonia. De S. Ailbeo cum quinquaginta suis comitibus, S. Kiarano et S. Declano Romam visitantibus; et post reditum, una cum S. Ibaro, religionem Christianam in patria propagantibus. De Guniforto et Gunibaldo, et Rosino Florido Dempsteri. De Palladio, et ejus ad Scotos legatione . . . . . 266

## CAPUT XVII.

Varii actorum B. Patricii scriptores. Ejus patria, parentes, sorores, nepotes, servitutes, studia in Gallia et Italia, episcopatus

CONTENTS.

vii  
PAG.

et legationis Hibernicæ susceptio. Primi ejus in gentilitia superstitione debellanda conatus, et primum Pascha in Hibernia celebratum. Trimmensis, Louthianæ, Clochorensis, Armachanæ, Dubliniensis et Slebhtiensis ecclesiæ fundatio. Almogith regis Connaciæ septem filii et Ængus rex Momoniæ, cum suis, ad fidem conversi. Postremum Patricii iter Romanum: et quid per triginta reliquos vitæ suæ annos ille egerit. De successoribus ejusdem, recessu ejus Avallonico, mortis tempore et sepulturæ loco. Tres sanctorum Hiberniæ ordines; et eorum in liturgia ecclesiastica, regulis monasticis, tonsura, observatione paschali, et mulierum contubernio, consuetudines variæ. Regum Hibernicorum, sub quibus illi claruerunt, tempora; et alia ad eosdem speciatim pertinentia . . . . . 372

---

Ad Britannicarum Antiquitatum Collectanea Index Chronologicus . . . . . 547



# BRITANNICARUM ECCLESiarUM ANTIQUITATES.

---

## CAPUT XIV.

De Fausti et Semipelagianorum doctrina, Possessoris, Hormisdæ papæ, Johannis Maxentii, Petri diaconi, Africanorum episcoporum in Sardinia exulantium, Fulgentii Ruspensis, Cæsarii Arelatensis, Felicis IV. papæ, Arausicanæ et Valentinæ synodi, atque Bonifacii II. pontificis, judicia. Diploma quod Cantabrigiensi academiæ ab Arthuro concessum fuisse fingitur. De Arthuri, Iltuti et Davidis Menevensis exitu. De Paterno, Theliao, Samsonè, et aliis doctoribus Britannorum. De Gilda Badonico; et ab eo, tum de regibus Constantino, Aurelio, Vortiporio, Cuneglaso, Maglocuno, tum de clero Britannico, edita querela. De Guimundo et Ceretico, et regni Britannici excidio.

Quo tempore Pelagiana in Britannia profligata est hæresis, ejusdem reliquiæ, superinductis a Fausto coloribus Christiano orbi pridem commendatæ, novas in Constantinopolitana ecclesia turbas et rixas excitarunt. De quibus ad Romanum pontificem Hormisdam Africanus episcopus Possessor ita retulit: "Arbitror<sup>a</sup> vestram beatitudinem non latere, quantis in Constantinopolitana urbe ecclesia laboret insidiis, et ad morem veteris morbi in saniam vulnus iterum quærat erumpere, quod obductum creditur cicatrice. Unde cum quorundam fratrum animus de co-

<sup>a</sup> Inter epist. 66, et 67. Hormisdæ; tomo 1. epistolar. pontific. edit. Romæ; anno 1591.

dice Fausti cujusdam (natione<sup>b</sup> Galli, reginæ civitatis episcopi; qui de diversis rebus, et frequentius de gratia Dei diserte visus est disputare) in scandalum moveretur; aliis, ut se habent humana studia, in contrarium renitentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quæ a tractatoribus pro captu proprii ingenii disputantur, non ut canonica recipi, aut ad synodalia vicem pro lege servari; sed habere nos certa scilicet quæ veteri lege vel nova conscripta, et generalibus patrum sunt decreta judiciis, ad fundamentum fidei ac religionis integram firmitatem: hæc autem quæ antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui, sine præjudicio fidei solere censi. Sed cum hæc, quantum in eorum frequenti postulatione persensimus, magis eis excusatio videretur; vel, pro eorum prece, vel pro obsequii occasione reddendi apostolatu vestro, per Justinum diaconum meum præsumpsi apices meæ parvitatibus ingerere: quibus principaliter orationum vestrarum munimen exposcens, quæso ut consulentes, quid de præfati auctoris dictis videatur, auctoritate apostolicæ responsionis agnoscant: maxime quod filii quoque vestri magistri militum, Vitalianus et Justinianus<sup>c</sup>, præcipue super hac re rescripto beatitudinis vestræ similiter informari desiderant."

Hisce literis, XV. Calendas Augusti Rustico consule, id est, anno Christi DXX. acceptis, sequentibus ejusdem Augusti Idibus Hormisda sic rescripsit: "Hi<sup>d</sup> quos vos de Fausti cujusdam Galli antistitis dictis consuluisse literis indicastis, id sibi responsum habeant: neque illum, neque quemquam, quos in auctoritate patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosi præjudicium comparare:" hæc epistolæ conclusionem addita: "De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid Romana, hoc est, Catholica sequatur et servet ecclesia; licet in variis libris B. Augustini et maxime ad Hilarium et Prosperum abunde possit agnosci,

<sup>b</sup> Vide supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 504.

<sup>c</sup> Qui imperator postea factus est.

<sup>d</sup> Hormisd. epist. 67. edit. Roman. et tomo 6. bibliothec. patr. edit. Colon. pag. 375.

tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula<sup>e</sup> continentur: quæ si ibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus; quanquam qui diligenter apostoli dicta considerat, quid sequi debeat evidenter cognoscat."

Ad hanc Hormisdæ epistolam respondens Johannes Maxentius, Augustini et Fausti dogmata inter se comparat: id quod consulto a se factum ait, "ut<sup>f</sup> cum in brevi collata ad invicem contraria sibi reperta fuerint, evidenter clareat libros Fausti esse hæreticos; sicque confundantur omnes, qui eos hactenus defendunt Catholicos: quorum principem et auctorem Possessorem Africanum episcopum" fuisse affirmat: in quem ideirco, re confecta, (Faustum enim et Pelagianos egregie refellisse agnoscit et Bellarminus<sup>g</sup>) ita demum insultat. "Eat nunc Possessor, et adhuc in pernicie propria, et eorum qui sibi consentiunt, defendat Fausti libros Catholicos; quos non solum scriptis sanctissimi viri Augustini, verumetiam summorum et præcipuorum Christi apostolorum sententiis contrarios penitus veritas docet: sicut hoc loco manifesta ratione probavimus."

Johannem hunc Maxentium, et socios ejus monachos Scythas, fuisse palam Eutythianos perfidos, pontificii palatii magister Johannes Maria Brasichellanus<sup>h</sup>, asserit a Cæsare Baronio<sup>i</sup> (sive ipse, sive ex quo ista videtur descripsisse, Thomas Malvenda) misere hic seductus; quum ipsa Chalcedoniensis concilii acerrimos contra Eutythianos defensores illos extitisse clarius sit, quam ut ullis novorum hominum præstigiis eludi possit. Alio vero erroris genere, hunc eundem S. Johannem Maxentium, Gallum, monachum et abbatem Pictaviensem, congregationis Gallicanæ Floriacensis fuisse, affirmat in ligno<sup>k</sup> vitæ Arnoldus Wion, et eum in apparatu sacro secutus Antonius Possevinus: Gallicanum Maxentium, qui Pictonum

<sup>e</sup> Celestini, ut videtur. De quibus supra cap. 11. op. tom. 5. pag. 415.

<sup>f</sup> Biblioth. patr. tom. 6. pag. 380.

<sup>g</sup> Bellarmin. catalog. script. ecclesiastic. in Jo. Maxent.

<sup>h</sup> Tom. 1. indic. expurgator. edit. Romæ anno 1607. in censura tomi 4. bibliothecæ patrum.

<sup>i</sup> Baron. ann. 519. et 99, 101.

<sup>k</sup> Wion. lib. 2. cap. 70.

celebri monasterio<sup>1</sup> et oppido S. Maixent nomen dedit, confundens cum Johanne viro erudito, Antiocheno presbytero, quem contra Faustum scripsisse, ex Adonis Vienneſis chronico ostendimus. Ex hac enim ipsa Johannis Maxentii adversus Hormisdam epistola ad verbum desumpta invenimus, quæ de Augustini et Fausti doctrina contraria ex Adone eo loco<sup>m</sup> retulimus: “ S. Augustinus<sup>n</sup> ita humanum arbitrium liberum docet; ut illuminatio, virtus et salus illi a Christo, et per Christum, et cum Christo sit. Faustus vero ita liberum Christianum arbitrium docere conatur; ut illuminatio, virtus et salus, non a Christo, sed natura sit:” quod discrimen deinde plenius Johannes hunc in modum explicat:

“ Ille nos Christianos, fideles atque obedientes Deo salubriter per gratiam Christi, quam nobis per incarnationis suæ donavit præsentiam, esse definit: iste, juxta profana commenta Pelagii, naturaliter esse discernit. Refutans namque callide ejusdem Pelagii sensum, et quasi exprobrans quod omnino Christi negaverit gratiam; necnon et illos, qui nullis præcedentibus meritis, juxta apostolum, gratiam Dei hominibus dari fatentur: ipse quasi sapientissimus et prudentissimus, novus novæ pravitatis apostolus, gratiam Dei secundum meritum fidei et laboris dari, nititur edocere; ut jam sic Dei gratia non sit gratia. Nam quum nemo obediat sive laboret nisi volens, nemo velit nisi scierit quid ei conveniat laborare: iste post scientiam et voluntatem seu obedientiam humano labori adjungit gratiæ adjutorium; ut videlicet gratia et labor humanus (cujus possibilitatem non per eandem gratiam, sed naturaliter inesse omnibus asserit) pariter sociati, reliqua perficiant opera. Et hoc quidem se pollicetur defendere: postea autem immemor sui promissi, totam plenius<sup>o</sup> gratiam evacuare convincitur.”

Cujus vero ecclesiæ Johannes presbyter fuerit, etiamsi

<sup>1</sup> Vid. Gregor. Turonens. hist. Franc. lib. 2. cap. 37.

<sup>m</sup> Supra cap. 13. op. tom. 5. pag. 497.

<sup>n</sup> Jo. Maxent. respons. ad ep. Hormisd. biblioth. patr. tom. 6. pag. 380. edit. Colon.

<sup>o</sup> *penitus*.



non expressisset Ado, ex ipsius confessione satis potuisset intelligi; ubi libellum citans quem de fide sua ad Theodosium scripserat Flavianus, HUIUS<sup>p</sup> urbis episcopum illum nominat. Unde apparet, ex urbe Antiochena a Maxentio et sociis illam fidei suæ confessionem ad legatos fuisse missam, quos Constantinopolim anno DXIX. Hormisda Romanus pontifex destinaverat. In cuius confessionis parte posteriore, cur de gratia Dei agendum sibi putarent, hæc ab eis ratio est reddita: “ Quid<sup>q</sup> jam de gratia Dei (non qua creamur, sed de ea qua recreamur et renovamur) sentiamus, breviter exponentes; sanctitati vestræ necessario credimus facere debere manifestum. Eo quod etiam in hac parte inimici gratiæ Dei, id est, Pelagii et Celestii sectatores nimium nobis infesti esse videntur.” Deinde de statu innocentiae et lapsus atque gratiæ necessitate sententia sua<sup>a</sup> explicata, quid de libero arbitrio credi oporteat sie exponunt.

“ Liberum naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantum et desideranda carnalia sive secularia; quæ non apud Deum, sed apud homines possunt fortassis videri gloriosa: ad ea vero quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem et inoperationem intrinsicus Spiritus sancti, qui est etiam spiritus Christi. *Spiritum<sup>r</sup> enim Christi qui non habet, hic non est ejus.* Quod si quis credit in Christo, jam Christi est. Sicut et verum est, non utique per donum naturæ, sed per Spiritum sanctum est, qui Christi est. Qui jam credit in eum, qui justificat impium, ut confiteatur, quia Dominus est Jesus: quod *nemo<sup>s</sup> potest dicere, nisi in Spiritu sancto.* Quapropter anathematizamus eos, qui naturale aut substantiam aliquam dicunt esse peccatum. Abominantes etiam eos, qui contra vocem apostoli audent dicere, nostrum est velle, Dei vero perficere; cum idem doctor et velle et perficere donum testetur esse divinum, ipso dicente: *Deus<sup>t</sup>*

<sup>p</sup> Maxent. Confess. fidei; biblioth. patr. tom. 6. pag. 371.

<sup>q</sup> Ibid. pag. 373.

<sup>r</sup> Rom. cap. 8. ver. 9.

<sup>s</sup> 1 Cor. cap. 12. ver. 3.

<sup>t</sup> Philipp. cap. 2. ver. 13.

*enim est qui operatur in vobis, et velle et perficere pro bona voluntate.* Credentes etiam omnes ab Abel usque ad Christum, si qui salvati sunt, ea gratia qua et nos esse salvatos." Similiterque anathematismos<sup>u</sup> suos ita concludunt: "Anathematizamus omnem sensum Pelagii et Celestii, et omnium qui illis similia sapiunt; suscipientes omnia quæ in diversis locis contra ipsos acta sunt et scripta a præsulibus apostolicæ sedis, id est, Innocentio, Bonifacio, Zosimo, Celestino, Leone, Attico etiam Constantinopolitano, Augustino et Africanæ provinciæ episcopis."

Agebant eo tempore in Sardinia sexaginta Byzacenæ provinciæ episcopi, a Thrasamundo Vandalorum rege Ariano ex Africa in exilium eo deportati: inter quos et Fulgentius erat, Ruspensis episcopus; de quo, in vita illius, author *ὄγχορονος*: "Huic<sup>v</sup> quæcunque transmarinis literis de fide vel de diversis quæstionibus interrogabantur episcopi, respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginensis ecclesiæ antistes inter sua privilegia meruit, ut literas ex Africano concilio dandas solus ipse scriberet; sic iste meruerat ut literas ex illo concilio dirigendas solus ipse dictaret. Sexaginta quippe et eo amplius episcopos tunc catena ligabat exilii, quorum lingua et ingenium beatus Fulgentius episcopus fuit. Propterea quæcunque rescribebant consulentibus, episcoporum nomina cunctorum<sup>x</sup> dicebantur in titulo: sed solius B. Fulgentii sermo tenebatur in stylo. Præter istas quoque publici tractatus epistolæ, si quis forte ex ipsis absentem plebem suam corrigere voluisset, ad B. Fulgentium accedebat, et per ministerium linguæ ejus officium suæ dispensationis implebat. O mirabilem virum, non sibi soli sed omnibus natum! Sola eum Ruspensis ecclesia doctorem meruerat: et pars maxima concilii Byzaceni de ipsius sermone vivebat."

Hoc clarissimorum confessorum venerandum concilium,

<sup>u</sup> Maxent. confess. fidei; biblioth. patr. tom. 6. pag. 374.

<sup>v</sup> Vit. Fulgent. cap. 20.

<sup>x</sup> Licet in duobus, quæ sola supersunt, eorum scriptis vix quarta pars nominum sit relicta; reliquis brevitatæ causa prætermisiss.

inter alios, Scythici etiam illi monachi, a quorum partibus stetit Maxentius, et cæteri fratres qui in fidei causa ex oriente Romam cum eis sunt missi, de præsentibus controversiis consulendos putaverunt. Monachi vero illi a Justiniano in epistola ad Hormisdam, Achilles, Johannes, Leontius et Mauritius (pro quo, sine justa aliqua ratione, a Baronio<sup>7</sup> substitutus est Maxentius) nominantur: quibus et Petrus diaconus et Johannes Lector sese adjunxerunt. Extant de incarnatione et gratia Domini nostri Jesu Christi partis utriusque scripta: Petro diacono, cum sociis, suum ita concludente: “Quorum omnium sanctorum patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium et Celestium, simulque etiam Julianum Eclanensem, et qui illis similia sapiunt: præcipue libros Fausti Galliarum episcopi, qui de monasterio Lirinensi profectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solum contra horum omnium sanctorum patrum, verumetiam contra ipsius apostoli contradictionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adjutorium; atque totam omnino Christi evacuans gratiam, antiquos sanctos non ea gratia, qua et nos, secundum quod docet beatissimus Petrus apostolus<sup>2</sup>, sed naturæ possibilitate salvatos impie profitetur.”

Fulgentius vero et cæteri Africani præsules librum suum hoc claudunt epilogo: “Deus qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua et donum illuminationis ad credendum, et donum perseverantiæ ad proficiendum atque permanendum, et donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit: quique non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna atque incommutabili habet voluntate dispositum. Cujus prædestinationis veritatem qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur apostolus<sup>2</sup>, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris professione proferre (si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam qua Deo vivo et vero rebellis obsistit non abjecerit) manifestum est

<sup>7</sup> Baron. ann. 419. sec. 96.

<sup>2</sup> Act. cap. 15. ver. 11.

<sup>2</sup> Ephes. cap. 1. ver. 4.

eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit et prædestinavit ad regnum. Pro quibus tamen nec oratio fidelium debet desistere, nec charitas aliquando torpere, ut Deus eis gratiam suæ illuminationis donet; per quam in eis semen divini sermonis fructificet, qui frustra exterius auribus sonat, nisi Deus spirituali munere auditum hominis interioris aperiat.”

Præter communem hunc ad omnes, peculiaris Fulgentii ad Petrum diaconum liber transmissus extat: in quo, non de hisce tantum quæstionibus, sed de universa fidei regula, Catholicam ecclesiæ doctrinam brevi quasi tabella delineandam ille sibi proposuit. Unde ad præsens spectantia negotium capitula hæc excerpsimus.

“ Firmissime<sup>b</sup> tene, et nullatenus dubites; neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, et gratuita sua miseratione converterit, apostolus enim dicit: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis.*”

“ Firmissime tene, et nullatenus dubites; posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sanctæ legis et evangelii, sive legere, sive ex ore cujusquam prædicatoris audire: sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua prævenerit; ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, et accepta divinitus bona voluntate atque virtute, mandata Dei facere et velit et possit. *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: qui etiam operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.*”

“ Firmissime tene, et nullatenus dubites; Deo incommutabili non solum præterita et præsentia, sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima; cui dicitur: *Deus<sup>c</sup>, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant.*”

<sup>b</sup> Fulgent. de fide ad Petr. cap. 31. et eap. 4. sequent.

<sup>c</sup> 2 Tim. cap. 2. ver. 25, 26.

<sup>d</sup> 1 Cor. cap. 3. ver. 6. Philipp. cap. 2. ver. 13.

<sup>e</sup> Dan. cap. 13. ver. 42. Susannæ.

“ Firmissime tene, et nullatenus dubites; Trinitatem Deum incommutabilem rerum omnium atque operum tam suorum quam humanorum certissimum cognitorem, ante omnia secula scire quibus esset per fidem gratiam largiturus: sine qua nemo potest ex initio mundi usque in finem a reatu peccati tam originalis quam actualis absolvi. *Quos<sup>f</sup> enim Deus præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.*”

“ Firmissime tene, et nullatenus dubites; omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo: neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum cælorum; nec quenquam eorum quos non prædestinavit ad vitam ulla posse ratione salvari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, qua nos apostolus ait *prædestinatos<sup>g</sup> in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum in ipsum.*”

Eosdem Africanos episcopos in Sardinia exulantes de gratiæ et liberi arbitrii quæstione consuluerunt etiam Johannes quidam presbyter et archimandrita atque Venerius diaconus: quorum prior Johannes Maxentius forte fuerit; quem ut Antiochenum presbyterum fuisse ex Adone, ita pro archimandrita se gessisse ex illis Dioscori diaconi verbis possumus colligere: “ Maxentius<sup>h</sup>, qui sub abbatis vocabulo dixit se congregationem habere; si interrogetur, aut cum quibus monachis vixit, aut in quo monasterio, aut sub quo abbate monachus factus est, dicere non potest:” qua ratione, inter Pauli exitum et Euphrasii ingressum vacante sede Antiochena, istas ab eis scriptas fuisse literas liceret conjicere. Ad eas vero respondit tum seorsum Fulgentius, de veritate prædestinationis et gratiæ tribus libris editis; tum communiter Byzaceni præsules alii, synodica ejusdem argumenti conscripta epistola. Fulgentianæ de gratia doctrinæ summa est: eam “ non<sup>i</sup> omnibus hominibus universaliter dari, et quibus datur non

<sup>f</sup> Rom. cap. 8. ver. 29.

<sup>g</sup> Ephes. cap. 1. ver. 5.

<sup>h</sup> Dioscor. suggest. post Hormisdæ epist. 64. pag. 528, 529. edit. Roman.

<sup>i</sup> Fulgent. de verit. prædest. et grat. lib. 2. pag. 75. edit. Paris. ann. 1612.

æqualiter dari. Illius est enim, (inquit) vel quibus eam, vel quantam dare, qui non eam humanis voluntatibus aut operibus debitam retribuit, sed gratuitam illuminandis cordibus misericors ac benignus infundit. Et ideo cui voluerit, et quantum voluerit, profecto largitur; quia neque ullo bonæ voluntatis exortu, neque effectu cujusquam boni operis priusquam gratiam tribuat invitatur."

De veritate prædestinationis sententiam suam doctissimus pater ita aperit. "Omnes<sup>k</sup> prædestinati sic vocantur ut justificentur, sic justificentur, ut glorificentur. Ac per hoc prædestinavit quos voluit, et ad opera bona, et ad præmia sempiterna: prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam: prædestinavit ad fidem, prædestinavit ad speciem; prædestinavit adoptandos in seculo, prædestinavit glorificandos in regno: prædestinavit per gratiam faciendos primogeniti fratres, prædestinavit per gratiam perficiendos ejusdem unigeniti cohæredes. Hæc omnia sicut in se continet prædestinationis æternitas, sic implet prædestinantis Dei misericordia, et justa majestas." "Prædestinatio<sup>l</sup> utique filiorum Dei ad hoc utiliter non solum cognoscitur, verum etiam prædicatur; ut in omnibus bonis humanæ voluntatis et operis, dum divina prædestinatio in æterna gratiæ præparatione cognoscitur, ejusdem prædestinationis effectus in ipsa gratiæ donatione nihilominus agnoscat: ac per hoc in ista filiorum Dei adoptione, quam Deus et prædestinando præparavit ex æternitate, et vocando ac justificando largitur in tempore, gratia Dei glorificetur, et ipsa laudetur."

"Cujus<sup>m</sup> prædestinationis ita manet æterna firmitas et firma æternitas, non solum in dispositione operum, verum etiam in numero personarum: ut nec de illius numeri plenitudine quispiam salutis æternæ gratiam perdat, nec extra illius numeri quantitatem ad donum salutis æternæ perveniat. Deo enim, qui scit omnia antequam fiant, sic non est incertus prædestinatorum numerus, sicut disposi-

<sup>k</sup> Fulgent. de verit. prædest. et grat. lib. 3. pag. 131, 132.

<sup>l</sup> Ibid. pag. 133, 134.

<sup>m</sup> Ibid. pag. 135.

torum operum dubius apud eum non invenitur effectus.”  
 “Ita<sup>n</sup> nemo potest ejus mutare prædestinationem, sicut nullus potest ejus vincere voluntatem. Quod si numerus ille certus non est apud Deum, aut divina scientia fallitur, aut voluntas divina mutatur, aut divina virtus adversitate qualibet superatur. Quod si aliquid horum soli possunt impii dicere, aut forte nec impius aliquis audet horum dicere aliquid; nemo divinam prædestinationem neget: quandoquidem illius Dei prædestinatio vera prorsus asseritur, cujus scientia irreprehensibilis, et voluntas incommutabilis, et virtus insuperabilis invenitur.”

Ex Byzacenorum patrum epistola synodica hæc tantum excerpta damus: “Accepimus<sup>o</sup> vestræ caritatis epistolam, quæ nostrum ex parte relevavit, ex parte vero mœstificavit exilium. Gaudemus enim, quia rectam tenetis de gratia Dei sententiam, cujus lumine illuminatur, et juvamine gubernatur, liberum humanæ mentis arbitrium. Sed quædam sumus nebula mœroris affecti, quia significastis quosdam fratres in quæstione de gratia Dei, et humano arbitrio non rectum tenere fidei Catholicæ tramitem: sed adversus Dei gratiam elevare velle humani arbitrii libertatem. Ubi primum, dilectissimi, debetis agnoscere, immo vos non ambigimus agnovisse, ad hoc divinitus ista permitti, ut hinc divinæ gratiæ virtus documento possit indicii manifestioris intelligi. Quandoquidem ipsa gratia nullatenus agnoscitur nisi detur: quæ quamdiu non est in homine, tamdiu necesse est ut ei aut sermone repugnet, aut opere.”

“Quod<sup>p</sup> autem vos dicitis, sola Dei misericordia salvari hominem; illi autem dicunt, nisi quis propria voluntate cucurrerit et elaboraverit, salvus esse non poterit: digne utrumque tenetur, si rectus ordo servetur divinæ misericordiæ et voluntatis humanæ, ut illa præveniat, hæc sequatur: sola Dei misericordia initium salutis conferat; cui deinde voluntas hominis cooperatrix suæ salutis existat: ut misericordia Dei præveniens voluntatis humanæ dirigat

<sup>n</sup> Fulgent. de verit. prædest. et grat. lib. 3. pag. 136.

<sup>o</sup> Epist. synod. ejusd. edit. pag. 2.      <sup>p</sup> Ibid. pag. 9.

cursum; et humana voluntas obediens, eadem misericordia subsequente, secundum intentionem currat ad bravium: per hoc humana voluntas in eo quod currit utiliter et laborat, ex Dei misericordia sibi esse donum cursus ac laboris agnoscat: nec sit ingrata misericordiæ, per quam salutis accipit initium, ut per ipsum perveniat ad plenum sempiternæ salutis effectum: quia tunc erit bona, si Dei præveniatur dono; et tunc permanebit bona, si ejus non destituatur auxilio.”

“Contra<sup>q</sup> prædestinationem vero sanctorum magnæ per-  
vicaciæ est aliquem vel parare, vel habere conflictum; cum apostolicæ prædicationi nullus audeat refragari, qua non solum dicitur de Domino: *Quos<sup>r</sup> autem præseivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii ejus*; et alio loco, *Prædestinavit<sup>s</sup> nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum*: verum etiam ipsum caput nostrum, ipsum *primogenitum in multis fratribus*, beatus Paulus prædestinatum confidenter prædicat dicens: *Qui<sup>t</sup> factus est ei ex semine David secundum carnem: qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis*: quisquis ergo prædestinatum Christum et sanctos ejus negat, apostolicam fidem perversus oppugnat. Omnes autem prædestinati ipsi sunt, quos *vult<sup>u</sup> salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate et conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur; quia potestas ejus nullatenus vincitur. Ipse est enim qui *omnia<sup>m</sup> quæcunque voluit, fecit in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis*; et cujus voluntati nemo resistit. Verum namque est quod de se testatus est Filius, quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat; sed ipsam voluntatem bona<sup>x</sup> faciendo vivificat.”

“Præ<sup>y</sup> omnibus studium gerite libros sancti Augustini,

<sup>q</sup> Epist. synod. Fulgent. edit. pag. 13.

<sup>r</sup> Rom. cap. 8. ver. 29.

<sup>s</sup> Ephes. cap. 1. ver. 5.

<sup>t</sup> Rom. cap. 1. ver. 3, 4.

<sup>u</sup> 1 Tim. cap. 2. ver. 4.

<sup>v</sup> Psalm. 135. (al. 134.) ver. 6.

<sup>x</sup> bonam.

<sup>y</sup> Epist. synod. Fulgent. edit. pag. 15.



quos ad Prosperum et Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormisda sedis apostolicæ gloriosus antistes in epistola, quam consulenti se sancto fratri consacerdotique nostro Possessori rescripsit, cum<sup>z</sup> magno præconio Catholicæ laudis inseruit. Hæc, dilectissimi fratres, interrogantibus vobis, breviter communi volumus respondere rescripto. Cæterum unus ex nobis, in quantum Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos fratres adversus gratiam et prædestinationem intimastis vel sentire vel dicere, tribus libris vestro nomine dedicatis, sufficienti disputatione respondit: quique adversus duos libros Fausti Galli septem libros edidit; quos cum recensueritis, agnoscetis protinus, quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta convicit, auctoritas divina compressit, et præcedentium patrum consona prorsus attestatio confutavit.”

Qua occasione, et quo tempore, editi sint adversus Faustum libri illi septem (qui hodie non extant; suppressi fortassis opera Pelagianizantium, ut Bartholomæus Petrus Lintrensis<sup>a</sup> conjicit) his verbis nos docet scriptor vitæ Fulgentii: “Ita<sup>b</sup> erat notior omnibus gentibus, ut duo libri, quos Faustus episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, favens occulte Pelagianis, sed Catholicus tamen volens videri, Constantinopoli offensi, a plurimis fratribus ad beatum Fulgentium probandum dirigerentur. Quibus ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit; plus laborans exponere, quam convincere: quia dubios sermones ejus exponere, hoc erat delirantis argumenta convincere. Magnus plane hujus operis labor mercedem debitam cito suscepit. Mox enim ut est dictatio ipsius finita, protinus est longissimæ captivitatis catena disrupta. Mors enim Thrasamundi regis,

<sup>z</sup> Supra, pag. 2.

<sup>a</sup> Barthol. Petr. in apostol. sedis definitionib. de gratia, pag. 38. edit. Duac. ann. 1628.

<sup>b</sup> Vit. Fulgent. cap. 28, 29.

et mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, ecclesie Catholicae per Africam constitutae libertatem restituens, Carthaginiensi plebi proprium donavit antistitem; cunctisque in locis ordinationes pontificum fieri, clementissima auctoritate mandavit. Beatus itaque Fulgentius, postquam sapienter expugnasset Pelagianos, laetificatos meruit videre Catholicos." Thrasamundi vero mortem et episcoporum restitutionem in Maximi consulatu, hoc est, anno Christi DXXIII. contigisse docet Victor Tonnonensis in chronico: licet alii ad annum referant praecedentem.

Etsi igitur in exilio acceptam a se fuisse Johannis et Venerii epistolam patres Byzaceni clare indicent: tamen post reditum ex exilio ad eam illos rescripsisse, colligi fortasse possit ex mentione quam faciunt non solum septem illorum librorum contra Faustum, sed etiam de gratia et praedestinatione trium a Fulgentio editorum, et mortis praeterea Romani antistitis Hormisdæ; quem quum ista scriberent vita fuisse functum satis innuunt, dum beatæ memoriae titulum illi attribuunt. Atqui Hormisda adhuc superstite episcopos in Africam revocatos esse confirmat, in illius vita, libri pontificalis auctor: vitæque Fulgentianæ scriptor, uti mox post finitos septem adversus Faustum libros "protinus longissimæ captivitatis catenam disruptam" esse, ita "jam<sup>c</sup> reversum de exilio Fulgentium de veritate praedestinationis et gratiæ libellos tres confecisse," disertis verbis asserit: "Extant<sup>d</sup> et duo ejus libri," inquit Isidorus, "de veritate praedestinationis ad episcopos missi: in quibus demonstrat quod gratia Dei in bonis voluntatem humanam praevenerit, et quod Deus quosdam praedestinationis suæ munere justificans praereligit, quosdam vero in suis reprobis moribus occulto quodam judicio derelinquit:" quod de veritate praedestinationis opus duobus libris ad episcopos scriptum, diversum plane videtur ab illis quos habemus tribus de veritate praedestinationis et gratiæ ad presbyterum missis et diaconum: quos Baronius<sup>e</sup> quum non vidisset, tres libros ad Monimum de duplici

<sup>c</sup> Vit. Fulgent. cap. 29.

<sup>d</sup> Isidor. de scriptorib. ecclesiastic. cap. 14. al. 27.

<sup>e</sup> Baron. ann. 523. sec. 36.

prædestinatione scriptos a vitæ Fulgentii autore designatos fuisse perperam credit.

De prædestinatione autem non in totis tribus illis ad Monimum libris agitur, sed in primo tantum: cujus summam compendiarum, in secundi initio, sic propositam invenimus: "Prædestinationem Dei nihil aliud esse, nisi præparationem operum ejus, quæ in æterna sua dispositione aut misericorditer se facturum præscivit aut juste: et quia in peccatis nec misericordia invenitur nec justitia, ideo omnem iniquorum malam voluntatem qua peccant, præscitam, non tamen esse a Deo prædestinatam; cum ipsam voluntatem malam non aliter essent habituri, nisi in eo, quo fuissent a Domino recessuri. Nec Deum prædestinasse discessionem hominis a se, cum causa ipsius discessionis sola voluntaria esset aversio peccatoris: quæ quia Deum futura non latuit, in æterna præscientia ejus præparatam sibi pœnam justæ retributionis invenit."

"Prædestinationis enim nomine, ut in primo<sup>f</sup> illo libro Fulgentius sese explicat, non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors et justa futuri operis divini sempiterna dispositio prædicatur. Deo<sup>g</sup> autem misericordiam et judicium cantat ecclesia: cujus hoc opus est in homine, ut occulto voluntatis suæ, non tamen injusto consilio, aut gratuitam misericordiam præroget misero, aut debitam justitiam rependat injusto. Imo aut misericorditer debitori donet, quod si vellet, juste posset exigere: aut juste cum usuris, quod suum est exigat, et iniquo debitori, quod debetur iniquitatibus reddat. Ac sic, aut istum prorsus indignum misericordia præveniat, aut illum ira dignum inveniat. Ipse enim donat gratis indigno gratiam, qua justificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, et facultate bonæ operationis, ut præveniente misericordia bonum velle incipiat, et subsequente misericordia bonum quod vult facere valeat. Utrumque autem prædestinando Deus præparavit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renovandi disposuit, ut ejus voluntas in opere novo nova esse non possit."

<sup>f</sup> Fulgent, ad Monim. lib. 1. cap. 7.    <sup>g</sup> Psalm. 101. (al. 100.) ver. 1.

Fulgentium in Pelagianis reliquiis proterendis excepit Cæsarius Arelatensis archiepiscopus: qui, si quid damni vel a Lirinensibus suis<sup>h</sup>, vel ab Hilario et Leontio, qui Arelatensi cathedræ ante ipsum præfuerunt, orthodoxorum causa passa est, abunde resarcivit. Is “de<sup>l</sup> gratia et libero arbitrio edidit testimonia, divinarum Scripturarum et sanctorum patrum judiciis munita: ubi docet, nihil hominem de proprio aliquid agere boni posse, nisi eum divina gratia prævenerit. Quod opus etiam papa Felix per suam epistolam roboravit, et in latius promulgavit:” ut apud Gennadiani catalogi continuatorem<sup>k</sup> legimus. De ejus obitu ista referunt, qui morienti adfuerunt, Messianus presbyter et Stephanus diaconus. “Cum<sup>l</sup> semianimem ipsum redderet conspectibus nostris infirmitas, et inter hæc septuagesimum tertium gereret totius vitæ tramitis annum, e quibus quadragesimum in pontificatu verteret circulus gyrum; et animadverteret per spiritum imminere sibi transitus diem: inter non modicos quos patiebatur dolores sciscitatus est, quam proximo esset beatissimi Augustini depositionis dies, et cum imminere commemorationem ejus didicisset, Confido, ait, in Domino, quod meum transitum non longe divisurus est ab ipsius patris Augustini natali; quia, ut ipsi scitis, quantum dilexi ejus Catholicissimum sensum, tantum me etsi discrepantem meritis minime tamen reor distantia longiore depositionis meæ diem ab ejus obitu tempore sequestrari:” mortuus est autem: “tertiana<sup>m</sup> die post S. Genesis festum, id est, sexto Calendarum Septembrium, ante diem depositionis S. Augustini:” anno DXLIII. quo ad successorem ipsius Auxanium noviter ordinatum Vigiliæ extat epistola, data<sup>n</sup> decimo quinto Calendas Novembres, iterum<sup>o</sup> P. C. Basili V. C. Ex quibus colligere promptum est, sub initium anni CCCCLXXI.

<sup>h</sup> Vid. supra cap. 11. op. tom. 5. pag. 395.

<sup>i</sup> Gennad. catalog. scriptor. ecclesiastic. a Suffrido Petro, edit. cap. 86.

<sup>k</sup> Vid. supra cap. 13. op. tom. 5. pag. 527.

<sup>l</sup> Vit. Cæsarii, lib. 2. in chronologia Lerinensi Vinc. Barralis, pag. 258.

<sup>m</sup> Ibid. pag. 259.

<sup>n</sup> Tom. 1. concilior. Galliæ, pag. 270.

<sup>o</sup> III. habet Baronius, ann. 544. sec. 12.

natum, sub exitum DIII. factum illum fuisse pontificem: et quod inde est consequens, non a Felice III. quo obente Cæsarius unum et vigesimum ætatis vix egressus est annum, sed a Felice illius nominis quarto, hoc opus fuisse corroboratum.

Cui et hoc debet Ecclesia, quod præclara illa de gratia et libero arbitrio capitula promulganda curaverit; quæ a Cæsario et collegis in concilio Arausicano secundo, Decio juniore consule, id est, anno DXXIX. æræ nostræ, quinto Nonas Julias sunt recitata et manuum subscriptionibus confirmata: de quibus ita Cæsar Baronius, "Recitant<sup>p</sup> capita in Gallias de ipso Romano pontifice missa: profitentes ea cuncta haud recentem esse Ecclesiæ doctrinam, sed antiquorum patrum definitionem, eandemque apostolicæ sedis autoritate firmatam: quæ apostolica sedes (ut suis locis superius est declaratum) S. Augustini se professæ est de gratia et libero arbitrio probare sententiam. Nihil ergo præterea novitas sibi vendicet et præsumptio humana præsumat. Quot igitur Arausicani canones, tot sunt Catholicæ ecclesiæ stabilitæ sententiæ; a quibus absque prævaricationis piaculo haud liceat fidei recedere:" et Jacobus Sirmondus: "Faustum<sup>q</sup>, et si qui tum in Gallia, quod dissimulari non potest, cum eo senserunt, aliquo modo excusare ratio illa videtur, quod ante synodum Arausicanam vixerint; cujus placitis Ecclesia deinceps, tanquam norma doctrinæ, adversus Semipelagianorum errores usa est."

Nec enim prius, inquit Theophilus Raynaudus<sup>r</sup>, "fumans adhuc hæc Pelagii favilla plane extincta est, quam sedes apostolica transmissis ad tractus illius episcopos capitulis, quæ Arausicæ in Liberianæ basilicæ dedicatione publice proposita et a patribus congregatis firmata ac denunciata sunt, omnem incendiî illius velut scintillam, dolo cineri tuendæ humanæ libertatis ac divinæ justitiæ suppositam, feliciter compressit anno Christi (juxta novis-

<sup>p</sup> Baron. addit. ad tom. 7. ann. 529. in 10. tomi appendice.

<sup>q</sup> Sirmond. in notis ad Apollinar. Sidon. lib. 9. epist. 9. Vid. eund. in tom. 1. concillior. Galliæ, pag. 148. et 605.

<sup>r</sup> Raynaud. defens. Valerian. cap. 4. sec. 19.

simam cardinalis Baronii subductionem) DXXIX. sedente Felice IV." Ex qua temporis notatione illud præterea observandum monet Bartholomæus Petrus Lintrensis<sup>s</sup>; "factionem totam Massiliensium, et similium, hic a sede apostolica rite fuisse condemnatam: quoniam hoc tempore jam omnia sua mysteria illi factiosi, alii atque alii, protulerant; ut conqueri non potuerint scse per hos canones illegitime damnari, quod non sufficienter fuissent auditi et intellecti. Fuerant enim jampridem intellecti, melius fortasse quam voluissent, ejusmodi homines; qui suos errores principio verbis ambiguis solebant efferre inter Catholicos, ut ad effugium semper diverticulum aliquod haberent paratum."

His ita præmissis, Arausicani hujus concilii acta integra visum est hic subjicere: ut ad hanc doctrinæ veteris normam subinde respicientes, a novatorum tendiculis et nobis cavere et nos facilius expedire valcamus.

CONCILII ARAUSICANI, DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO,  
PRÆFATIO.

"Cum ad dedicationem basilicæ quam illustrissimus præfectus et patricius filius noster Liberius in Arausica civitate fidelissima devotione construxit, Deo propitiante, et ipso invitante convenissemus, et de rebus quæ ad ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos spiritalis fuisset oborta collatio; pervenit ad nos esse aliquos, qui de gratia et libero arbitrio per simplicitatem minus caute, et non secundum fidei Catholicæ regulam, sentire velint. Unde id nobis, secundum admonitionem et auctoritatem sedis apostolicæ, justum ac rationabile visum est, ut pauca capitula ab apostolica nobis sede transmissa, quæ ab antiquis patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipue causa collecta sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, et manibus nostris subscribere deberemus: quibus lectis, qui huc usque non sicut oportebat de gratia et li-

\* Barthol. Petr. in Romanæ sedis definition. de gratia, pag. 83, 84.

bero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.”

## CAPITULA A ROMANA SEDE TRANSMISSA.

I. “ Si<sup>t</sup> quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus et animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturæ dicenti: *Anima<sup>u</sup> quæ peccaverit ipsa morietur*; et, *Nescitis<sup>w</sup> quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis ?* et, *A<sup>s</sup> quo quis superatur, ejus et servus addicitur.*”

II. “ Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non et ejus propagini, asserit nocuisse; aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens apostolo dicenti: *Per<sup>v</sup> unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*”

III. “ Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis; contradicit Esaia<sup>z</sup> prophætæ, vel apostolo<sup>a</sup> idem dicenti: *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.*”

IV. “ Si quis ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem et operationem in nos fieri confitetur; resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti: *Præparatur<sup>b</sup> voluntas a*

<sup>t</sup> I. REJECTIO falsorum dogmatum.

<sup>u</sup> Ezech. cap. 18. ver. 20.

<sup>x</sup> 2 Pet. cap. 2. ver. 19.

<sup>z</sup> Esai. cap. 65. ver. 1.

<sup>b</sup> Prov. cap. 8. ver. 35. juxta LXX.

<sup>w</sup> Rom. cap. 6. ver. 16.

<sup>v</sup> Rom. cap. 5. ver. 12.

<sup>a</sup> Rom. cap. 10. ver. 20.

*Domino:*" et apostolo salubriter prædicanti: "*Deus<sup>c</sup> est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.*"

V. " Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, et ad generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit: apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente: *Confidimus<sup>d</sup>, quia qui cepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri JESU Christi:* et illud: *Vobis<sup>e</sup> datum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini:* et, *Gratia<sup>f</sup> salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est.* Qui enim fidem qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt."

VI. " Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; et aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes et humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit apostolo dicenti: *Quid<sup>g</sup> habes quod non accepisti?* et, *Gratia<sup>h</sup> Dei sum id quod sum.*"

VII. " Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in con-

<sup>c</sup> Philipp. cap. 2. ver. 13.

<sup>e</sup> Philipp. cap. 1. ver. 29.

<sup>g</sup> 1 Cor. cap. 4. ver. 7.

<sup>d</sup> Ibid. cap. 1. ver. 6.

<sup>f</sup> Ephes. cap. 2. ver. 8.

<sup>h</sup> Ibid. cap. 15. ver. 10.



sentiendo et credendo veritati; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: *Sine<sup>l</sup> me nihil potestis facere:* et illud apostoli: *Non<sup>k</sup> quod idonei simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.*"

VIII. " Si quis alios misericordia, alios vero per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam baptismi posse venire contendit; a recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum; aut certe ita læsum putat, ut tamen quidam valeant, sine revelatione Dei, mysterium salutis æternæ per semetipsos posse conquirere. Quod quam sit contrarium, ipse Dominus probat; qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur<sup>l</sup>, nisi quem pater attraxerit: sicut et Petro dicit: *Beatus<sup>m</sup> es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cælis est:* et apostolus: *Nemo<sup>n</sup> potest dicere Dominum JESUM nisi in Spiritu sancto.*"

IX. " Divin<sup>o</sup> est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur."

X. " Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare."

XI. " Nemo quicquam Domino recte voverit, nisi ab ipso acceperit quod voveret, sicut legitur: *Quæ<sup>p</sup> de manu tua accepimus damus tibi.*"

XII. " Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito."

XIII. " Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari: quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. Unde

<sup>l</sup> Johan. cap. 15. ver. 5.

<sup>l</sup> Johan. cap. 6. ver. 44.

<sup>n</sup> 1 Cor. cap. 12. ver. 3.

<sup>p</sup> 1 Par. cap. 29. ver. 14.

<sup>k</sup> 2 Cor. cap. 3. ver. 5.

<sup>m</sup> Matth. cap. 16. ver. 17.

<sup>n</sup> II. ASSERTIO doctrinæ veræ.

veritas ipsa dicit: *Si<sup>a</sup> vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.*"

XIV. "Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur, sicut dicit psalmista: *Cito<sup>t</sup> anticipet nos misericordia tua Domine: et illud: Deus<sup>s</sup> meus, misericordia ejus præveniet me.*"

XV. "Ab eo quod formavit Deus mutatus est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi: hæc, secundum psalmistam, *Mutatio<sup>t</sup> est dextera excelsi.*"

XVI. "Nemo ex eo quod videtur habere gloriatur, tanquam<sup>u</sup> non acceperit; aut ideo se putet accepisse, quia litera extrinsecus, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur sonuit: nam sicut apostolus dicit: *Si<sup>v</sup> per legem justitia, ergo Christus mortuus est. Ascendens<sup>x</sup> in altum captivavit captivitatem, dedit dona hominibus:* Inde habet quicumque habet. Quisquis autem se inde habere negat; aut vere non habet, aut id<sup>y</sup> quod videtur habere aufertur ab eo."

XVII. "Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei caritas facit, quæ diffusa<sup>z</sup> est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis."

XVIII. "Nullis meritis gratiam prævenientibus, debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia quæ non debetur præcedit ut fiant."

XIX. "Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine Dei gratia salutem non possit custodire quam accepit; quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?"

<sup>a</sup> Johan. cap. 8. ver. 36.

<sup>r</sup> Psal. 79. (al. 78.) ver. 8.

<sup>s</sup> Psal. 59. ver. 10. (al. Psal. 58. ver. 11.)

<sup>t</sup> Psal. 77. ver. 10. (al. Psal. 76. ver. 11.)

<sup>u</sup> 1 Cor. cap. 4. ver. 7.

<sup>v</sup> Gal. cap. 2. ver. 21.

<sup>x</sup> Psal. 68. ver. 18. (al. Psal. 67. ver. 19.) Ephes. cap. 4. ver. 8.

<sup>y</sup> Luc. cap. 8. ver. 18.

<sup>z</sup> Rom. cap. 5. ver. 5.

XX. “ Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo : nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstat ut faciat homo.”

XXI. “ Sicut eis qui volentes in lege justificari, et a gratia exciderunt, verissime dicit apostolus; *Si in lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est*: sic eis qui gratiam, quam commendat et percipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur; Si per naturam justitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Jam hic enim erat lex, et non justificabat: jam hic erat et natura, et non justificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est, ut et lex per illum impleretur qui dixit: *Non<sup>b</sup> veni legem solvere, sed adimplere*; et natura per Adam perditam per illum repararetur, qui dixit<sup>c</sup> *venisse quærere et salvare quod perierat*.”

XXII. “ Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ; ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.”

XXIII. “ Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem id faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati; quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, a quo et præparatur, et jubetur<sup>d</sup> quod volunt.”

XXIV. “ Ita sunt in<sup>e</sup> vite palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant: sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc et manentem in se habere Christum, et manere in Christo, discipulis prodest utcunque, non Christo. Nam præciso palmite, potest de viva radice alius pullulare: qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere.”

XXV. “ Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffun-

<sup>a</sup> Gal. cap. 2. ver. 21.

<sup>b</sup> Matth. cap. 5. ver. 17.

<sup>c</sup> Matth. cap. 18. ver. 11. Luc. cap. 19. ver. 10.

<sup>d</sup> al. *obitur*.

<sup>e</sup> Johan. cap. 15. ver. 4, 5.

dit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris et Filii, quem cum Patre amamus et Filio.”

SYNODI DECRETUM.

“Ac sic secundum suprascriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum patrum definitiones, hoc Deo propitiante et prædicare debemus et credere:

I. “Quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est possit, nisi eum gratia misericordiæ divinæ prævenerit. Unde et Abel justo, et Noe, et Abrahæ, et Isaac, et Jacob, et omni antiquorum patrum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laude prædicat apostolus Paulus<sup>g</sup>, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam. Quam gratiam, etiam post adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed Christi novimus simul et credimus largitate conferri; secundum illud quod sæpe jam dictum est, et quod prædicat Paulus apostolus: *Vobis<sup>h</sup> donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*: et illud: *Deus<sup>i</sup> qui cæpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri JESU Christi*: et illud: *Gratia<sup>k</sup> salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est*. Et quod de seipso ait apostolus: *Misericordiam<sup>l</sup> consecutus sum, ut fidelis essem*. Non dixit *quia eram*, sed *ut essem*: et illud: *Quid<sup>m</sup> habes quod non accepisti?* et illud: *Omne<sup>n</sup> datum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*: et illud: *Nemo<sup>o</sup> habet quietam, nisi illi datum fuerit desuper*. Innumerabilia sunt sanctarum Scripturarum testimonia, quæ possunt ad pro-

<sup>g</sup> Hebr. cap. 11.

<sup>h</sup> Philipp. cap. 1. ver. 29.

<sup>i</sup> Philipp. cap. 1. ver. 6.

<sup>k</sup> Ephes. cap. 2. ver. 8.

<sup>l</sup> 1 Cor. cap. 7. ver. 25.

<sup>m</sup> 1 Cor. cap. 4. ver. 7.

<sup>n</sup> Jacob. cap. 1. ver. 17.

<sup>o</sup> Johan. cap. 3. ver. 27.

bandam gratiam proferri: sed brevitatis studio prætermissa sunt, quia et revera cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt.”

II. “Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.”

III. “Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiamsi sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.”

IV. “Hoc etiam salubriter profiteremur, et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamus: sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus et post baptismum cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis<sup>p</sup>, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii<sup>q</sup> centurionis, ad quem angelus Domini missus est, et Zacchæi<sup>r</sup>, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum.”

“Et quia definitionem antiquorum patrum, nostramque, quæ superscripta est, non solum religiosi, sed etiam laicis medicamentum esse, et desideramus et cupimus; placuit ut eam etiam et illustres ac magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festivitatem convenerunt, propria manu subscriberent.”

#### SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM ET ILLUSTRIVM VIRORVM.

Cæsarins in Christi nomine episcopus constitutionem nostram relegi et subscripsi. Notans sub die quinto Nonas Julias, Decio Junio V. C. consul.

Julianus Amartolus episcopus relegi et subscripsi.

Constantius in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.

<sup>p</sup> Luc. cap. 23. ver. 42, 43.

<sup>q</sup> Act. cap. 10. ver. 1.

<sup>r</sup> Luc. cap. 19. ver. 2.

Cyprianus in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Eucherius in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Item Eucherius in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Heraclius in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Principius in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Philagrius in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Maximus in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Prætextatus in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Alethius in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Lupercianus in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Vindemialis in Christi nomine episcopus consensi et subscripsi.  
 Petrus Marcellinus Felix Liberius<sup>s</sup> V. C. et illustris præfectus prætorii  
 Galliarum, atque patricius, consensi et subscripsi.  
 Syagrius V. INL. consensi et subscripsi.  
 Opilio V. INL. consensi et subscripsi.  
 Pantagathus V. INL. consensi et subscripsi.  
 Deodatus V. INL. consentiens subscripsi.  
 Cariatto V. INL. consentiens subscripsi.  
 Marcellus V. INL. consentiens subscripsi.  
 Namatus V. INL. consentiens subscripsi.

Huic synodo in quibusdam codicibus MSS. Bonifacii II.<sup>t</sup> epistola, ipsique epistolæ ista præfixa cernitur adnotatio: "In hoc loco continetur synodus Arausica, quam per auctoritatem sanctus papa Bonifacius confirmavit. Et ideo quicumque aliter de gratia et libero arbitrio crediderit, quam vel ista auctoritas continet, vel in illa synodo constitutum est, contrarium se sedi apostolicæ, et universæ per totum mundum Ecclesiæ appareat, ad Valentiniam potius synodum, sub Felicis IV. excessum habitam, Bonifacii illam epistolam fuisse referendam. Sic enim ille, in vita magistri sui Cæsarii: "Susurris<sup>u</sup> et mala interpretatione quorundam, oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem Dei hominis frustra sinistra suspicio. Ob hoc antistites Christi ultra Isaram consistentes caritatis amore collecti in Valentina civitate conveniunt: ubi etiam beatus Cæsarius infirmitatis causa sollicitans, sicut disposuerat properare non potuit."

<sup>s</sup> De quo, præfatione synodi.

<sup>t</sup> Tom. I. concilior. Galliæ, pag. 222, 223.

<sup>u</sup> Vit. Cæsarii, lib. I. in bibliotheca Lerinensi Vinc. Barralis, pag. 247.

“ Misit tamen præstantissimos viros de episcopis, cum presbyteris et diaconis; inter quos etiam Cyprianus Tolonensis episcopus antistes magnus et clarus enituit: omnia quæ dicebat de divinis utique Scripturis firmans, et de antiquissimis patrum institutionibus probans; nihil per se in divinis profectibus quemquam arripere posse, nisi fuerit primitus Dei gratia præveniente vocatus. Sed dum suam justitiam quærebant statuere, justitiæ [Dei] non erant subjecti: non reminiscentes Dominum dixisse, *Sine<sup>w</sup> me nihil potestis facere*: et, *Ego<sup>x</sup> vos elegi, non vos me*: et, *Nemo<sup>y</sup> habet quicquam nisi datum illi fuerit de sursum*: et apostolum: *Gratia<sup>z</sup> Dei sum id quod sum*: et alium: *Omne<sup>a</sup> datum optimum de sursum est*: et prophetam: *Gratiam<sup>b</sup> et gloriam dabit Dominus*: et quod tunc vere liberum homo resumat arbitrium cum fuerit Christi liberatione redemptus; sub qua etiam absolute valeat consequi perfectionis effectum. Quorum intentionibus vir Dei Cæsarius dedit veram et evidentem ex traditione apostolica rationem. Nam beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ ecclesiæ papa eadem collectatione comperta, calcata intentione jurgantium, prosecutionem sancti Cæsarii apostolica auctoritate firmavit.” Bonifacii vero epistola est ejusmodi.

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO, BONIFACIUS.

“ Per filium nostrum ARMENIUM presbyterum et abbatem literas tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos sub ea qua in Deo tenemur caritate direxeras: quibus credideras postulandum, ut id quod a beatæ recordationis decessore nostro papa Felice pro Catholicæ fidei poposceras firmitate, mea explicaretur instantia. Sed quia id voluntas superna disposuit, ut quod per nos ab illo speraveras, a nobis potius impetrares; petitioni tuæ, quam laudabili fidei sol-

<sup>w</sup> Johan. cap. 15. ver. 5.

<sup>x</sup> Ibid. ver. 16.

<sup>y</sup> Johan. cap. 3. ver. 27.

<sup>z</sup> 1 Cor. cap. 15. ver. 10.

<sup>a</sup> Jacob. cap. 1. ver. 17.

<sup>b</sup> Psalm. 84. ver. 11. (al. Psalm. 83. ver. 12.)

licitudine concepisti, Catholicum non distulimus dare responsum. Indicas enim, quod aliqui episcopi Galliarum, cum cætera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantum, qua in Christo credimus, naturæ esse velint, non gratiæ; et hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate conferri: postulans ut pro ambiguitate tollenda, confessionem vestram, qua vos e diverso fidem rectam in Christo, totiusque bonæ voluntatis initium, juxta Catholicam veritatem, per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate sedis apostolicæ firmaremus.”

“Atque ideo, cum de hac re multi patres, et præ cæteris beatæ recordationis Augustinus episcopus, sed et majores nostri apostolicæ sedis antistites, ita ratione probentur disseruisse latissima, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia: supersedendum duximus responsione multiplici: maxime cum secundum eas, quas ex apostolo direxisti sententias, quibus dicit: *Misericordiam<sup>c</sup> consecutus sum, ut fidelis essem*; et alibi: *Vobis<sup>d</sup> datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verumetiam ut pro eo patiamini*; evidenter appareat fidem, qua in Christo credimus, sicut et omnia bona, singulis hominibus ex dono supernæ venire gratiæ, non ex humanæ potestate naturæ. Quod etiam fraternitatem tuam, habita collatione cum quibusdam sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus sensisse Catholicam: in his scilicet, in quibus uno, sicut indicasti, consensu definierunt fidem, qua in Christo credimus, gratia divinitatis præveniente conferri: adjicientes etiam, nihil esse prorsus secundum Deum boni, quod sine Dei quis gratia aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere possit; dicente ipso Salvatore nostro: *Sine<sup>e</sup> me nihil potestis facere.*”

“Certum est enim atque Catholicum, quia in omnibus bonis, quorum caput est fides, nolentes nos misericordia

<sup>c</sup> 1 Cor. cap. 7. ver. 25.

<sup>d</sup> Philipp. cap. 1. ver. 29.

<sup>e</sup> Johan. cap. 15. ver. 5.



divina præveniat, ut in fide duremus, sicut David propheta dicit: *Deus<sup>f</sup> meus misericordia ejus præveniet me.* Et iterum: *Misericordia<sup>g</sup> mea cum ipso est.* Et alibi: *Misericordia<sup>h</sup> ejus subsequitur me.* Similiter et beatus Paulus dicit: *Aut<sup>i</sup> quis prior dedit ei, et retribuetur illi? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Unde nimis eos qui contra sentiunt, admiramur, usque eo vetusti erroris adhuc reliquiis prægravari, ut ad Christum non credant Dei beneficio, sed naturæ veniri; et ipsius naturæ bonum, quod Adæ peccato noscitur depravatum, auctorem nostræ fidei dicant magis esse quam Christum, nec intelligant se Dominicæ reclamare sententiæ dicenti: *Nemo<sup>k</sup> venit ad me, nisi datum fuerit illi a patre meo.* Sed et beato Paulo simul obsistere clamanti ad Hebræos: *Curramus<sup>l</sup> ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem JESUM Christum.* Quæ cum ita sint, invenire non possumus quid ad credendum in Christo, sine Dei gratia, humanæ deputent voluntati, cum Christus auctor consummatorque sit fidei.”

“ Quapropter affectu congruo salutantes, suprascriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis patrum regulis adprobamus. Illos autem, qui præcedente fide, sicut indicas, volunt gratiæ deputare, sua professione constringimus, ut multo magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adscribere, præter quam nihil est boni, quod secundum Deum quilibet valeat operari; sicut beatus apostolus dicit: *Omne<sup>m</sup> quod ex fide non est, peccatum est.* Quod cum ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur; aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessario fides erit gratiæ deputanda. Si enim nihil boni est sine fide, fides autem ipsa venire negetur ex gratia; nullum, quod absit, bonum erit gratiæ deputandum. Ait enim Jacobus apostolus: *Omne<sup>n</sup> donum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens*

<sup>f</sup> Psal. 59. ver. 10. (al. Psal. 53. ver. 11.)

<sup>g</sup> Psal. 89. ver. 24. (al. Psal. 88. ver. 25.)

<sup>h</sup> Psal. 23. (al. Psal. 22.) ver. 6.

<sup>k</sup> Johan. cap. 6. ver. 65.

<sup>m</sup> Rom. cap. 14. ver. 23.

<sup>i</sup> Rom. cap. 11. ver. 35, 36.

<sup>l</sup> Hebr. cap. 12. ver. 1, 2.

<sup>n</sup> Jacob. cap. 1. ver. 17.

*a patre luminum.* Et ipsi fatentur, ut dicis, dona cætera donari per gratiam; ipsa autem bona fide subsistere non ambigunt. Universa ergo necessario fides erit gratiæ deputanda, a qua bonum, quod gratiæ tribuunt, separare non possunt."

"His itaque breviter assignatis; contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epistola continere, quam a quodam tibi mandasti sacerdote transmissam, respondendum non duximus: quia speramus de misericordia divina, quod ita per ministerium tuæ fraternitatis atque doctrinam, in omnium, quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari; ut ex hoc omnem bonam voluntatem non ex se, sed ex divina credant gratia proficisci, cum se senserint id jam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Scriptum est enim, *Præparatur<sup>o</sup> voluntas a Domino.* Et alibi: *Seio<sup>p</sup> quia non possum esse continens, nisi Deus dederit; et hoc ipsum erat sapientiæ, scire ejus esse donum.* Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data VIII. Calendas Februarias, Lampadio et Oreste VV. CC. consulibus."

Qui primus epistolam hanc ex tenebris eruit diligentissimus Sirmondus<sup>q</sup>, Baronianam chronologiam (quæ hinc potius emendanda fuerat) in constituendo Bonifacii initio secutus, legendum hic suspicatur; P. C. Lampadii et Orestis: qui consulatum eorum secutus annus in æræ nostræ DXXXI. incurrit. Ea vero ratione diebus tantum uno et quadraginta data fuisset hæc epistola ante diploma hoc, quod ab Arthuro rege Cantabrigiensi academiæ concessum fuisse aiunt.

ARTHURUS, REGALI A DEO FRETUS DIGNITATE, OMNIBUS SUIS  
SALUTEM.

"Quia omnipotens Deus per misericordiam clementiæ suæ, absque ullo antecedente merito, scepra regiminis mihi largitus est; libenter ei ex eo quod dedit mihi re-

<sup>o</sup> Prov. cap. 8. ver. 35. juxta LXX.      <sup>p</sup> Sapient. cap. 8. ver. 21.

<sup>q</sup> Sirmond. not. ad tom. 1. concilior. Galliæ, pag. 605.

tribuo. Idecirco ejus gratia eruditus, pro amore cœlestis patriæ remedioque animarum antecessorum meorum Britanniae regum, pro augmentatione insuper rei publicæ regni mei Britanniae, ac profectu spirituali<sup>r</sup> scholarium in lege Domini jugiter Cantabrigiæ studentium; consilio et assensu omnium et singulorum pontificum et principum istius regni, et licentia sedis apostolicæ, statuo præsentis scripto et firmiter decerno, ut civitas scholarium prædicta (ubi hactenus splendorem scientiæ et lumen doctrinæ, gratia favente conditoris, mei prædecessores acceperunt) a publicis vectigalibus et operibus onerosis absolvatur: ut quietudine doctores inibi et scholares valeant doctrinæ studio inhærere; sicut gloriosus rex Britanniae Lucius decrevit, Christianitatem amplectens prædicatione doctorum Cantabrigiæ. Quamobrem sint scholares atque doctores Cantabrigiæ manentes, in tranquillitate perpetua tuti, privilegiis muniti regalibus cum suis rebus et familiaribus ab omnibus secularibus servitutibus, necnon a regalibus tributis majoribus seu minoribus. Datum anno ab incarnatione Domini DXXXI. septimo die Aprilis, in civitate London.”

Nicolaus Cantelupus affirmat, inclytum regem Arthurum constituisse Kynotum quendam virum providum rectorem scholarium civitatis Cantabrigiensis anno ab incarnatione Domini DXXIX. eiquè post biennium, “pro ampliore firmitate, transmisisse chartulam prædictam per suum nepotem Walwanum probitate clarum.” Hunc Kynotum, vel Kinocum potius, Lampaternensis ecclesiæ fuisse antistitem, atque Davidi in sede Legionensi successisse refert Monemuthensis<sup>s</sup> Galfridus: Walwanum quoque sive Walgantium nepotem<sup>t</sup> regis fuisse confirmans. Patrem enim Arthuri Utherum, fratris sui Aurelii Ambrosii tempore, filiam suam Annam Lotho consuli Lodonesiæ (quæ olim Pict-landia, hodie Lauden dicitur) in matrimonium collocasse; indeque Walgantium et Modredum susceptos fuisse narrat<sup>u</sup>. In scriptis Cambro-Britannicis, pater Llow, filii

<sup>r</sup> *Al. speciali.*

<sup>s</sup> *Supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 106.*

<sup>t</sup> *Histor. Britannic. lib. 11. cap. 1.*

<sup>u</sup> *Ibid. lib. 8. cap. 21. et lib. 9. cap. 9, 11.*

Medrod et Gualchmay nominatur: quorum priorem, qui inito cum Saxonibus fœdere contra avunculum suum Arthurum postea conjuravit, in vetere Triadum libro una cum Avarwy sive Androgeo filio Lud (qui Cæsaris est Mandubratius) et Guorthigerno, ut tres viros qui maximo dedecori huic insulæ fuerint, adnumerari docet Johannes Prisæus: posteriorem, qui pro avunculo contra fratrem dimicans in Cambalanico prælio cecidisse dicitur, celebratum fuisse docet Johannes Lelandus, tum a Melchino vate Britannico, tum a Johanne Annævillano; qui in Architrenio suo ita illum loquentem inducit:

Et Walganus ego, qui nil reminiscor avara  
 Illoculasse manu: non hæc mea fulgurat auro  
 Sed gladio dextra; recipit quo spargat, et enses  
 Non loculos stringit nec opes in carcere miles  
 Degener et cupide eumulato rusticus ære.  
 Et me bella vocant: et te tua forsitan urget  
 Sollicitudo. Vale.

Accedit et Guilielmi Malmesburiensis locus, de sepulchro illius in ea Pembrochiensis comitatus parte quam Rossiam vocant tempore Guilielmi I. reperto: “Tunc<sup>w</sup> in provincia Walliarum quæ Ross vocatur inventum est sepulcrum Walwini, qui fuit haud degener Arturi ex sorore nepos; regnavitque in ea parte Britannia, quæ adhuc Walwertha<sup>x</sup> vocatur, miles virtute nominatissimus, sed a fratre et nepote Hengisti regno expulsus, prius multo eorum detrimento exilium compensans suum: communicans merito laudi avunculi, quod ruentis patriæ casum in plures annos distulerit. Sed Arthuri sepulcrum nusquam visitur: unde antiquitas næniarum adhuc eum venturum fabulatur. Cæterum alterius bustum, ut præmisi, tempore Guilielmi regis repertum est super oram maris quatuordecim pedes longum: ubi a quibusdam asseritur ab hostibus vulneratus et naufragio ejectus, a quibusdam dicitur a civibus in publico epulo interfectus. Veritatis ergo notitia labat in dubio; licet neuter eorum defuerit famæ suæ patrocínio.”

<sup>w</sup> Malmesbur. de gest. reg. Anglor. lib. 3.

<sup>x</sup> Al. *Walwithia*. Matthæo Parisiensi, in anni 1087. historia, *Walwethai*.

De eodem in edita Matthæi Florilegi historia, ad annum DXXXIII. ita legimus: "Erat tunc Walwanus filius Lothi, sororii Arthuri, duodecim annorum juvenis, Vigilio papæ traditus ad nutriendum: a quo etiam et militiæ cingulam accepit:" quod a Galfrido Monemuthensi<sup>7</sup>, ex quo ille hausit, sic habetur expressum: "Erat tunc Walwanus filius Loth, duodecim annorum juvenis, obsequio Sulpicii papæ ab avunculo traditus: a quo arma recepit:" ab avunculo utique Arthuro, non a papa Vigilio, vel Sulpicio; sive is Silverius fuerit, sive nullus. Quærit vero hic Brianus Twynus<sup>8</sup>; quomodo hic "puer Walwainus, et jam tum absens; in deferendo diplomate tabellarius Cantabrigiensis" fuerit? præter alia plurima, quibus diplomatis illius fidem elevat, illud etiam urgens, quod eo tempore non sub Arthuri, sed sub orientalium Anglorum<sup>a</sup> potestate ager Cantabrigiensis fuerit: hoc<sup>b</sup> etiam Florilegi eam in rem citato testimonio: "Anno gratiæ DXXVII. (quadriennio scilicet ante datum hoc diploma) venerunt de Germania pagani, et occuparunt East-Angliam, id est, regionem illam quæ orientalium Anglorum regio dicitur: et omni crudelitatis genere Christianos affecerunt:" licet postrema hæc, de Christiana persecutione, clausula neque in edito libro neque in eo quem in manibus habeo legatur manuscripto: et orientalium Anglorum regnum a Guilielmo Malmesburiensi inchoetur etiam citius. Nam "prius<sup>c</sup> regno West-Saxonum, pullulavisse regnum orientalium Anglorum" asserit: annum quoque rationibus illius convenienter Ranulpho sic assignante: "Anno<sup>d</sup> gratiæ CCCXCII. incepit regnum orientalium Anglorum sub Uffa: a quo omnes orientales Anglos Uffingas<sup>e</sup> vocamus; quos nunc Ficanos seu Fikeys appellamus."

Neque majorem quam diploma illud fidem meretur assumentum Edvardi Confessoris legibus adjectum, de sy-

<sup>7</sup> Britannic. hist. lib. 9. cap. 11.

<sup>2</sup> Twyn. antiquil. acad. Oxon. apolog. lib. 1. sec. 206.

<sup>a</sup> Vide supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 449.

<sup>b</sup> Twyn. antiqu. acad. Oxon. apolog. lib. 1. sec. 87, 88.

<sup>c</sup> Malmesbur. de gest. regum, lib. 1. cap. 5.

<sup>d</sup> Ranulph. Cestrens. polychronic. lib. 5. cap. 4.

<sup>e</sup> Vid. Bedam, lib. 2. hist. cap. 15.

nodis sive populorum conventibus ab Anglo-Saxonibus *polcmote* appellatis: “Ita<sup>f</sup> debent facere omnes principes et comites, et simul jurare coram episcopis regni in *polcmote*: et similiter omnes proceres regni, et milites, et liberi homines universi totius regni Britanniae facere debent in pleno *polcmote* fidelitatem domino regi coram episcopis regni. Hanc legem invenit Arthurus, qui quondam fuit inelytissimus rex Britonum; et ita consolidavit et confœderavit regnum Britanniae universum semper in unum. Hujus legis autoritate expulit Arthurus prædictus Saracenos et inimicos a regno.” Necnon, de jure et appendiciis coronae regni Britanniae, illud alterum.

“Arthurus<sup>g</sup> qui fuit quondam inelytissimus rex Britonum, vir magnus fuit et animosus, et miles illustris. Parum fuit ei regnum istud, non fuit animus ejus contentus regno Britanniae: subjugavit igitur sibi strenue Scantiam totam, quae modo Norveia vocatur, et omnes insulas ultra Scantiam, scilicet, Islandiam, et Grenlandiam, quae sunt de appendiciis Norveiae, et Snechordam, et Hiberniam, et Gutlandiam, et Daciam, Semelandiam, Winlandiam, Curlandiam, Roc, Femelandiam, Wirelandiam, Flandriam, Cherrelam, Lappam, et omnes alias terras, et insulas orientalis oceani usque Russiam (in Lappa scilicet posuit orientalem metam regni Britanniae:) et multas alias insulas ultra Scantiam, usquedum sub septentrione, quae sunt de appendiciis Scantiae, quae modo Norveia vocatur. Fuerunt gentes feræ et indomitæ, et non habuerunt dilectionem Dei, nec proximi: quia ab aquilone pandetur omne malum. Fuerunt autem ibi Christiani occulte. Arthurus autem Christianus optimus fuit, et fecit eos baptizari, et unum Deum per totam Norveiam venerari, et unam fidem Christi semper inviolatam custodire et suscipere. Ceperunt universi proceres Norveiae uxores suas de nobili gente Britonum tempore illo: unde Norwegienses dicunt se exiisse de gente et sanguine regni hujus. Impetravit

<sup>f</sup> Guil. Lambard. *Ἀρχαιονομία*, fol. 135. b.

<sup>g</sup> Ibid. fol. 137. b. 138. a.

enim temporibus illis Arthurus rex a domino papa et a curia Romana, quod confirmata sit Norveia in perpetuum coronæ Britanniae in augmentum regni hujus: vocavitque illam dictus Arthurus Cameram Britanniae. Hac vero de causa dicunt Norwegienses se debere in regno isto cohabitare; et dicunt se esse de corpore regni hujus, scilicet de corona Britanniae."

His simillima et maxime gemina sunt, atque hominum prudentum judicio "potius<sup>h</sup> in anilibus quam annalibus numeranda," quæ longo sermone contexuit Monemuthensis Galfridus; ob hoc ipsum quoque, si Guilielmo Neubrigensi credimus, in Anglicanae suae historiae proœmio, "agnomen habens Arthuri, quod fabulas de Arthuro ex priscis Britonum figmentis sumptas et ex proprio auctas per superductum Latini sermonis colorem honesto historiae nomine palliavit." De quibus ut fusius et vehementius eo in loco Guilielmus, ita brevius et modestius in polychronico suo ita agit Ranulphus: "De<sup>i</sup> isto Arthuro, quem inter omnes chronographos solus Galfridus sic extollit, mirantur multi; quomodo veritatem sapere possint, quæ de eo prædicantur: pro eo quod si Arthurus, sicut scribit Galfridus, ter dena regna acquisivit: si regem Francorum subjugavit, si Lucium procuratorem reipublicæ apud Italiam interfecit: cur omnes historici, Romani, Franci, Saxonici, tot insignia de tanto viro omiserunt; qui de minoribus viris tot minima retulerunt?"

"Ad hæc dicit Galfridus, suum Arthurum regem Francorum Frollonem vicisse: cum tamen de Frollonis nomine nusquam reperiatur apud Francos. Item dicit, Arthurum tempore Leonis imperatoris Lucium Hibernium reipublicæ procuratorem extinxisse: cum tamen juxta omnes historias Romanas constet nullum Lucium eo tempore reipublicam procurasse; neque illum Arthurum ullatenus tempore Leonis regnasse, neque etiam tunc natum fuisse, sed tempore Justiniani, qui quintus fuit a Leone. Denique Galfridus dicit se mirari, quod Gildas et Beda nullam de

<sup>h</sup> Jo. Leslæ. de reb. gest. Scotorum, lib. 4. in rege XLVI.

<sup>i</sup> Ranulph. Cestrens. polychronic. lib. 5. cap. 6.

Arthurō in suis scriptis fecerunt mentionem: immo magis mirandum puto, cur iste Galfridus tantum extulerit, quem omnes antiqui veraces et famosi historici pene intactum reliquerunt. Sed fortassis mos est cuique nationi aliquem de suis laudibus attollere excessivis; ut quemadmodum Græci suum Alexandrum, Romani suum Octavianum, Angli suum Richardum, Franci suum Carolum, sic Britones suum Arthurum præconantur: quod sæpe contingit, sicut dicit Josephus, aut propter historiæ decorem, aut propter legentium delectationem, aut ad proprii sanguinis exaltationem. Nam dicit Augustinus, de civitate libro decimo, capitulo primo, quod Atheniensium gesta majora fuerunt fama quam reipsa: et hoc propter scriptorum ibidem florentium præclara ingenia, qui sensum suum ad ardua et linguam suam ad laudisona laxare sunt gavisī.

Ab Ambrosio tamen Merlino etiam prænunciata creduntur ista; de Arthurō, sub apri Cornubiensis (quod in Cornubiæ maritimo castro Tintagel fuisset genitus) involucro, per furorem ita vaticinante: "Prævalebit<sup>k</sup> tandem oppressa; et sævitiae exterorum resistet. Aper etenim Cornubiæ succursum præstabit; et colla eorum sub pedibus suis conculcabit. Insulæ oceani potestati ipsius subdentur; et Gallicanos saltus possidebit. Tremebit Romulea domus sævitiam ipsius; et exitus ejus dubius erit. In ore populorum celebrabitur; et actus ejus cibus erit narrantibus." Quo enim, ait in hunc locum illius interpretes Alanus de insulis, "Arthuri Britonis nomen fama volans non pertulit et vulgavit, quousque Christianum pertingit imperium? Quis, inquam, Arthurum Britonem non loquatur? cum pene notior habeatur Asiaticis gentibus, quam Britannis: sicut nobis referunt Palmigeri nostri de orientis partibus redeuntes. Loquuntur illum orientales, loquuntur occidui, toto terrarum orbe divisi. Loquitur illum Ægyptus; Bosphorus exclusa non tacet. Cantat gesta ejus domina civitatum Roma; nec æmulam ejus quondam Carthaginem Arthuri prælia latent. Cele-

<sup>k</sup> Galfrid. Monemuth. lib. 7. cap. 3. Matth. Florileg. ad ann. 465.



brat acta ejus Antiochia, Armenia, Palæstina." Et Josephus Exoniensis, in Antiocheide sua:

Hinc celebri fato felici claruit ortu  
 Flos regum Arthurus ; cujus cum facta stupori  
 Non micuere minus, totus quod in aure voluptas  
 Et populo plaudente favus. Quæcunque priorum  
 Inspice. Pellæum commendat fama tyrannum ;  
 Pagina Cæsareo loquitur Romana triumphos :  
 Alcidem domitis attollit gloria monstris.  
 Sed nec pinetum coryli, nec sydera solcm  
 Æquant. Annales Latios, Graiosque revolve :  
 Prisca parem nescit, æqualem postera nullum  
 Exhibitura dies. Reges supereminet omnes  
 Solus ; præteritis melior, majorque futuris.

Et, qui non poetica sed historica fide scripsit, Guilielmus Malmesburiensis: "Hic est Arthurus, de quo Britonum nugæ hodieque delirant: dignus plane quem non fallaces somniarent fabulæ, sed veraces prædicarent historiæ; quippe qui labantem patriam diu sustinuerit, infractasque civium mentes ad bellum acuerit:" quod Alanus ille Insulensis ita auget et amplificat: "Vere<sup>m</sup> dignus, de quo non aniles fabulæ mentiantur, sed de quo veraces historiæ vera et laude digna loquantur. Nam et gentem suam ab alienigenis conculcatam pristinæ dignitati restituit, et perfidos invasores a patriis finibus effugavit. Cultum religionis, pene deletum, in civitatibus et vicis et oppidis reformavit: ecclesiâs, a pagana gente destructas vel dirutas, restauravit; et in eis pastores et episcopos cum clericorum officiis, prout locorum dignitas exigebat, devoto religionis studio ordinavit."

Ejusdem Guilielmi de Glastoniensis ecclesiæ antiquitate libelli interpolator, partim ex Britonum partim ex Anglorum chronicis, hanc de Arthuro narrationem conflavit: "Post multa quæ illustrissime gessit in Britannia, commisso regno suo et regina Modredo nepoti<sup>n</sup> suo, cum suo exercitu transfretavit in Galliam: et eam sibi subjugavit. Multasque alias provincias subjiciens, bellum cum

<sup>1</sup> Malmesbur. de gest. reg. Anglor. lib. 1. cap. 1.

<sup>m</sup> Alan. in Merlini prophetiani, lib. 3.

<sup>n</sup> De quo supra, pag. 32.

Romanis habuit: et post subsequentem hyemem in partibus illis moratus, multas civitates subjugare vacavit. Redeunte vero æstate, Arthurus versus Romam tendens cum suo exercitu, eam sibi subjugare affectavit. Interim autem Modredus regnare appetens, sed solum Cerdicum timens, dedit Cerdico ut sibi faveret septem provincias: scilicet Southsex, Southerei, Baroescire, Wiltsaire, Dorset, Devenescire, et Cornubiam. Cerdicus vero his consentiens, suas provincias novis Anglis instauravit: et coronatus est more gentili apud Wintoniam, Modredus vero super Britones apud Londoniam. Audiens autem rex Arthurus, de Gallis rediit: Modredum nepotem suum, cui regnum cum regina commiserat, persecutus in ultimos fines Cornubiæ, interfecit. In ipso tamen bello est ipse Arthurus lethaliter vulneratus: corpus vero ejus a nobili matrona ejusdem regis cognata Morganis dicta in insulam Avalloniæ, quæ nunc Glastonia dicitur, est delatum; ad sanandum vulnera sua. Sed ingravescente morbo, medicaminibus modicum proficientibus, anno Domini circiter quingentesimo quadragesimo secundo defungitur."

At tempus Arthuriani obitus hic assignatum, cum altera illa de Modredi et Cerdici fœdere narrationis parte, quam ex chronicis Anglorum petitam esse Ranulphus<sup>o</sup> notat, haud facile conciliare possumus. Anglo-Saxonici enim annales DXXXIV. Christi anno Cerdicum interiisse docent: Fabio quoque Ethelwerdo, Florentio Wigornienti, et Guilicmo Malmesburiensi consentientibus. Britannica vero historia, cum<sup>p</sup> Glastoniensibus chronographis, ad annum DXLII. excessum Arthuri refert: quod non solum ex Waltero Oxoniensi et Galfrido Monemuthensi tradit in majore sua historia Thomas Rudburnus (ut de Alano Insulensi<sup>q</sup>, Matthæo Florilego, Wintoniensi monasterii annalibus, et aliis nihil dicam) sed Scoticarum quoque rerum scriptores, Johannes Fordonus, Johannes Major, Hector Boethius et Georgius Buchananus, suo pariter calculo confirmant: a quo, ut multum non discedit Radulphus de

<sup>o</sup> Polychronic. lib. 5. cap. 6.

<sup>p</sup> Vid. supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 144.

<sup>q</sup> Alan. in Merlini prophct. lib. 3.

Baldock Londoniensis episcopus, cui anno DXLIII. vel eulogii et Waverleiensium etiam annalium scriptores, quibus anno DXLV. Arthurum lethale suum vulnus accepisse placet: ita Guilielmi Neubrigensis<sup>f</sup> paralogismus nos adducit longius; dum Britannica Galfridi historia, quæ Arthurum a Vortigerno quartum, cum Anglicana Bedæ collata, quæ Ethelbertum Augustini susceptorem ab Hengisto item quartum constituit, regnum Arthuri et ingressum in Britanniam Augustini concurrere debuisse, (argumento parum firmamenti ac virium habente) colligit.

“Ipse<sup>g</sup> vero Arthurus, juxta Merlini vaticinium, dubium habet exitum; quia utrum vivat, an mortuus fuerit, nemini certum æstimatur esse:” inquit Vincentius Bellovacensis. “Verissime quidem,” addit Merlini interpretes Alanus Insulensis<sup>h</sup>: “sicut hodieque probat varia hominum de morte ejus et vita opinio. Quod si mihi non credis, vade in Armoricum regnum, id est, in minorem Britanniam; et prædica per plateas et vicos, Arthurum Britonem more cæterum mortuorum mortuum esse: et tunc certe reipsa probabis, veram esse Merlini prophetiam, qua ait, Arthuri exitum dubium fore: si tamen immunis evadere inde potueris; quin aut maledictis audientium opprimaris, aut certe lapidibus obruaris.” Cujus ridiculæ, ut ipse quoque agnoscit, opinionis hanc qualemcumque rationem conatur ille reddere: “Hunc<sup>i</sup> Britones, tantæ famæ tantæque gloriæ virum, nulla ratione adduci possunt ut mortuum credant: præsertim cum in nullis annalibus inveniri possit scriptum, ubinam vel mortuus fuerit vel sepultus. Denique in historia Britonum hoc tantummodo reperi; quod in bello illo, quod adversus nefandissimum proditorem, Modredum videlicet nepotem suum, fratrem Walgani, habuerit, lethaliter fuerit vulneratus, &c. Quia igitur de morte tanti regis nec historia ista nec alia quæpiam loquitur, nulla ratione (ut dictum est) Britones ad credulitatem mortis ejus adduci possunt; sed omnis, aut pene omnis, illa natio adhuc eum in insula Avallonis, quo

<sup>f</sup> Neubrigens. in hist. Angl. præmio.

<sup>g</sup> Vincent. specul. historial. lib. 21. cap. 74.

<sup>h</sup> Alan. in Merlin. lib. 1.

<sup>i</sup> Id. lib. 3.

curatum deportatus est, delitere ac vivere opinantur." Quibus et illud Radulphi Nigri addere possumus: "A Modredo nepote suo lethaliter vulneratus, in insulam Avallonis est delatus: cujus sepulcrum tempore regis Richardi apud Glastingeburi est repertum, qui locus, paludibus olim circumseptus, insula Avallonis Britannice (id est, pomorum) vocitatus est. Sed quia Britannica historia de ejus morte nil certum tradidit, Britones cum adhuc vivere delirant." Et Matthæi Florilegi: "Occultavit se rex moribundus, ne casui tanto insultarent inimici, amiceque molestarentur. Unde quoniam de morte Arthuri vel ejus sepultura<sup>v</sup> nihil referunt historiæ, gens Britonum ipsum adhuc vivere, præ magnitudine dilectionis, contendunt."

Verum sub finem regni, non Richardi I. ut a Radulpho, et elogii authore, atque aliis<sup>x</sup> est traditum, sed Henrici II. (quo Anglis imperante, suas in Merlinum explanationes Alanus edidit) Glastoniæ Arthuri sepulchrum inventum fuisse, in sexto libri hujus capite declaravimus: quod non rudis tantum vulgi de Arthuro adhuc vivente somnia, sed Gilberti quoque Genebrardi temeritatem redarguit: qui "Arcturum<sup>y</sup> magnum nunquam exiitisse, ex Beda (qui illius omnino non meminit) posse intelligi," satis inconsiderate pronunciat. Sed Giraldum Cambrensem, qui Arthuri ossa paucis ante diebus effossa ipse conspexit, de illius excessu et Glastoniensi in qua sepultus est insula disserentem audiamus: "Quoniam<sup>z</sup> de rege Arthuro et ejus exitu dubio multa referri solent, et fabulæ confingi; Britonum populis ipsum adhuc vivere fatue contendentibus: ut fabulosis exsufflatis, et veris ac certis asseveratis, veritas ipsa de cætero circa hæc liquido pateat, quædam hic adjicere curavimus indubitata veritate comperta. Post bellum de Kamlan<sup>a</sup> apud Cornubiam, interfecto ibidem Moderedo proditore nequissimo et regni Britannici

<sup>v</sup> Vid. Guil. Malmesbur. supra. 32.    <sup>x</sup> Vid. supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 148.

<sup>y</sup> Genebrard. chronograph. lib. 3. ad ann. Christ. 498.

<sup>z</sup> Girald. in specul. ecclesiastic. distinct. 2. cap. 9.

<sup>a</sup> Vid. Camden. in Cornwall, pag. 140, 141. et Hæct. Boeth. Scotor. hist. lib. 9. fol. 165. b.

custodiæ suæ deputati contra avunculum suum Arthurum occupatore, ipsoque Arthuro ibi lethaliter vulnerato; corpus ejusdem in insulam Avaloniam, quæ nunc Glastonia dicitur, a nobili matrona quadam ejusdem cognata et Morgani vocata, est delatum: quod postea defunctum, in dicto cœmiterio sacro, eadem procurante, sepultum fuit. Propter hoc enim fabulosi Britones et eorum cantores fingere solebant, quod Dea quædam phantastica, scilicet Morgani dicta, corpus Arthuri in insulam detulit Avaloniam, ad ejus vulnera sanandum. Quæ quum sanata fuerint, redibit rex fortis et potens ad Britones regendum (ut dicunt) sicut solet: propter quod ipsum expectant adhuc venturum, sicut Judæi Messiam suum, majori etiam fatuitate et infelicitate simul ac infidelitate decepti."

"Notandum hic autem, quod Glastonia dicta est insula, quoniam marisco profundo undique est clausa, quæ Mediannis magis proprie diceretur, quasi mediis scilicet amnis sita; sicut melius insulæ dicuntur quæ in salo, hoc est, in mari sitæ nascuntur. Avalonia vero dicta est vel ab Aval Britannico verbo, quod pomum sonat, quia solet locus ille pomis et pomeriis abundare; vel ab Avalone quodam territorii illius quondam dominatore. Item solet antiquitus locus ille Britannice dici ynys gwydrin, hoc est, insula vitrea, propter amnem scilicet quasi vitrei coloris in marisco circumfluentem: et ob hoc dicta est postmodum a Saxonibus terram occupantibus lingua eorum Glastonia. Glas enim Anglice vel Saxonice vitrum sonat."

Cum quibus comparare liceat, quæ Britannicæ historiæ metaphrastes hac de re cecinit: poetica licentia amnicam istam insulam in oceanicam transformans, et ut beatarum illarum unam describens, de quibus Horatius<sup>b</sup>:

Nos manet oceanus circumvagus: arva, beata  
Petamus arva, divites et insulas.

Sic enim ille, in libro poematis sui nono:

Cingitur oceano memorabilis insula, nullis  
Desolata bonis: non fur, nec prædo, nec hostis  
Insidiatur ibi, nec vis, non bruma nec æstas

<sup>b</sup> Horat. Epodon. Od. 16.

Immoderata furit ; pax et concordia, pubes  
 Ver manet æternum, nec flos nec lilia desunt,  
 Nec rosa nec violæ : flores et poma sub una  
 Fronde gerit pomus : habitant sine labe cruoris  
 Semper ibi juvenes cum virgine, nulla senectus  
 Nullaque vis morbi, nullus dolor ; omnia plena  
 Lætitia : nihil hic proplum, communia quæque.  
 Regia virgo locis et rebus præsidet istis,  
 Virginibus stipata suis pulcherrima pulchris ;  
 Nympha decens vultu, generosis patribus orta,  
 Consilio pollens, medicinæ nobilis arte.  
 At simul Arthurus regni diadema reliquit,  
 Substituitque sibi regem, se transtulit illic  
 Anno quingeno quadragenoque secundo  
 Post incarnatum sine patris semine natum.  
 Immodice læsus Arthurus tendit ad aulam  
 Regis Avallonis : ubi virgo regia, vulnus  
 Illius tractans, sanati membra reservat  
 Ipsa sibi ; vivuntque simul, si credere fas est.

In eadem insula Avalonica sepultum etiam fuisse illum, cujus in superiore<sup>c</sup> capite meminimus, Arthuri consobrinum, sanctum Iltuit, inter Walenses famosissimum, refert Guilielmus Malmesburiensis, cum aliis Glastoniensium antiquitatum descriptoribus : a quibus discedit tamen Johannes Timmuthensis, illius mortem sic enarrans : “ Cum finis vitæ appropinquaret, ad minorem Britanniam regressus, apud civitatem Dolensem, clarus miraculis et signis atque prodigiis celebris, terræ corpus spiritumque Deo commendavit octavo Idus Novembris :” Vincentius Bellovacensis<sup>d</sup>, media fere nocte de carne illum exiisse ; et duorum qui morienti aderant abbatum, unum quidem Atrocilium eadem nocte, alterum vero Isanum post quadraginta dies eum subsecutum fuisse narrat. Isanum vero Balæus<sup>e</sup>, eumque secutus Harpsfeldius<sup>f</sup> atque Pitsius<sup>g</sup>, ipsius Iltuti monasterio (quod in Glamorgania positum fuisse declaravimus<sup>h</sup>) ante Samsonem præfuisse scribit : sed Isano, ut videtur,

<sup>c</sup> Supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 538.

<sup>d</sup> Vincent. specul. historial. lib. 21. cap. 105.

<sup>e</sup> Jo. Balæ scriptor. Britann. centur. 1. cap. 62.

<sup>f</sup> Nic. Harpsfeld. histor. ecclesiastic. Anglic. lib. 1. cap. 27.

<sup>g</sup> Jo. Pits. de Britann. scriptor. ætat. 6. cap. 55.

<sup>h</sup> Supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 539.

pro Piro vel Pyrone (ut eum appellat Vincentius<sup>l</sup>) perpetram substituto. De Iltuti enim cœnobio in vita Samsonis, quæ Landavensi regesto est inserta, leguntur ista.

“Erat non longe a cœnobio insula<sup>k</sup> quædam, in qua monasterium erat constructum a viro nomine Piro. Illuc S. Samson, Deo ducente ac magistro (Iltuto) festinanter perrexit: et ibi gloriosam et angelicam vitam duxit; amabilis moribus, piis insistens operibus, pervigil in orationibus,” posteaque sequitur, “Piro morte prævento, S. Samson ad abbatem illius monasterii ab omnibus est electus. Obediente autem illo, non voluntarie, primatum anno tertio et dimidio illius congregationis tenuit. Postea vero quidam peritissimi Scoti Roma revertentes ad eum venerunt; quos perscrutans, sapientes agnovit, et episcopo (Dubricio) permittente cum illis ad patriam illorum abiit: ibique aliquantulum demorans, ab omnibus religiosis ut Angelus est receptus:” per Scotorum patriam, Hiberniam intelligens: ut ex ea quæ ibi subjicitur narratione manifestum est.

Intra tertium ab excessu Arthuri annum, inter annum videlicet DXLII. et DXLV. “defunctum esse sanctum Danielem<sup>l</sup> Bangorensis ecclesiæ religiosissimum antistitem, Theonum Glocestrensem<sup>m</sup> episcopum in archiepiscopum Londoniarum electum, obiisse<sup>n</sup> sanctissimum urbis legionum archiepiscopum Davidem in Menevia civitate, intra abbatiam suam;” eique, “jubente Malgone Venedotorum rege in eadem ecclesia sepulto, successisse in metropolitana sede Kinocum<sup>o</sup> Lampaternensis ecclesiæ antistitem,” Britannica<sup>p</sup> refert historia. Anno DXLV. et “Arthurum regem inclytum lethaliter vulneratum esse, et S. Danielem Bangorensem episcopum obiisse;” anno vero DXLVII. “S. Davidem legionum archiepiscopum obi-

<sup>l</sup> Vincent. specul. hist. lib. 21. cap. 109. ex cujus collatione, etiam apud Cap-gravium in Samsonis vita, Iltuti nomen pro Pyronis positum observo.

<sup>k</sup> Cum prope Lan-iltut, de qua supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 539. diximus, nulla habeatur insula: videndum an non Maridunensium Lan-elthe sit potius hic intelligenda, cui Bacchannis insula adjacet, non procul ab occiduo limite Morga-nensium.

<sup>l</sup> De quo supra, cap. 5. et cap. 13. op. tom. 5. pag. 110. et 542.

<sup>m</sup> Supra, cap. 5. ibid. pag. 90.

<sup>n</sup> Ibid.

<sup>o</sup> Ibid. et cap. 14. pag. 32.

<sup>p</sup> Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 3.

isse, sepultumque esse in Menevia civitate infra monasterium suum" in Waverleiensis monasterii annalibus legimus: quo eodem anno Dewy (ita enim Davidem appellant Britones) obiisse etiam Wintoniensis cœnobii annales annotant: non præcedente anno DXLVI. ut alii<sup>a</sup>. Verum et Britannicæ historiæ narrationi convenientius, et temporis characteri a Giraldo Cambrensi assignato, qui Kalendas Martias quibus ad Dominum migravit David in tertiam feriam incidisse innuit, ad annum DXLIV. illius obitus fuisset referendus: quo tempore et LXXXII. ætatis exegisset annum, si triginta<sup>r</sup> annis post adventum S. Patricii in Hiberniam natum eum fuisse statuamus. Nam ut annos illi cum Giraldo Cambrensi et Johanne Tinmuthensi CXLVII. tribuamus, aut ad Gregorii<sup>s</sup> Romani excessum usque illius vitam protendamus; animo adhuc nostro persuadere non possumus.

Daniel, ut habet Balæus<sup>t</sup>, " quieti applaudens, ob exercitia sacra, eruditorum apostolicique ordinis collegium in Arvoniam Venedotorum terra instituit, non procul a trajectu in Monam insulam, cui Portus dedit nomen:" ubi nova civitas ab illo Mailgone<sup>u</sup> rege erecta, qui Davidis Menevensis sepulturam curavit, a pulchro vel excelso choro Ban-cor sive Bangoræ nomen postea est adepta. Hujus ecclesiæ Daniel a Dubricio Landavensi primus ordinatus episcopus, cum eodem in insula sepultus est quæ Enhly<sup>w</sup> Cambrice vocatur et lingua Saxonica Berdsey: de qua in vita Ælgari eremitæ legimus: " Insula Enli more Britannico vocatur Roma Britannicæ: propter longinquitatem et periculosum transitum, in extremitate regni sita; et propter sanctitatem loci et honestatem: sanctitatem, cum viginti millia sanctorum ibi jaceant corpora confessorum tanquam martyrum: honestatem, cum sit circumdatæ undique mari," &c. qui sanctorum numerus in ore vulgi adhuc retinetur, yr ugain mil Saint nomine hodieque eos nuncupantis.

Danielis et Davidis æquales, Justinianus, Kynedus,

<sup>a</sup> Supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 105.    <sup>r</sup> Supra, cap. 13. ibid. pag. 508.

<sup>s</sup> Supra, cap. 5. ibid. pag. 105. et 113.

<sup>t</sup> Jo. Balæ, scriptor. Britann. centur. 1. cap. 59.

<sup>u</sup> Supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 161.    <sup>w</sup> Girald. itinerar. Cambr. lib. 2. cap. 6.



Thelias et Paternus fuisse memorantur : quorum in sanctilogio Britanniae Johannes Tinmuthensis, indeque in Johannis Capgravii nova legenda Angliæ, vitæ descriptæ extant. Justinianum relicta Britannia minore patria sua, in insula Limeneia (quæ Ptolemæo Limnus, Britannis Ly-men, Anglis Ramsey nominatur) una cum Honorio regis Thefriauci filio religiosam vitam egisse ; ibique a servis demum peremptus, ad portum a suo nomine vocatum sepultus, indeque ad ecclesiam Menevensem insulæ obiacentem a Davide translatus fuisse dicitur. Dihocum ejusdem minoris Britanniae principem quendam virum incesto stupro propriam filiam polluisse et ex ea Kynedum suscepisse ferunt : qui in provincia nomine Soyr ad unum a regis Arthuri palatio miliare in lucem editus, et in insula quæ Britannice Ynys-Weryn, Latine insula turbæ vocabatur non sine miraculo per octodecim annos educatus, in Glamorgantia (a Morgantio terræ illius principe possessione quadam accepta) cum Davide, Theliao et Paterno necessitudine conjunctus, reliquæ vitæ tempus exegerit : in illa nimirum Glamorgantiae peninsula, quæ Gowera occidentalis appellatur, et ad mare locum S. Keneti sacelli nomine notatum adhuc conservat. Thelias<sup>x</sup>, qui et Eliud et Madocus dictus est, Encisi viri nobilis filius, in loco Ecclus Gunnian appellato natus ; in Scripturis sanctis a Dubricio primum, deinde a Paulino<sup>y</sup> simul cum Davide Menevensi eruditus, ipsi Dubricio in Landavensi et Kinoco vel Cenuco, Davidis successori, in legionensi archiepiscopatu successisse dicitur.

Petranus, gentis Armoricæ vir nobilis, suscepto ex Guæana uxore filio Paterno, Britanniam minorem deserens Hiberniam petiit ; ibique magna vitæ abstinentia et virtutibus Deo placuit. Adolescente jam facto Paterno, octingenti et quadraginta septem monachi ducem eum eligentes, relicta minore Britannia, prospero navigio oras insulæ majoris Britanniae petiisse dicuntur : ubi, ut Johannes Tinmuthensis rem narrat, “ cepit sanctus cum sanctis locum in ecclesia cognomento Mauritania ; et ædificato ibidem monasterio, sub œconomio, præposito et decano

<sup>x</sup> Supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 106. <sup>y</sup> De quo supra, cap. 13. ibid. pag. 530.

statuit: et benedictis fratribus Hiberniam navigavit; et visitato patre suo ac consolato, gratias Deo referebant:” Refert deinde, post reconciliatos ipsius interventu duos reges Hiberniæ inter se dissentientes in Britanniam rediisse, “monasteria et ecclesias per totam Cereticam regionem quæ nunc Cardiganshire appellatur ædificavisse,” Mailgonem illum de quo diximus sive Mailgunum<sup>2</sup> regem borealium Britonum (qui ad debellandos et deprædandos australes Britones cum exercitu veniens, sanctum injuria affecerat) castigavisse, Hierosolymam una cum Davide et Theliao venientem a patriarcha episcopalem ordinem accepisse, atque in ecclesia Mauritania præfata post tantos labores quievisse. Ea autem non alia hic accipienda, quam episcopalis alia ecclesia Lhan-padern vaur appellata: in quo vocabulo decomposito, priora duo membra Fanum Paterni; postremum illud Vaur sive Maur (M. enim et V. consonas in Cambrobritannica lingua permutari inter se notum est) a quo Mauritanix nomen deflexum videri posset, magnum denotat.

Eo in loco per unum et viginti annos illum vixisse ex Johanne, Sulgeni patris vitam enarrante, declaravimus<sup>a</sup>: ubi et Paterni sanctitatem sequenti hoc ille carmine conatus est depingere.

Omnia quæ mundi sunt vana et lubrica cernens;  
 Intendens animo cœlestia numina toto,  
 Devovit Christo totum servire per ævum.  
 Ac etiam sanctum mactans cruciamine corpus,  
 Semper inexhausto persistens valde labore,  
 Orans, jejunans, vigilans, lachrymansque gemensque;  
 Esuris alimenta simul, nexisque levamen,  
 Hospitibus pandens aditum, sitientibus haustum,  
 Ægrotis curam, nudis miseratus amictum:  
 Prudens quæque gerens, perfecit cuncta potenter.  
 Ac sic luciflum meruit conscendere regnum,  
 Cuncti quo sancti miro splendore beantur.

Postquam “Cereticorum ecclesiam”, ut loquitur vetus vitæ illius scriptor, quem in bibliotheca Cottoniana vidimus, “et pascendo rexisset, et regendo pavisset:” a Caradauco rege (qui, ultra terminos Britannix regno propagato, mi-

<sup>2</sup> Vid. supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 112.    <sup>a</sup> Ibid. pag. 114.

norem Britanniam regno suo subjugaverat) in Armoricam revocatus, in Samsonis Dolensis metropolitæ familiaritatem venit. “Statuit<sup>b</sup> autem sanctus Samson, ut quamvis omnis episcopatus terræ sibi censum redderet, sancti tamen Paterni episcopatus liber ab omni homine fieret. Urbs autem Guenet sedes episcopatus sancti Paterni erat. Post hæc congregata synodo, ubi multum ab invidis et falsis fratribus fatigatus extitit, confirmata tamen demum inter ipsum et episcopos unitate pacis; timens ne per intolerantiam illorum aliquo vel tenui modo irasceretur vel læderetur humilitas ejus; terram illam deserens Francos adiit, et decimo septimo calendis Maii in Domino obdormivit. Tres namque ejus solemnitates minoris Britanniae incolæ festive venerantur et colunt: diem videlicet qua pax præfata cum episcopis reformata fuit Kalendis Novembris, et diem qua gradum episcopatus accepit duodecimum Calendis Julii et diem obitus sui”: Habet ista in illius vita Johannes Tinmuthensis: a quo, de loco sepulturæ, scriptor vitæ Ælgari eremitæ, in Landavensi regesto, dissentit; non apud Francos, sed in Enly sive Berdseia Britannorum insula corpus illius conditum fuisse asseverans. Non alia autem est urbs Guenet hic commemorata, quam Vene-torum illa in Armorica, Vennes appellata: in qua integro pene ante hoc tempus seculo synodus est habita, cui Paternus<sup>c</sup>, et ipse quoque, ut hariolantur nonnulli, Venetensis in ea ordinatus episcopus, interfuit: sed alius plane a nostro, quem ego Paternum illum fuisse facile crediderim qui concilio Parisiensi<sup>d</sup> III. circa annum Christi DLX. habito una cum Samsonæ subscripsisse legitur: licet hic Paternum Abrincensem præsullem, cujus ad Aprilis diem decimum sextum<sup>e</sup> apud Surium vita conscripta extat, a Baronio<sup>f</sup> et aliis intelligi non ignorem.

De Samsonæ Eboracensi<sup>g</sup> archiepiscopo, qui e majore Britannia pulsus inter Armoricanos metropolitico suo mu-

<sup>b</sup> Vid. Saussayi martyrolog. Gallican.

<sup>c</sup> Tom. 1. concilior. Galliae, pag. 137. 140.

<sup>d</sup> Ibid. pag. 317.

<sup>e</sup> Nostri quoque Paterni obitus 15. Aprilis contigit.

<sup>f</sup> Baron. ann. 559. sec. 32.

nere functus fuisse traditur, quæ tum occurrerunt, in quinto capite protulinus: quibus et illam Turonensium assertionem, in concertatione cum Dolensi ecclesia anno MCXCIX. coram Innocentio III. instituta, jam visum est adjungere: "Cum<sup>g</sup> olim tota Britannia fuisset Turonensi ecclesiæ tanquam metropoli suæ subjecta; Britannis tandem conspirantibus contra regem Francorum, et proprium sibi constituentibus regem, occasione beati Samsonis quondam Eboracensis archiepiscopi qui, dum in partibus Britanniae pateretur exilium, in Dolensi ecclesia cum archiepiscopalibus insignibus ministrarat, Dolensis ecclesia contra Turonensem supercilium elationis assumpsit; Britannis volentibus sibi novum archiepiscopum, sicut novum regem creaverant, suscitare." Huic autem Eboracensi Samsoni alium successisse Samsonem Dolensem archiepiscopum, ad annum DLXI. affirmat Matthæus Florilegus: eundem nimirum illum, quem cum Paterno concilio Parisiensi adfuisse diximus.

Ejus vita a diversis conscripta, Baldrici historiae pontificum Dolensium, Vincentii Bellovacensis historiali speculo, Johannis Tinnuthensis sanctilogio Britanniae, et bibliothecæ Floriacensi Johannis a Bosco inserta cernitur: quorum biographorum postremus genus ipsius hunc in modum explicat: "Pater<sup>h</sup> S. Samsonis Demetiano ex genere, Amon nomine, exortus est: et mater ejus Anna nomine, de Venetia provincia quæ proxima est eidem Demetiae, exorta est." Ubi per Venetiam Monemuthensis comitatus est intelligendus, Guent Britannis appellatus: Demetia vero non cum Ricemarcho<sup>l</sup> et Caradoco<sup>k</sup> ad agrum Penbrochiensem restringenda, sed cum Galfrido Monemuthensi<sup>l</sup> et Giraldo Cambrensi<sup>m</sup> ad universam australem Walliam extendenda hic est; si quidem in Glamorgania, quæ Monemuthensi proxima est provinciola, natus est Samson, quemadmodum ex Lelando Balæus<sup>n</sup> retulit.

<sup>g</sup> Innocent. III. regest. lib. 2. epist. 79.

<sup>h</sup> Vit. Samson. in Floric. bibliothec. cap. 1.

<sup>l</sup> Ricemarch. in vita Davidis Menev. MS.

<sup>k</sup> Caradoc. in chronico Walliæ. pag. 71. 151. 154.

<sup>l</sup> Galfrid. histor. Britannic. lib. 3. cap. 10.

<sup>m</sup> Girald. descrip. Cambriæ. cap. 2.

<sup>n</sup> Jo. Balæ. script. Britann. centur. 1. cap. 62.

In schola egregii<sup>o</sup> Britannorum magistri Iltuti educatus Samson, ab ejus cœnobio (ut prius<sup>p</sup> dictum) in vicinam insulam trajiciens, sub Piro abbate vixit, eique vita functo in monasterii regimine successit; et quarto post susceptum illud munus anno, cum eruditibus quibusdam Scotis adiit Hiberniam. Inde<sup>q</sup> rediens, Amonem patrem ex insulano illo monasterio eductum, una cum Hibernico abbate quem dæmone liberaverat et quodam fratre presbytero, in eremo juxta Habrinum flumen (Sabrinam Hafren Britanni vocant) collocavit. Ipse ad interiora eremi penetrans, in secretissimo quodam specu diu vitam duxit. Postea abbas in monasterio a S. Germano constructo constitutus, a Dubricio in cathedra B. Petri apostoli collocatus, et episcopus ordinatus est. Demum “ad Armoricas terras Britannicæ gentis, data sibi benedictione patris Dubricii abbatisque Iltuti et totius cleri et populi, recessit:” sed prius, “assumptis quibusdam secum fratribus citra Abrinum mare perrexit, terram matremque suam visitavit, et ecclesiam ab ea factam consecravit.”

Leguntur hæc in Samsonis vita, quæ in Landavensi habetur regesto: cum quibus conferenda quæ in S. Maglorii vita memorantur, a Laurentio Surio edita: “B. Samson, cum semper esset divinis rebus intentus et religioni præcipue addictus, a clero et populo electus est episcopus; et a quibusdam ejus gentis præsulibus, licet invitus, juxta sanctorum patrum decreta est ordinatus. Cum autem diu in ea gente (majoris videlicet Britannicæ) versatus esset: valescit plebi suæ, et cum B. Maglorio nonnullisque clericis et laicis in Britanniam minorem prædicandi causa traiecit. Ubi cum, agente Childeberto<sup>r</sup> Francorum rege, episcopi ministerium accepisset; per omnem regionem illam longe lateque diffusa est fama nominis ejus:” unde etiam cum aliis usu et necessitudine est conjunctus, tum S. Germano<sup>s</sup>; qui Parisiensis factus episcopus, Parisiensi illi de quo diximus cum Samsone subscripsit concilio.

<sup>o</sup> Vit. Samson. in Floriac. biblioth. cap. 3. Vincent. specul. histor. lib. 21. cap. 105.

<sup>p</sup> Supra, pag. 43.

<sup>q</sup> Ex regesto Landavensi.

<sup>r</sup> Vid. supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 97.

<sup>s</sup> Vit. Samson. in Floriac. bibliothec. cap. 10, 11.

Ex Amonis, patris Samsonis, fratre Umbrafele, et Annæ, matris Samsonis, juniore sorore Afrella, in majore Britannia natus est Maglorius: qui cum cognato suo Samsonē, ab Iltuto “ et liberalibus disciplinis, et sacris literis egregie est institutus.” Samson “ patrum<sup>u</sup> Umbrafelem presbyteratus officio jam perfunctum monasterii in Hibernia abbatem” constituit; et postquam episcopus factus est, Maglorium filium ejus diaconum ordinavit, in minorem Britanniam secum abduxit, et in Dolensi sive episcopatu sive archiepiscopatu reliquit successorem. Nam et archiepiscopus Dolensis in Lotharii<sup>w</sup> et Ludovici diplomate nominatus reperitur Maglorius: licet in Turonensis II. concilii hisce temporibus, anno videlicet DLXVII. habiti canone nono metropolitani nomine non alium quam Turonensem archiepiscopum designatum constet; ubi cautum est, “ ne quis Britannum aut Romanum in Armorico, sine metropolitani aut comprovincialium voluntate vel literis, episcopum ordinare præsumat.”

Amonis<sup>x</sup> et Umbrafelis sororem Derwelam sive Darwalam matrimonio conjunxit sibi Wentus comes, Guinicastrensis urbis conditor; atque ex ea jam decrepita filium suscepit, qui Machuti et Maclovii nomen obtinuit. Eum mater sexagesimo sexto (ut aiunt) ætatis suæ anno, nocte vigiliæ Paschatis, in valle Carvana apud Morganenses peperit: ubi et baptizatus puer est et educatus a Brendano Hiberno abbate, qui Lhancarvanensi<sup>y</sup> monasterio post Ellenium præfuit; et Clonafertæ demum in patria sua obiit, anno vel DLXXVII. vel DLXXXIII. nam et utrumque annales nostri Ultonienses indicant, et in utroque dies decimus septimus Calendas Junii in Dominicam incidit; quod quo decessit ille tempore contigisse vitæ scriptor annotat. Maclovius vero in Britannia Armorica Alethæ<sup>z</sup> urbis factus est episcopus, ubi Rinctus<sup>a</sup> annis mare influit:

<sup>t</sup> Vit. Maglorii, apud Surium, tom. 5. Octob. 24.

<sup>u</sup> Vit. Samson. in regesto Landavensi.

<sup>w</sup> Vid. theatr. antiquitat. Paris. Jacobi Breullii.

<sup>x</sup> Vit. Machut. in bibliotheca Floriacensi a Jo. Bosc. edit. cap. 1. et 8.

<sup>y</sup> Vid. supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 530.

<sup>z</sup> Supr. cap. 12. op. tom. 5. pag. 486.

<sup>a</sup> Rancee.

a qua, duodecimo post Christum seculo, Johannes de Craticula sedem episcopalem in peninsulam duobus passuum millibus inde distantem, insulam Aaron prius dictam, transtulit; ubi nunc urbs Macloviensis sive S. Malo, ab hoc primo suo præsule nomen sortita. Is vero ubi Alethæ quadraginta<sup>b</sup> sedisset annis, a malevolis civibus episcopatu pulsus, maledictis<sup>c</sup> Britannis (Aremoricis utique non, ut Magdeburgenses<sup>d</sup> centuriatores habent, Anglis) in Gallias abiit; ubi a Leontio Santonum (non Saxonum; ut iidem, vitiata Sigebertini chronici exemplaria secuti, retulerunt) episcopo humaniter est exceptus. Britannos demum, post septennalem terræ suæ cladem veniam postulantes, data rursum benedictione absolvit: et apud Santones decimo septimo Calendas Decembris in Dominicæ noctis conticinio vita finita, extra urbis muros honorifice sepultus est a Leontio, non Burdegalensi (ut Baronio<sup>e</sup> est visum) sed Santonensi episcopo; quem Remensi concilio circa annum DCXXX. habito interfuisse Flodoardus<sup>f</sup> author est. Inter *μακροβίους* enim Machutus numeratur: utpote cui ultra ætatem centenariam, triginta quidem annos Sigebertus<sup>g</sup>, triginta vero et tres Johannes Tinmuthensis, ex quo suam Machuti legendam mutuatus est Capgravius, et Floriacensis<sup>h</sup> bibliothecæ biographus (sive Bilius Armoricanus diaconus is fuerit sive quis alius) attribuit. Videndumque, ex præcedentibus, an non ad hunc spectet, quod magistro ipsius Brendano ex Eusebio, vel Eusebiani potius chronici continuatore Sigeberto, attribuit Johannes de Garlandia, in libro septimo elegiarum suarum.

Fracta pace Deus irascitur: edocet illud  
 Prælustri sancto Scotia clara viro.  
 Brandanus Eusebio maledixit teste Britannos:  
 Iccirco flebant multa pericla pati.

<sup>b</sup> Johan. Tinmuthensis, in vita Machuti.

<sup>c</sup> Sigebert. in chronic. et eum secutus Matthæus Florilegus, ann. 561.

<sup>d</sup> Centur. 6. cap. 10. col. 7. 53.

<sup>e</sup> Baron. ann. 566. sec. 19.

<sup>f</sup> Flodoard. histor. Remens. eccles. lib. 2. cap. 5.

<sup>g</sup> Sigebert. Gemblac. in vit. Maclovii, cap. 26. apud Surium, tom. 6. Novemb. 15.

<sup>h</sup> Vit. Machut. cap. 16.

Trans mare se misit, et eos prece solvit eorum ;  
 Et peregre licuit ire venire viro.  
 Frangentes igitur pacem maledictio franget ;  
 Gratia nec fractos quæ reparabit erit.

In Britannia sancti Leonorii episcopi et confessoris memoriam Calendis Juliis celebrari, in additionibus ad Usuardi martyrologium Johannes Molanus annotat. Pater illi nobilissimus Britannus fuisse dicitur nomine Hoeloc, mater Almapompa, magister toties a nobis laudatus Itutus sive Heltutus, vir sapientissimus. Postquam " divina dispositione factus esset episcopus, cum septuaginta duobus discipulis et aliis servitio fratrum deputatis, navim ascendit, et in Galliam transivit: ubi cum fratribus suis sylvam complanavit. Illo autem tempore Childebertus rex Franciæ imperabat simulque Britannicæ transmarinæ." Ita vitæ Leonorii<sup>1</sup> scriptor: qui in majori degens Britannia, transmarinæ nomine Armoricam intelligit, ut et Childeberti appellatione primi Christiani Francorum regis Clodovei filium; a quo, et conjuge ipsius Ultrogodi, quam Gregorius Turonensis<sup>k</sup> Wltrogotham, Venantius Fortunatus<sup>l</sup> Ultrogothonem vocat, et optimatibus regni, sanctum antistitem honorifice exceptum fuisse narrat. Addit idem Commorum quendam eo tempore ducatum Britannicæ Armoricæ occupavisse, excluso legitimo hærede Indualo, ducis Britanni Rigualdi filio, de quo in vita huic æqualis Samsonis, Landavensi registro inserta, ita legimus: " His diebus comes Commorus externus omnibus Britannis præerat: qui Ionam Britannorum indigenam comitem occiderat, filiumque ejus Indualum regi Hildeberto et reginæ in captivitate custodiendum tradiderat:" quomodo etiam Indualum filium Ionæ filii Riadan, in ejusdem Samsonis vita, quam<sup>m</sup> Johannes a Bosco in lucem dedit, appellatum invenimus.

Gildam Britonem floruisse Pelagio secundo pontifice Romano, qui factus est pontifex circiter annum salutis

<sup>1</sup> Histor. Francor. scriptor. ab Andrea du Chesne edit. tom. 1. pag. 536.

<sup>k</sup> Gregor. histor. Francor. lib. 4. cap. 20. et lib. 5. cap. 43.

<sup>l</sup> Fortunat. lib. 6. epigram. 8.

<sup>m</sup> Vit. Samson. in Floriacensi bibliotheca, cap. 4.



humanæ DLXXX. scribit Polydorus Vergilius<sup>a</sup>: Radulpho de Diceto quoque id similiter attestante; qui Gildam Britonum gesta flebili sermone descripsisse anno incarnati Verbi DLXXXIV. affirmat. Johannes Trithemius<sup>o</sup>, "Gildam discipulum B. Eltuti abbatis et condiscipulum S. Samsonis Dolensis episcopi claruisse anno DC. in Britannia," asserit. Nos in fine capitis præcedentis anno DLXIV. a Gilda scriptum fuisse collegimus hoc quod unicum illius extat opuseulum: in quo, quæ rerum facies per annos XLIV. a victoria Badonica ad illud tempus usque, in Britannia fuerit; his ille verbis explicat: "Sed ne nunc quidem ut antea civitates patriæ inhabitantur, sed desertæ dirutæque hactenus squalent: cessantibus licet externis bellis, sed non civilibus. Hæsit etenim tam desperati insulæ excidii, insperatique mentio auxilii memoriæ eorum qui utriusque miraculi testes extitere: et ob hoc reges, publici, privati, sacerdotes, ecclesiastici suum quique ordinem servarunt."

"At illis decedentibus, cum successit ætas tempestatis illius nescia, et præsentis tantum serenitatis experta; ita cuncta veritatis ac justitiæ moderamina concussa ac subversa sunt, ut earum non dicam vestigium, sed ne monumentum quidem in supradictis propemodum ordinibus appareat: exceptis paucis, et valde paucis, qui ob amissionem tantæ multitudinis, quæ quotidie prona ruit ad tartara, tam brevis numerus habentur; ut eos quodammodo venerabilis mater Ecclesia in suo sinu recumbentes non videat, quos solos veros filios habet. Quorum ne quis me egregiam vitam omnibus admirabilem Deoque amabilem carpere putet, quibus nostra infirmitas in sacris orationibus, ut non penitus collabatur, quasi columnis quibusdam ac fulcris saluberrimis sustentatur, si qua liberius de his, imo lugubris, cumulo malorum compulsus, qui serviunt non solum ventri sed Diabolo potius quam Christo, qui est benedictus in

<sup>a</sup> Polyd. Vergil. epist. ad Cuthbert. Tonal. Londinens. episc. præfix. Gildæ a se edito, anno 1525.

<sup>o</sup> Trithem. de vir. illustr. ord. Benedicti, lib. 3. cap. 47.

secula Deus, non tam disceptavero quam deflevero. Quippe quid celabunt cives, quod non solum norunt, sed exprobrant jam in circuitu nationes?"

Atque hic contextus Gildæ filum abrumpitur in MS. Cantabrigiensi academiae codice; quem a Cormaco quodam descriptum fuisse, carmen hoc ad libri calcem adjectum indicat:

Historiam Gildæ Cormac sic perlege scriptam  
 Doctoris digitis, sensu culluque redactam.  
 Hæc tenues superat, nullos carpitque superbos.

Cum enim historica tantum excerptenda sibi Cormacus proposuisset: non modo totam illam Gildæ flebilem querelam et acrem sui temporis hominum castigationem, quæ pars libri est multo maxima, sed etiam longissimam præfationis ipsius partem prætermittendam sibi putavit; quæ in Cantabrigiensi exemplari ita decurtata legitur.

"In hoc libro quicquid deflendo potius quam declamando, vili licet stylo tamen benigno, fuero prosecutus, ne quis me affectu cunctos spernentis omnibusve melioris (quippe qui commune bonorum dispendium malorumque cumulum lacrymosis querelis defleam) sed condolentis patriæ incommoditatibus miserisque ejus ac remediis condelectantis, edicturum putet. Quia vero non tam fortissimorum militum enunciare trucis belli pericula velut statutum est, quam desidiosorum, silui<sup>9</sup>: fateor, cum immenso mentis dolore et animi compunctione cordisque contritione et adtonito sensu, sæpius hæc omnia in animo revolvere. Et, ut mihi renum scrutator testis est Dominus, spatio bilustri temporis vel eo amplius prætereuntis, imperitia, sicut et nunc, una cum charissimis me amicis imperantibus, ut qualemcunque gentis Britannicæ historiolam sive admonitiunculam scriberem. In zelo igitur domus Domini, sacræ legis, seu cogitatum rationibus, vel fratrum religiosis precibus coactus, nunc persolvo debitum

<sup>9</sup> In libris editis, et brevius et multo rectius, legitur. "Silui, fateor, cum immenso cordis dolore (ut mihi renum scrutator testis est Dominus) spatio bilustri temporis vel eo amplius prætereuntis; imperitia, sicut et nunc, una cum vilibus me meritis inhibentibus, ne qualemcunque admonitiunculam scriberem."

multo tempore antea exactum: vile quidem stylo, sed fidele (ut puto) et amicale quibusque egregiis Christi tyronibus; grave vero et importabile apostatis insipientibus, quorum priores (ni fallor) cum lachrymis forte quæ ex Dei charitate profluunt: alii enim atque cum tristitia (sed quæ de indignatione et pusillanimitate deprehensæ conscientiæ extorquetur) illud excipient. Igitur, Deo volente, pauca de situ Britanniæ, de contumacia, &c. dicere conamur."

In ipso vero opere, post temporum superiorum historiam explicatam, ad suæ ætatis hominum castigationem Gildas deveniens, reges primum et iudices, episcopos deinde et totum sacerdotalem ordinem aggreditur: a regum et iudicum objurgatione isto ducto principio: "Reges habet Britannia sed tyrannos, iudices habet sed impios; sæpe prædantes et concutientes, sed innocentes; vindicantes et patrociantes, sed reos et latrones; quamplurimas conjuges habentes, sed scortantes et adulterantes, crebro jurantes, sed perjurantes; voventes, et continuo propemodum mentientes; belligerantes, sed civilia et injusta bella agentes; per patriam quidem fures magnopere insectantes, et eos qui secum ad mensam sedent [latrones<sup>r</sup>] non solum amantes sed et munerantes; eleemosynas largiter dantes, sed e regione immensum montem scelerum exaggerantes; in sede arbitraturi sedentes, sed raro recti iudicii regulam quærentes; innoxios humilesque despicientes, sanguinarios, superbos, parricidas, commanipulares et adulteros Dei inimicos (si fors, ut dicitur, tulerit) qui cum ipso nomine certatim delendi erant, ad sidera prout possunt, efferentes; vinctos plures in carceribus habentes, quos dolo sui potius quam merito proterunt, catenis onerantes; inter altaria jurando demorantes, et hæc eadem ac si lutulenta paulo post saxa despicientes."

A generali deinde principum reprehensione, ad singularem quinque regulatorum castigationem, qui simul eo tempore diversis insulæ partibus præfuerant, descendit Gildas. Ubi Britannicæ historiæ scriptores similiter pec-

<sup>r</sup> Vit. Gildæ. cap. 15. in bibliotheca Floriac. Johan. a Bosco.

casae possent videri, atque Theophilus Antiochenus<sup>5</sup> fecerat; dum reges illos, quos ex initio capituli decimi quarti Geneseos diversis simul populis praesedissemus, in uno et eodem regno sibi invicem successisse tradidit. Sic enim et Monemuthensis Galfridus<sup>6</sup>, “Inclutum illum regem Arthurum lethaliter vulneratum cognato suo Constantino filio Cadoris ducis Cornubiæ (quæ Gildæ est Damnonia) diadema Britanniae concessisse narrat, anno ab incarnatione Dominica DXLII.” Venedotiae sive septentrionalis Walliæ rege eodem tempore existente Malgone; qui Cambro-Britannis Maelgun Guineth sive Mailgo Venedotus, Gildæ Maglocunus nuncupatur. Exin tertio<sup>7</sup> anno interfecto Constantino, nepotem ipsius Aurelium Conanum, qui Gildæ Caninus potius, et Cambricis scriptoribus Kynan Wledic est dictus, monarchiam totius insulae tenuisse refert: eoque secundo regni sui anno defuncto, Wortiporium (qui Gildæ Vortiporius etiam est, et Cambrorum Gwyrthefyr) “monarchiam totius regni adeptum, populum quatuor annis gubernavisse cum diligentia et pace,” successore relicto Malgone sive Maglocuno illo. Qua ratione, ut anno DXLII. Constantinus; ita DXLV. Aurelius Conanus, DXLVII. Vortiporius, et DLI. Malgo Britannicam monarchiam obtinuisset: quanquam ad annum DLXXXVIII. Vortiporii, et DLXXXI. Malgonis initium Matthæo Florilego referre libeat. Cum quibus nostrum Gildam, qui hos omnes veluti uno et eodem tempore regnantes pariter alloquitur, vix aliter conciliare possumus; quam si intra imperantis Constantini triennium non hunc solum epistolam suam scripsisse, sed praeterea etiam, ut Malgonem sive Maglocunum, quod ipse quoque Galfridus agnoscit, in Venedotia, et Vortiporium, quod Gildas indicat, in Demetia, ita Aurelium Conanum in Powisia vel alia aliqua provincia regnavisse dicamus, et suo quemque ordine deinceps in Britannici imperii monarchia successisse: quanquam nec cum tempore quo libellum hunc a Gilda exaratum fuisse diximus, nec cum Gilda ip-

<sup>5</sup> Theophil. lib. 2. ad Autolic.

<sup>6</sup> Histor. Britannic. lib. 12. cap. 2. et 5. sequentib.

<sup>7</sup> vel *quarto*; ut alia legunt exemplaria.

so satis hoc convenit, qui Constantinum eo tempore non Britannici regni monarcham, sed Damnoniæ sive Cornubiæ tyrannum fuisse innuit. Ut acriorem illam, quam in Galfridum Monemuthensem Guilielmus Neubrigensis hic tulit, sententiam prætereamus: “ De successoribus Arthuri pari impudentia mentitur; tribuens eis usque ad septimam fere generationem Britanniae monarchiam:” sed ipsum jam Gildanum contra Constantinum fulgurantem et tonantem audiamus.

“ Cujus tam nefandi piaculi non ignarus est immundæ læanæ” Damnoniæ tyrannicus catulus Constantinus: qui HOC ANNO post horribile juramenti sacramentum, quo se devinxit nequaquam dolos civibus, Deo primum, jureque jurando sanctorum demum choris et genetrice comitantibus fretis, facturum; in duarum venerandis matrum sinibus ecclesiæ carnalisque sub sancti abbatis amphibalo latera regionum tenerrima puerorum, vel præcordia crudeliter duum totidemque nutritorum, quorum brachia nequaquam armis, quæ nullus pene hominum fortius hoc eis tempore tractabat, sed Deo altarique protenta in die judicii ad tuæ civitatis portas, Christe, veneranda patientiæ ac fidei suæ vexilla suspendent, inter ipsa (ut dixi) sacrosancta altaria, nefando ense hastaque prodentibus laceravit; ita ut sacrificii cœlestis sedem purpurea ac si coagulati cruoris pallia attingerent.”

“ Et hoc ne post laudanda quidem merita egit. Nam multis ante annis, crebris alternatisque factoribus adulteriorum victus, legitima uxore contra Christi magistrique gentium interdictum depulsa dicentium: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: et; *Viri, diligite uxores vestras*. Amarissima enim quoddam de vite Sodomorum in cordis sui infructuosa bono semini gleba sureculamen incredulitatis et insipientiæ plantaverat: quod vulgatis domesticisque impietatibus velut quibusdam venenatis imbribus irrigatum, et ad Dei offensam avidius se erigens, parricidii sacrilegiique crimen produxit in medium. Sed nec adhuc priorum retribus malorum expeditus, priscis recentia auget malis.”

¶ Ezech. cap. 19. ver. 2.

\* Matth. cap. 19. ver. 6.

‡ Coloss. cap. 3. ver. 19.

Illud vero ab eo patratum homicidium magis explicite Galfridus<sup>z</sup> sic enarrat, “Duos filios Modredi cepit: et alterum juvenem Guintoniæ, in ecclesiam sancti Amphibali fugientem, ante altare trucidavit; alterum vero Londoniis in quorundam fratrum cœnobio absconditum, atque tandem juxta altare inventum, crudeli morte affecit:” et Matthæus Florilegus, “Duo filii Modredi insurrexerunt in regem Britonum Constantinum, volentes patrem vindicare: qui Saxonibus confœderati, prælia plurima commiserunt. Quos tandem Constantinus in fugam pulsos persequens, unum Wintoniæ in ecclesia sancti Amphibali ante altare trucidavit; alterum vero Londoniæ, in quorundam fratrum cœnobio absconditum, crudeli morte damnavit.” Ita Matthæus, ad annum gratiæ DXLIII. quo scriptam hanc a Gilda epistolam fuisse oportuisset, si hujus chronologia ut vero consentanea esset admittenda. Ubi illud de ecclesia sancti Amphibali, ex Gildæ textu vitiatum originem traxisse existimaverim: apud quem, *sub sancto abbate Amphibalo*, in aliquibus codicibus, et nominatim iis quos in sua editione Polydorus est secutus, legebatur. Unde et novum Amphibalum Simenum, Wintoniæ ad Amphibali martyris fanum abbatem, qui ad ipsum etiam Gildam de tam immani facinore epistolam scripsisse diceretur, extudit nobis Johannes Balæus<sup>a</sup>, et eum secutus Johannes Pitsius<sup>b</sup>. Atqui in vetustissimo Gildæ codice, *sub sancti abbatis amphibalo*, uti a Josselino est editum, scriptum ipsi vidimus; hac quoque adjecta glossula, *id est, byrro vel dubio*. Et quidem in glossis quæ Isidoro tribuuntur, exponitur Amphibulum, birrum villosum: quod birri vocabulum ne cum Bonaventura Vulcanio hic rejiciamus, movet nos locus ille Vincentii de Deicola<sup>c</sup>, Columbani nostri discipulo: “Birrum suum, quem Græci amphibulum vocant, deponere voluit refrigerandi gratia.” Et<sup>d</sup> ut Græcis ἀμφίβολου (sic enim aliquando hoc vestimenti genus dic-

<sup>z</sup> Histor. Britannic. lib. 11. cap. 4.

<sup>a</sup> Balæ. scriptor. Britann. centur. 1. cap. 63.

<sup>b</sup> Pits. de Britann. scriptorib. ætat. 6. num. 46.

<sup>c</sup> Vincent. specul. historial. lib. 23. cap. 4.

<sup>d</sup> Vid. Jo. Meurusii Glossar. Mixobarbar. in voc. Βίρρος et Αμφίβαλ. c. Cl. Salmas. in Flav. Vopisc. pag. 391. et 398.

tum reperitur) dubium, ita ἀμφίβαλον idem quod ἀμφίμαλλον et ἀμφίταπον denotat, quod utrinque villosum est scilicet; ut quasi dubium videri posset, utrum latus interior vel exterior gestaretur. Interim amphibalum vestis externæ genus esse quoddam, qua clerici et monachi olim utebantur, ex Sulpicio Severo<sup>e</sup> in vita Martini et Remigio Remensi episcopo in testamento<sup>f</sup> suo et Adamnano<sup>g</sup> in vita Columbæ manifeste deprehenditur. Ut ex minus intellecto isto Gildæ loco, et Amphibali martyris nomen a Galfrido<sup>h</sup> primum effictum, et Wintoniensi ecclesiæ deinde affictum fuisse, aliqua fortasse hinc commoveri possit suspicio.

Ad Gildam jam redeo: qui ad Constantinum deinceps hac utitur apostropha: “Age jam quasi præsentem arguo, quem adhuc superesse non nescio. Quid stupes animæ carnifex propriæ? Quid tibi flammam inferni voluntarie accendis nequaquam defecturas? Quid inimicorum vice propriis te confodis sponte ensibus, hastis? Anne ipsa quidem virulenta scelerum ac si pocula pectus tuam satiare quiverunt? Respice quæso, et veni<sup>i</sup> ad Christum, siquidem laboras, et immenso pondere curvaris: et ipse te (ut dixit) requiescere faciet. Veni<sup>t</sup> ad eum qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur et vivat. Dissolve<sup>l</sup>, secundum prophetam, vincula colli tui fili Sion. Redim<sup>m</sup>, rogo, e longinquis licet peccatorum recessibus ad piissimum patrem, qui despicienti porcorum sordidos cibos ac pertimescenti diræ famis mortem et revertenti sibi lætus occidere consuevit vitulum filio saginatum, et proferre primam erranti stolam, et regium annulum: et tunc spei cœlestis acsi saporem prægustans<sup>n</sup>, senties quam suavis est Dominus. Nam si hæc contempseris; scias te inextricabi-

<sup>e</sup> Sulp. Sever. sub init. dialogi 2. de virtutib. Martin. vid. et lib. 2. de gloria confessorum, cap. 59.

<sup>f</sup> Flodoard. histor. eccles. Remens. lib. 1. cap. 18.

<sup>g</sup> Adamnan. de S. Columb. lib. 1. cap. 3. et lib. 2. cap. 6. edit. H. Canisii.

<sup>h</sup> Galfrid. histor. Brit. lib. 5. cap. 5. et lib. 6. cap. 5. vid. supra, cap. 7. op. tom. 5. pag. 181.

<sup>i</sup> Matth. cap. 11. ver. 28.

<sup>k</sup> Ezech. cap. 33. ver. 11.

<sup>l</sup> Isai. cap. 52. ver. 2.

<sup>m</sup> Luc. cap. 15.

<sup>n</sup> Psal. 34. ver. 8. (al. Psal. 33. ver. 9.)

libus tenebrosisque ignium torrentibus janjamque inferni rotandum urendumque.”

Constantinum post hæc non tantum resipuisse, sed etiam martyrio vitam finivisse, sunt qui ferant: de quo in historiæ Scotorum libro nono retulit hæc Hector Boethius: “Hunc Constantinum scribunt nonnulli Gualiaë regno aliquot annos administrato liberis et conjuge orbatum, terreni regni pertæsum, clam suis abiisse in Hiberniam, ibique in pistrino pauperum obsequiis amore Christi aliquandiu deservisse incognitum. Inde monachi suasu, cui quis esset patefecerat, tonso capite sacratum cœnobio inter pium cœtum Christi militiæ devotum imitandæ virtutis fratribus se præstitisse exemplum. Ad Scotosque tandem missum a loci antistite, ut populum Christi dogmate erudiret, impiorum manibus passum martyrium. Cui aliquot post secula relato in divorum numerum templa nonnulla sacrorum pontificum autoritate dicata inter nostrates adhuc conspiciuntur.” Ad undecimum diem Martii natalem illius celebratum, in martyrologio Germanico confirmat Petrus Canisius.

Thomas Dempsterus<sup>1</sup> (eadem, opinor, fide qua Constantini hujus, ut Anglorum Guallorum regis, meminisse Bedam perridicule asseruerat) ne inter scriptores locum ille non haberet, ex catalogo Sconano hos operum ipsius recenset titulos:

Meditationes, librum unum.

Ad fratres Homilias, librum unum.

De regno amisso, librum unum.

De hostium suorum crudelitate epistolas ad Convallum Scotorum regem, librum unum.

Psalterium, librum unum.

Quid vero de hoc aliud apud Anglicanarum rerum commentatores ille invenerit, nescio: in Britannica<sup>m</sup> certe historia, non martyrium in Scotia perpressum, sed domi vel a Conano successore interemptum vel Dei sententia percussum, intra lapidum structuram, quæ Stanhenge nuncupatur, non

<sup>1</sup> Dempster. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 3. num. 258.

<sup>m</sup> Galfrid. Monemuth. lib. II. cap. 4.



longe a Sarisburiasepultum eum fuisse legimus. Cum tamen Damnoniæ sive Cornubiæ tyrannum Constantinum suum Gildas fuisse indicet: videndum an non ad eum etiam spectet quod de Constantino Cornubiensium rege (ducem Cornubiæ Giraldus Cambrensis eum nominat) apud Johannem Tinmuthensem in vita Davidis Menevensis proditum invenimus: "Constantinus Cornubiensium rex, relicto regno suo, in ejus monasterio monachus effectus est: ibique diu felici conversatus servitio, tandem in aliam longinquam patriam migrans monasterium fundavit."

Jam relicto Constantino ad Aurelium, sive Conanum sive Caninum, Gildas sermonem sic convertit: "Quid tu quoque, ut propheta<sup>n</sup> ait, catule leonine Aureli Canine agis? Nonne eodem quo supradictus (si non exitiabilior) parricidiorum, fornicationum adulteriorumque cœno velut quibusdam marinis irruentibus tibi voraris feraliter undis? Nonne pacem patriæ mortiferum ceu serpentem odians, civiliaque bella et crebras injuste prædas sitiens, animæ tuæ cœlestis portas pacis ac refrigerii præcludis? Relictus, quæso, jam solus, ac si arbor in medio campo arecens, recordare patrum fratrumque tuorum supervacuum phantasiam juvenilem immaturamque mortem. Num centenis<sup>o</sup> tu ob religiosa merita, vel coævus Mathusalæ, exceptus<sup>p</sup> pene omni prole servaberis? Nequaquam. Sed, nisi citius (ut Psalmista<sup>q</sup> ait) conversus fueris ad Dominum, ense in te vibrabit in brevi suum rex ille, qui per prophetam, *Ego, inquit, occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo; et non est, qui de manu mea possit eruere.* Quamobrem excutere<sup>r</sup> de fœtido pulvere tuo, et convertere ad eum toto corde, qui creavit te; ut cum exarserit<sup>t</sup> in brevi ira ejus, beatus sis sperans in eum: sin alias, æternæ te manebunt pœnæ, conterendum sæva continue et nequaquam absumendum tartari fauce." Hæc Gildas ad Aurelium: quem patrati parricidii et excitati belli civilis ita etiam insimulat historia Britannica. "Miræ<sup>u</sup>

<sup>n</sup> Ezech. cap. 19. ver. 2.

<sup>p</sup> Al. ez.

<sup>r</sup> Deut. cap. 32. ver. 39.

<sup>t</sup> Psalm. 2. ver. 12.

<sup>o</sup> centennis.

<sup>q</sup> Psalm. 7. ver. 13.

<sup>r</sup> Esai. cap. 52. ver. 2.

<sup>u</sup> Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 5.

probitatis juvenis, monarchiam totius insulae tenens, ejusdem diademate dignus esset, si non foret civilis belli amator. Avunculum etenim suum, qui post Constantinum regnare debuit, inquietavit atque in carcerem posuit; ejusque duobus filiis peremptis, regnum obtinuit."

Ad Demetarum deinde regem Vortiporium veniens Gildas, ita eum alloquitur. " Quid tu quoque pardo similis moribus et nequitiis discolor; canescente jam capite, in throno dolis pleno, et ab imis vertice tenus diversis parricidiis et adulteriis constuprato, boni regis nequam fili (ut Ezechiae Manasses) Demetarum tyranne Vortipori, stupide riges? Quid te tam violenti peccatorum gurgites, quos ut vinum optimum sorbes, imo tu ab eis voraris, appropinquante sensim vitae limite non satiant? Quid quasi culminis malorum omnium stupro, propria tua amota conjugē, ejusdemque honesta morte impudentis filiae, quodam ineluctabili pondere miseram animam oneras? Ne consumas (quaeso) dierum quod reliquum est in Dei offensam: quia nunc<sup>w</sup> tempus acceptabile et dies salutis vultibus poenitentium lucet; in quo bene operari potes, ne<sup>x</sup> fiat fuga tua hyeme vel Sabbato. *Diverte*, secundum Psalmistam<sup>y</sup>, *a malo, et fac bonum; inquire pacem bonam et sequere eam: quia oculi Domini super te bona agentem, et aures ejus erunt in preces tuas; et non perdet de terra viventium memoriam tuam. Clamabis, et exaudiet te; et ex omnibus tribulationibus tuis eruet te. Cor<sup>z</sup> siquidem contritum et humiliatum timore ejus nusquam Christus spernit. Alioquin vermibus<sup>a</sup> tortionis tuae non morietur, et ignis ustionis tuae non extinguetur."*

Quarto deinde loco Cuneglasi sequitur reprehensio; cujus nulla in Britannica historia relicta nobis est memoria: " Ut quid in nequitiae tuae volveris vetusta faece, et tu ab adolescentiae annis urse multorum sessor, aurigaque currus receptaculi ursi, Dei contemptor sortisque<sup>b</sup> ejus

<sup>w</sup> 2 Cor. cap. 6. ver. 2.

<sup>x</sup> Matth. cap. 24. ver. 20.

<sup>y</sup> Psalm. 34. ver. 14, 15, 16, 17. (al. Psalm. 33. ver. 15, 16, 17, 18.)

<sup>z</sup> Psalm. 51. ver. 17. (al. Psalm. 50. ver. 19.)

<sup>a</sup> Esai. cap. 66. ver. 24. Marc. cap. 9. ver. 44.

<sup>b</sup> cleri. vid. Camden. pag. 71.

depressor, Cuneglase, Romana lingua lanio fulve? Quare tantum certamen tam hominibus quam Deo præstas? hominibus, civibus scilicet, armis specialibus, Deo infinitis sceleribus. Quid præter innumerabiles casus, propria uxore pulsa, furciferam germanam ejus perpetuam Deo viduitatis castimoniam promittentem, ut poeta ait, summam ceu teneritudinem cœlicolarum tota animi veneratione vel potius hebetudine nympharum (contra interdictum apostoli<sup>c</sup>, denegantis posse adulteros regni cœlestis esse municipes) suspicis? Quid gemitus atque suspiria sanctorum propter te corporaliter versantium<sup>d</sup>, vice immanis lænæ dentium ossa tua quandoque fractura, crebris instigas injuriis? Desine quæso, ut propheta<sup>e</sup> ait, *ab ira, et derelinque* exitiabilem, ac temetipsum maceraturum, quem cœlo ac terræ, hoc est, Deo gregique ejus spiras, furorem; fac eos potius mutatis pro te orare moribus, quibus potestas suppetit supra mundum alligandi cum in mundo reos alligaverint, et solvendi cum pœnitentes solverint. *Noli*, ut ait apostolus<sup>f</sup>, superbe *sapere, vel sperare in incerto divitiarum, sed in Deo qui præstat tibi multa abunde*; ut per emendationem morum *thesaurizes tibi fundamentum bonum in futurum, et habeas veram vitam*, perennem profecto, non deciduam. Alioquin scies, et videbis etiam in hoc seculo, quam malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te; et in futuro tetro ignium globo æternorum te exuri, nec tamen ullo modo mori. Siquidem tam sceleratorum sicut perpeti immortales igni animæ, quam sanctorum lætitiæ.”

Agmen claudit Maglocunus: quem, ut primum in malo, licet ordine in epistola positum novissimum, sic insectatur Gildas et exagitat: “ Quid tu etiam insularis draco, multorum tyrannorum depulsor tam regno quam etiam vita, (supradictorum novissime in nostro stylo, prime in malo) major multis potentia simulque malitia, largior in dando, profusior in peccato, robuste armis, sed animæ fortior excidiis, Maglocune, in tam vetusto scelerum atramento, veluti madidus vino de Sodomitana vite expresso, stolide vo-

<sup>c</sup> 1 Cor. cap. 6. ver. 9, 10.

<sup>e</sup> Psalm. 7. (al. 36.) ver. 8.

<sup>d</sup> al. *mœrentium*.

<sup>f</sup> 1 Timoth. cap. 6. ver. 17, 19.

lutaris? Quare tantas peccaminum regiæ cervici sponte (ut ita dicam) ineluctabiles celsorum ceu montium innectis moles; Quid te non ei regum omnium regi, quem cunctis Britanniae ducibus tam regno fecit, quam status lineamento editiorem, exhibes cæteris moribus meliorem, sed versa vice deteriorem?"

Atque hinc hausta omnino sunt, quæ de Malgone tradita leguntur in Britannica historia: "Malgo<sup>g</sup> omnium fere Britanniae pulcherrimus, multorum tyrannorum depulsor, robustus armis, largior cæteris; et ultra modum probitate præclarus, nisi Sodomitana peste volutatus, sese Deo invisum exhibuisset. Hic etiam totam insulam obtinuit: et sex comprovinciales oceani insulas, Hiberniam videlicet, atque Islandiam, Godlandiam, Orcades, Norwegiam, Daciam, adjecit dirissimis præliis potestati suæ." Quod enim multorum tyrannorum depulsor, robustus armis, largior fuerit cæteris; ipsis Gildæ verbis a Galfrido Monemuthensi est expressum. Quia vero insularem draconem Gildas eundem appellaverat; inde accepta est occasio, ut "sex comprovinciales oceani insulas adjecisse dirissimis præliis potestati suæ" diceretur. Qui, ut alterum Saulem<sup>h</sup>, cunctis pene Britanniae ducibus status lineamento editiorem depinxit eum Gildas; omnium fere Britanniae pulcherrimum fuisse Galfridus tradidit: quia denique veluti madidus vino de Sodomitana vite expresso a Gilda est inductus; Sodomitana peste volutatum Monemuthensis autumat: quum tamen non singulare aliquod flagitium, sed universum scelerum molem, phrasi illa ex Jeremiæ capite vigesimo tertio, versu nono, et Deuteronomii capite trigesimo secundo, versu trigesimo secundo conflata, Gildas designaverit: eodem prorsus modo, quo Constantinum "amarissima quoddam de vite Sodomorum in cordis sui gleba surculamen incredulitatis et insipientiæ plantavisse," jam ante pronuntiaverat. Ab accusatione autem ista generali, ad vitiorum Maglocuni enumerationem hanc particularem descendit Gildas.

<sup>g</sup> Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 7.

<sup>h</sup> 1 Sam. cap. 10. ver. 23.

“ Quorum indubitam æquanimiter convitiatorum auctulato parumper adstipulationem (omissis domesticis, levioribusque si tamen aliqua sunt levia) palatâ solum longe lateque per auras admissa testaturam. Nonne in primis adolescentiæ tuæ annis avunculum regem, cum fortissimis propemodum militibus, (quorum vultus non catulorum leonis in acie magnopere dispares visebantur) acerrime ense, hasta, igni oppressisti? parum cogitans propheticum dictum: *Viri sanguinum et doli non dimidiabunt dies suos.* Quid pro hoc solo retributionis a justo iudice sperares (etsi non talia sequerentur, quæ sequuta sunt) itidem dicente per prophetam: *Væ<sup>k</sup> tibi qui prædaris; nonne et ipse prædaberis? et qui occidis; nonne et ipse occideris? et cum desiveris prædari, tunc cades:* Nonne postquam tibi ex voto violenti regni phantasia cessit, cupiditate injectus<sup>l</sup> ad viam revertendi rectam, diebusque ac noctibus, id temporis (conscientia forte peccaminum remordente) de defico tenore monachorumque decretis, sub dente primum multa ruminans, dein popularis auræ cognitioni præferens, monachum sine ullo infidelitatis (ut aiebas) respectu coram omnipotente Deo, angelicis vultibus humanisque (ruptis, ut putabatur, capacissimis illis, quibus præcipitanter involvi solent pingues tauri, moduli tui retibus: omnes regni, auri, argenti, et quod his majus est, propriæ voluntatis distentionibus ruptis) perpetuo vovisti; et tete, ac si stridulo cavum lapsu aerem valide secantem sævosque rapidi harpagonis accipitris sinuosis flexibus vitantem, ad sanctorum tibi magnopere fidas speluncas refrigeriaque salubriter rapuisti ex corvo columbam?”

Tum vero illi exprobrat, quod, ordine monastico repudiato, primas<sup>m</sup> nuptias spreverit, uxorem filii fratris sui viventis adamaverit, filium illum fratris uxoremque aliquandiu a se habitam occiderit, et adamatam illam filii fratris uxorem connubio adsciverit: “Nec tamen tantis (inquit ille) malorum offendiculis tuus hebetatus insipientiæ cumulo sensus velut quodam obice tardatur; sed fervidus acsi

<sup>l</sup> Psalm. 55. ver. 23. (al. Psalm. 54. ver. 24.)

<sup>k</sup> Esai. cap. 33. ver. 1.

<sup>l</sup> al. *invecta.*

<sup>m</sup> Camden. Britan. pag. 31.

pullus, ancœna quæque imperagrata putans, per extensos seclerum campos irrevocabili furorẽ raptatur, augendo priscis nova piaculis. Spernuntur namque primæ (post monachi votum irritum) illicitæ licet, tamen propriæ conjugis præsumptivæ nuptiæ; alia viri viventis, non externi sed fratris filii, adamata. Ob quod dura cervix illa multis jam peccaminum falcibus onerata, bino parricidiali ausu, occidendo supradictum uxoremque tuam aliquandiu a te habitam, velut summo sacrilegii tui culmine de imis ad inferiora curvatur. Dehinc illam, cujus dudum colludio ac suggestionẽ tantæ sunt peccatorum subitæ moles, publico et, ut fallaces parasitorum linguæ tuorum conclamant, summis tamen labiis, non ex intimo cordis, legitimo, utpote viduatam thoro, nostræ vero sceleratissimo, adscivisti conubio. Cujus igitur sancti viscera, tali stimulata historia, non statim in fletus singultusque prorumpant? Quis sacerdos, cujus cor rectum Deo patet, non statim hæc audiens magno cum ululatu illud propheticum dicat: *Quis<sup>n</sup> dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo in die et nocte interfectos populi mei:*” Et ne monitorem sibi defuisse hic obtenderet Maglocunus; “præceptorem, pene totius Britanniæ magistrum elegantem,” habuisse illum Gildas regerit; sive Itutus ille fuerit, quem egregii Britannorum magistri titulo insignitum fuisse ostendimus<sup>o</sup>, sive alius quispiam.

Apud Johannem Tinnuthensem, in vita S. Paterni, Maglocunus iste sive (ut ibi contractiore nuncupatur nomine) Mailgunus, semper tentator sanctorum fuisse dicitur: extatque hæc in illum adhuc superstitem imprecatio, a Thaliessino prolata; qui Balæo<sup>p</sup> et sequacibus Teliesinus Helius est, et Britannicorum vatum Coryphæi nomen est consecutus.

Ny bo rhad na gwedd ar Maelgwn Gwynedd;  
Orwy na ddialer ar Run y etyvdedd,  
Boed byr vo y vychedd, boed diffaith vo y diredd,  
Boed hir diuroedd o Maelgwn Gwynedd.  
Taliessin benn Beyrdd ae cant.

<sup>n</sup> Jerem. cap. 9. ver. 1.

<sup>o</sup> Supra, pag. 49.

<sup>p</sup> Jo. Balæ. scriptor. Britann. centur. 1. cap. 54.

Quorum Britannicorum rhythmorum sententiam, Latinis hisce elegis utcunque expressam, Dominus Johannes Priæus nobis proposuit.

Infaustus, gratus nulli, Mailgo Venedotus  
 Sit; modo ne Rhunus filius ista luat.  
 Esto brevis vitæ, vasti sine frugibus agri;  
 Perpetuo a propriis sedibus exul agat.  
 Thaliessinus princeps Bardorum cecinit.

A patriæ suæ regibus ad sacerdotes posthæc accedit Gildas: hac primum transitione interposita: "Quam libenter hoc in loco, ac si marinis fluctibus jactatus, et in optato evector portu remis, si non tantos talesque malitiæ episcoporum, vel cæterorum sacerdotum aut clericorum, in nostro quoque ordine erigi adversus Deum vidissem montes: quos me secundum legem ceu testes primum duris verborum cautibus, dein populum, si tamen sanctionibus inhæret, non ut corporaliter interficiantur sed mortui vitii vivam Deo, ne personarum arguar exceptionis, totis necesse est viribus lapidare, verecundia interveniente, quiescerem. Sed mihi quæso (ut jam in superioribus<sup>1</sup> dixi) ab his veniam impertiri, quorum vitam non solum laudo, verum etiam cunctis mundi opibus præfero; cujusque me, si fieri possit, ante mortem esse aliquandiu participem opto et sitio." Deinde, hoc quasi gradu quodam atque aditum ad cætera jacto; posteriorem objurgationis suæ partem hanc, eodem quo priorem modo, inchoat.

"Sacerdotes habet Britannia, sed insipientes; quamplurimos ministros, sed impudentes; clericos, sed raptores subdolos; pastores (ut dicuntur), sed occisioni animarum lupos paratos: quippe non commoda plebi providentes, sed proprii plenitudinem ventris quærentes: Ecclesiæ domus habentes, sed turpis lucri gratia eas adeuntes; populos docentes, sed præbendo pessima exempla, vitia, malosque mores: raro sacrificantes, et nunquam puro corde inter altaria stantes; plebem ob peccata non corripientes, nimirum eadem agentes; præcepta Christi spernentes, et suas libidines votis omnibus implere curantes; sedem Petri apostoli immundis pedibus usurpantes, sed merito cupidi-

<sup>1</sup> Supra, pag. 53.

tatis in Judæ traditoris pestilentem cathedram decedentes ; veritatem pro inimico odientes, et mendaciis ac si charissimis fratribus faventes ; justos inopes immanes quasi angues torvis vultibus conspicantes, et sceleratos divites absque ullo verecundiæ respectu sicut cœlestes angelos venerantes ; egenis eleemosynam esse dandam summis e labiis prædicantes, sed ipsi vel obolum non dantes ; nefanda populi scelera tacentes, et suas injurias quasi Christo irrogatas amplificantes : religiosam forte matrem seu sorores domo pellentes, et externas veluti secretiori ministerio familiares indecenter levigantes, vel potius (ut vera dicam, licet inepta non tam mihi quam talia agentibus) humiliantes ; ecclesiasticos post hæc gradus propensius quam regna cœlorum ambientes et tyrannico ritu acceptos defendentes, nec tamen legitimis moribus illustrantes ; ad præcepta sanctorum, si aliquando duntaxat audierint quæ ab illis sæpissime audienda erant, oscitantes ac stupidos, et ad ludicra et ineptas secularium hominum fabulas, ac si iter vitæ mortisque pandant, strennos et intentos ; pinguedinis gratia taurorum more raucos, et ad illicita infeliciter promptos ; vultus arroganter in altum habentes, et sensus conscientia remordente ad ima vel tartarum demersos ; uno sane perduto denario mœstos, et ad unum inquisitum lætos ; in apostolicis sanctionibus ob inscitiam vel peccatorum pondus, ora etiam scientium obturantes, hebetes ac mutos, et in flexibus mundialium negotiorum mendacibus doctissimos.”

“ Quorum de scelerata conversatione multos sacerdotio irruentes potius, vel illud pene omni pecunia redimentes, quam tractos, et in eodem veteri infaustoque intolerabilium piaculorum cœno post sacerdotalem episcopatus vel presbyterii sedem, qui nec ibidem usquam sederunt : utpote indigne, porcorum more, volutantes, rapto tantum sacerdotali nomine nec tamen tenore, vel apostolica dignitate accepta, sed qui nondum ad integram fidem sunt vel maiorum pœnitentiam idonei ; quomodo ad quemlibet ecclesiasticum, ut non dicam summum, convenientes et adepti gradum, quem non nisi sancti atque perfecti et apostolorum imitatores et, (ut magistrif gentium verbis loquar) irrepre-



hensibiles, legitime et absque magno sacrilegii crimine suscipiunt.”

“ Quid enim tam impium tamque scelestum est, quam ad similitudinem Simonis Magi, non intervenientibus licet interea promiscuis criminibus, episcopatus officium vel presbyterii terreno pretio, quod sanctitate rectisque moribus decentius acquiritur, quempiam velle mercari? Sed in eo isti propensius vel desperatius errant, quo non ab apostolis vel apostolorum successoribus, sed a tyrannis et a patre eorum Diabolo fucata et nunquam profutura emunt sacerdotia: quin potius velut culmen tectumque malorum omnium quoddam, quo non facile eis improperentur a quoquam admissa prisca vel nova; et cupiditatis gulæque desideria, utpote præpositi multorum, facilius rapiant, scelestæ vitæ structuræ superponunt. Nam si talis profecto coemptionis conditio ab impudentibus istis non dicam apostolo Petro, sed cuilibet sacerdoti pioque regi ingesta fuisset; eadem responsa acceperunt, quæ ab apostolo auctor eorundem magus Simon dicente Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.*”

“ Sed forte, heu! qui ambitores istos ordinant, imo potius humiliant, atque pro benedictione maledicunt; dum ex peccatoribus non pœnitentes, quod rectius fuerat, sed sacrilegos et desperatos faciunt, et Judam quodammodo in Petri cathedra Domini traditorem, ac Nicolaum in loco Stephani martyris statuunt immundæ hæreseos adinventorem, eodem modo sacerdotio adsciti sunt: et ideo non magnopere detestantur in filiis, quinimo venerantur, quod similiter ut patribus subinde venisse certissimum est. Etenim eos, si in parochia, resistentibus sibi et tam pretiosum quæstum denegantibus severe commessoribus, hujusmodi margaritam invenire non possint, præmissis ante solícite nunciis, transnavigare maria terrasque spatiosas transmeare non tam piget quam delectat; ut omnino talis species inæquiparabilisque pulchritudo et (ut verius dicam) zabolica illusio, vel venditis omnibus copiis, comparetur. Dein cum magno apparatu magnaque phantasia vel potius insania repedantes ad patriam, ex crecto erectiorem inces-

\* Act. cap. 8, ver. 20.

sum pingunt, et dudum summitates montium conspicantes, nunc recte ad æthera vel ad summa nubium vellera luminum semidormitantes acies librant; ac sese nova quædam plasmata, imo diabolica organa (ut quondam Novatus Romæ, dominicæ mulctator margaritæ porcus niger) patriæ ingerunt, violenter manus, non tam venerabilibus aris, quam flammis inferni ultricibus dignas, in tali schema positi, sacrosanctis Christi sacrificiis extensuri. Quid tu, infelix popule, a talibus, ut dixit apostolus<sup>t</sup>, bestiis ventris præstolaris? Hisne corrigeris, qui seipsos non modo ad bona non invitant, sed secundum prophetæ<sup>u</sup> exprobrationem, *laborant ut inique agant*? Talibusne oculis illustraberis, qui hæc tantum avide speculantur, quæ proclive vitii (id est tartari portis) ducant? Vel certe, secundum Salvatoris dictum, si non istos rapacissimos ut Arabiæ lupos<sup>w</sup>, ac si Loth ad montem, igneum Sodomorum imbrem præpropere fugeritis; *cæci<sup>x</sup> educti a cæcis pariter in inferni forcam cadetis.*"

"Sed forsitan aliquis dicat. Non ita omnes episcopi vel presbyteri ut superius comprehensi, quia non schismatis, non superbiæ, non immunditiæ infamia maculantur, mali sunt: quod nec vehementer et nos diffitemur. Sed licet sciamus eos castos esse et bonos, brevi tamen respondebimus. Quid profuit Heli sacerdoti, quod solus non violaverit præcepta Domini, rapiendo<sup>y</sup> in fuscinulis antequam adeps Domino offerretur ex ollis carnes; dum eadem mortis ira, qua filiisunt, mulctatur?" Tum, pluribus et exemplis et Scripturarum auctoritatibus coacervatis, sacerdotes non facientes officium coarguit: a propheticis ad evangelica testimonia hoc facto transitu; in quo a bonis iterum captat benevolentiam, dicturus in malos.

"Sufficiant hæc pauca de pluribus prophetarum testimonia, queis retunditur superbia vel ignavia sacerdotum contumacium; ne putent nos propria potius adinventione quam legis sanctorumve auctoritate eis talia denunciare. Videamus igitur quid evangelica tuba mundo personans in-

<sup>t</sup> Tit. cap. 1. ver. 12.

<sup>w</sup> Matth. cap. 7. ver. 15.

<sup>y</sup> 1 Sam. cap. 2. ver. 13, 14.

<sup>u</sup> Jerem. cap. 9. ver. 5.

<sup>x</sup> Ibid. cap. 15. ver. 14.

ordinatis sacerdotibus eloquatur. Non enim de illis (ut jam diximus) qui apostolicam sedem legitime obtinent, qui que bene norunt largiri spiritalia conservis suis in<sup>2</sup> tempore cibaria, si qui tamen multi in præsentiariis sunt, sed de pastoribus imperitis, qui derelinquunt oves, et pascunt vana, et non habent verba pastoris periti, nobis sermo est. Evidens ergo indicium est, non esse eum legitimum pastorem, sed ne mediocre quidem Christianum, qui hæc non tam nostra, qui valde exigui sumus, quam veteris novique Testamenti decreta recusarit, vel inficiatus fuerit: sicut bene quidam nostrorum ait: *Optabiliter cupimus, ut hostes Ecclesiæ sint nostri quoque absque ullo fœdere hostes; et amici ac defensores nostri non solum fœderati, sed etiam patres ac Domini habeantur.* Conveniant namque singuli vero examine conscientiam suam; et ita deprehendent, an secundum rectam rationem sacerdotali cathedræ insideant.”

Hinc, variis primum ex novo Testamento locis disperse et diffuse productis, ad lectiones, quæ ex Britannicæ Ecclesiæ consuetudine in ordinatione clericorum peculiariter recitari consueverunt, ita demum delabitur: “ Sed quid sparsim positus amplius utentes testimoniis sensuum ac diversorum undis in despecta ingenii nostri cymbula fluctuabimur? Recurrere tandem aliquando usque ad lectiones illas, quæ ad hoc non solum ut recitentur, sed etiam adstipulentur benedictioni qua initiantur sacerdotum vel ministrorum manus, eosque perpetuo doceant, uti ne a mandatis quæ fideliter continentur in eis sacerdotali dignitate degenerantes recedant, ex omni pene sanctarum Scripturarum textu merito excerptæ sunt, necessarium duximus: ut apertius cunctis pateat æterna supplicia mansura eos, et non<sup>a</sup> esse sacerdotes vel Dei ministros, qui earum doctrinas atque mandata opere secundum vires suas non adimpleverint.” Exposita deinde una lectione ex primo et secundo capitulo prioris epistolæ Petri, et altera ex Actorum apostolicorum primo desumpta; in

<sup>2</sup> Matth. cap. 24. ver. 45.

<sup>a</sup> “ Recte istud accipe. Mali enim sacerdotes veri sunt sacerdotes; tametsi indigni eo munere.” Jo. Maria Brasichellani pontificii Palatii magister.

hoc prorumpit *πάθος*: “Sane, quod sentio proferam. Posset quidem lenior fieri increpatio: sed quid prodest vulnus manu tantum palpare, unguentove ungerē; quod tumore jam vel fœtore sibi horrescens, cauterio et publico ignis medicamine eget? si tamen ullo modo sanari possit; ægro nequaquam medelam quærente, et ab hoc modico longius recedente. O inimici Dei, et non sacerdotes! O veterani malorum, et non pontifices! traditores, et non sanctorum apostolorum successores; impugnatores, et non Christi ministri.”

Postea duarum aliarum lectionum, ex tertio prioris ad Timotheum epistolæ, et Matthæi capite decimo sexto explicationem adjungit: et, totius operis tandem subjecto epilogo, dicendi finem facit: “Auscultastis quidem,” inquit, “secundæ lectionis apostoli Pauli verborum sonum, sed in nullo modo monita virtutemque servastis, et simulacrorum modo, quæ non vident neque audiunt, eodem die altari astitistis, tunc et quotidie vobis intonantis. *Frates, ait<sup>b</sup>, fidelis sermo est, et omni acceptione dignus.* Ille dixit, fidelem et dignum: vos ut infidelem et indignum sprevistis. *Si quis episcopatum cupit, bonum opus desiderat.* Vos episcopatum magnopere avaritiæ gratia, non spiritalis profectus obtentu, cupitis; et bonum opus illi condignum nequaquam habetis. *Oportet ergo hujusmodi irreprehensibilem esse.* In hoc namque sermone lacrymis magis quam verbis opus est: ac si dixisset apostolus, eum esse omnibus irreprehensibiliorem debere. *Unius uxoris virum.* Quid ita apud nos quoque contemnitur, quasi non audiretur vel idem dicere et virum uxorum? *Sobrium, prudentem.* Quis etiam ex vobis hoc aliquando inesse sibi saltem optavit? *Hospitalem.* Id si forte casu evenerit, popularis auræ potius quam præcepti gratia factum, non prodest: Domino salvatore ita dicente; Amen<sup>c</sup> dico vobis, receperunt mercedem suam. *Ornatum, non violentum, non percussorem sed modestum, non litigiosum, non cupidum.* O feralis immutatio! O horrenda præceptorum cœlestium conculcatio! nonne infatigabiliter ad hæc ex-

<sup>b</sup> 1 Tim. cap. 3. ver. 1.

<sup>c</sup> Matth. cap. 6. ver. 2. cum Luc. cap. 14. ver. 12.

pugnanda, vel potius obruenda, actuum verborumque arma corripitis; pro quibus conservandis atque firmandis, si necesse fuisset, et pœna ultro subeunda, et vita ponenda erat? Sed videamus et sequentia. *Domum, inquit, suam bene regentem, filios habentem subditos, cum omni castitate.* Ergo imperfecta est patrum castitas, si eidem non et filiorum accumulatur. Sed quid erit, ubi nec pater, nec filius mali genitoris exemplo pravatus conspicitur castus? *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesie Dei diligentiam adhibebit?* Hæc sunt verba quæ indubitatis effectibus approbantur. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non vino multum deditos, non turpe lucrum sectantes; habentes mysterium fidei in conscientia pura. Hi autem probentur primum; et sic ministrent, nullum crimen habentes.* His nimirum horrescens diu immorari, unum veridice possum dicere, quin hæc omnia in contrarios actus mutantur: ita ut clerici, quod non absque dolore cordis fateor, impudici, bilingues, ebrii, turpis lucri cupidi, habentes fidem et, ut verius dicam, infidelitatem in conscientia impura, non probati in bono sed in malo opere præsciti, ministrantes et innumera crimina habentes, sacro ministerio adsciscantur.”

“ Audistis etiam illo die, quo multo dignius multoque rectius erat, ut ad carcerem vel catastam pœnalem quam ad sacerdotium traheremini, Domino sciscitanti, quem se esse putarent discipuli, Petrum respondisse: *Tu<sup>d</sup> es Christus filius Dei;* eique Dominum pro tali confessione dixisse, *Beatus es Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cælis est.* Ergo Petrus a Deo patre doctus, recte Christum confitetur. Vos autem, moniti a patre vestro Diabolo, inique Salvatorem malis actibus denegatis. Vero sacerdoti dicitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vos quidem assimilamini viro<sup>e</sup> stulto, qui ædificavit domum suam super arenam. Notandum vero est, quod insipientibus in ædificanda domo arenarum pendulæ mobilitati Dominus non cooperetur; secundum illud: *Fece-*

<sup>d</sup> Matth. cap. 16. ver. 16.

<sup>e</sup> Ibid. cap. 7. ver. 26.

runt<sup>f</sup> sibi reges, et non per me. Itidemque quod sequitur eadem sonat dicendo: *Et portæ inferni non prævalebunt, ejusque peccata intelliguntur. De vestra quid exitiabili structura pronunciat? Venerunt<sup>g</sup> flumina, et flaverunt venti, et impegerunt in domum illam; et cecidit, et fuit ruina ejus magna. Petro ejusque successoribus dicit Dominus; et tibi dabo claves regni cælorum: vobis vero; Non<sup>h</sup> novi vos, discedite a me operarii iniquitatis, ut separati sinistrae partis cum hædis, eatis in ignem æternum. Itemque omni sancto sacerdoti promittitur: *Et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cælis; et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cælis.* Sed quomodo vos aliquid solvetis, ut sit solutum et in cælis, a cælo ob scelera adempti, et immanium peccatorum funibus compediti? ut Salomon<sup>i</sup> quoque ait: *Criniculis<sup>k</sup> peccatorum suorum unusquisque constringitur: quaque ratione aliquid in terra ligabitis quod supra mundum etiam ligetur, præter vosmet ipsos; qui ita ligati iniquitatibus in hoc mundo tenemini, ut in cælis nequaquam ascendatis, sed in infausta tartari ergastula, non conversi in hac vita ad Dominum, decidatis?*"*

"Nec sibi quisquam sacerdotum de corporis mundi solum conscientia supplaudat; cum eorum queis præest, si qui propter ejus imperitiam vel desidiam seu adulationem perierint, in die judicii de ejusdem manibus, velut interfectoris, animæ exquirantur. Quia nec dulcior mors, quæ inferitur a bono quoque homine quam a malo. Alioquin non dixisset apostolus, velut paternum legatum suis successoribus derelinquens. *Mundus<sup>l</sup> ego sum ab omnium sanguine: non enim subterfugi, quo minus annuncierem vobis omne ministerium Dei.* Multum namque usu ac frequentia peccatorum inebriati, et incessanter irruentibus vobis scelerum cumulatorum ac si undis quassati, unam veluti post naufragium, in qua ad vivorum terram eva-

<sup>f</sup> Ose. cap. 8. ver. 4.

<sup>g</sup> Matth. cap. 7. ver. 27.

<sup>h</sup> Matth. cap. 7. ver. 23.

<sup>i</sup> Prov. cap. 5. ver. 22.

<sup>k</sup> Funiculis.

<sup>l</sup> Act. cap. 20. ver. 26, 27.

dati, pœnitentiæ tabulam toto animi nisu exquirite; ut avertatur furor Domini a vobis, misericorditer dicentis: *Nolo<sup>m</sup> mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Ipse omnipotens Deus totius consolationis et misericordiæ paucissimos bonos pastores conservet ab omni malo, et municipes faciat, subacto communi hoste, civitatis Jerusalem cœlestis, hoc est, sanctorum omnium congregationis, Pater et Filius, et Spiritus sanctus: cui sit honor, et gloria, in secula seculorum, Amen."

Prolixius ista, quam instituti fortasse ratio postulabat, ex Gilda describenda curavimus: partim ut justitia inde nobis divini judicii elucesceret, omnium generum atque ordinum flagitiis ad summum fastigium jam perductis, reipublicæ et Ecclesiæ Britannicæ fundamenta non concutientis modo sed exturbantis et penitus propemodum evertentis; partim ut nos et nostram hic pertimesceremus vicem, in mentem identidem revocantes illud apostoli, "Vide<sup>n</sup> bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin et tu excideris." Quod et Alcuinum jam olim fecisse videmus in epistola, post Anglo-Saxonum quidem adventum CCCXL. ante nostrum verò tempus DCCCXL. annis, ad Cantuariensem archiepiscopum Æthelardum transmissa. "Legitur," inquit ille, "in<sup>o</sup> libro Gildæ Britonum sapientissimi, quod iidem Britones propter rapinas et avaritiam principum, propter iniquitatem et injustitiam judicum, propter desidiam et pigritiam prædicationis episcoporum, propter luxuriam et malos mores populi, patriam perdiderunt. Caveamus hæc eadem nostris temporibus vitia inolescere; quatenus benedictio divina nobis patriam conservet in prosperitate bona, quam nobis in sua misericordia perdonare dignata est."

Interim de auctoris nostri scopo illa Johannis Prisæi Britannici non prætermittenda est admonitio: "Hoc solum

<sup>n</sup> Ezech. cap. 33. ver. 11.

<sup>m</sup> Rom. cap. 11. ver. 22.

<sup>o</sup> Alcuin. epist. 28. in operib. edit. Paris. ann. 1617. col. 1535. et 1668.

<sup>p</sup> Pris. hist. Britannic. defens. cap. ult.

in libello isto sibi proposuisse videtur, ut Britannos suos vel pudore saltem suffusos respiscere velle existimaret; si eorum vituperanda potius omnia collegisset atque ob oculos poneret, quam si aliqua laude digna, quæ vel ipsi vel eorum antecessores gessere, intermiscuisset. Ideo eos partim omnium probrorum genere obruit, partim divinis oraculis percellit: ut nihil suspicari libeat eorum illum odio aliquo deprompsisse." Et Polydori Vergilii Itali, veteribus Romanorum persecutionibus hanc religionis apud Britannos inclinationem acceptam referentis, illa altera: "Pauci recte dogma Christianum retinebant, quos noster Gildas bonos appellat: reliquos vero et præsertim sacerdotes, ita per mala temporum errantes, castigat laboratque in viam reducere. Ista exponenda hoc loco erant, ut unusquisque sciret Britanniam non genuisse malos sacerdotes, sed hominum crudelitatem atque impietatem fecisse: quando illa omnium provinciarum prima Christianam religionem recepit, ac omni tempore, etiam nunc, populum longe religiosissimum tulit, habetque." De authoris vero religione et fide, Giraldus audiendus est, in priore Cambriæ suæ descriptioni præfixa præfatione: "Præ aliis Britanniae scriptoribus, solus mihi Gildas, quoties eundem materiæ cursus intulerit, imitabilis esse videtur: quia ea quæ vidit et ipse cognovit scripto commendans, excidiumque gentis suæ declarans potius quam describens, veram magis historiam texuit quam ornatam. Gildam itaque Giraldus sequitur: quem utinam moribus et vita sequi posset; factus ejusdem, plus sapientia quam eloquentia, plus animo quam calamo, plus zelo quam stylo, plus vita quam verbis imitator."

Aliarum Gildæ lucubrationum ad nos pervenit nihil, præter fragmenta quædam quæ, veteri<sup>q</sup> libro canonum titulorum sexaginta sex inserta, in Cottoniana bibliotheca vidimus. Nam ut cum aliis, quæ<sup>r</sup> inter Plautinas comœdias habetur, Aululariam huic adscribam, persuaderi mihi non patior: licet eo etiam politissimi iudicii virum Ge-

<sup>q</sup> Et alteri in Benedictina bibliotheca Cantabrig. Spelman. concil. pag. 54, 55.

<sup>r</sup> Vid. Casp. Barthii adversar. lib. 4. cap. 17. et lib. 28. cap. 15.



rardum Johannem Vossium propendere non ignorem. Sic enim ille, libro secundo de historicis Latinis, in fine capituli vigesimi primi “ Siquid Gildæ, præter epistolam ac inventivam in clerum Britanniae, tribui debet; id fuerit Querolus, sive Aulularia illa, quæ cum Plauti nomine falso prodiit. Sane Gildæ adsignant codices quidam manu exarati: nec stylus refragatur, nisi quod ille in Gildæ epistola sit impeditior intricatiorque, quam in Querolo.” Et de dissimilitudine quidem styli res aperta est, sermonis genere aliquanto nitidior conscriptam esse Aululariam, quam Gildæ hunc libellum; quem, ob horridulum et incomptum orationis characterem, etiam a Guiljelmo Neubrigensi in Anglicanæ suæ historiæ præmio ita vituperatum invenimus: “ Cum sermone sit admodum impolitus atque insipidus, paucis eam vel transcribere vel habere curantibus, raro invenitur.” De manuscriptis vero, aut magnopere ego fallor, aut a Camdeni nostri marginali ista notula, minus attente considerata, obortus ille error est. “ Gildas<sup>s</sup> hic in MS. exemplaribus Galliae Querulus dicitur; ut mihi retulit V. C. Barnabas Brissonius.” Quo non aliud significatum ille voluit, quam nostri hujus libelli authorem dictum fuisse Querulum: vel libello potius ipsi, qui ex querelis totus pene est conflatus, datum hoc fuisse epitheton: quomodo Cantabrigiensis bibliothecæ exemplar MS. prænotatum et ipsi observavimus. “ Incipit liber querulus sancti Gildæ sapientis, de excidio Britanniae.” Ut inter comædos Querulum nostrum quærere, supervacaneæ plane fuerit operæ.

Gildæ, sub Iltuti disciplina, Paulum condiscipulum fuisse diximus<sup>t</sup>: quem, Aurelianum cognomento dictum, in Osa primum insula, “ quæ a continenti Armoricanæ regionis terra, quam cornu Galliae nominant, pelago sexdecim passuum in transversum porrecto sejungitur,” eremiticam duxisse vitam, Aymoinus<sup>u</sup> refert. Britanniam mi-

<sup>s</sup> Camd. Britan. pag. 77.

<sup>t</sup> Supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 539. Vid. Vincent. specul. hist. lib. 21. cap. 122. Caroli Sausseyi annal. eccles. Aurelian. lib. 4. cap. 7. Andræ Sausseyi martyrol. Gallican. et Benedict. Gonon. de vitis patrûm occident. lib. 2. pag. 134, 135. ex Renato Benedicto.

<sup>u</sup> Aymoin. Floriac. de miraculis S. Benedicti, lib. 3. cap. 11.

norem Childebertus Francorum rex Withuro<sup>w</sup> cuidam comiti eo tempore regendam commiserat: a quo Parisios ad aulam regiam legatus Paulus, mandato principis, Osisimorum episcopus est ordinatus. Nam, ut in vita ejusdem legitur, "Childebertus rex eum a terra elevans, et cujusdam præsulis baculum accipiens; Suscipe, inquit, pastoralem gradum, quo officio queas prodesse saluti plurimorum. Et evocatis tribus episcopis, qui eum benedicerent; vir Dei perfusus lacrymis, volens nolens suscepit quod multo tempore distulit. Cui benedicto statim rex gloriosus Agnensem Leonensemque pagos, cum sibi debito reditu, regiae auctoritatis præcepto tradidit." Post hæc vero "Paulus<sup>x</sup> senectute fessus, coram omni populo unum ex discipulis suis, Johenium nomine, ut suo officio fungeretur instituit. Cui per unum annum ministranti, et in Christo dormienti, alium ex suis Tiernomagilum appellatum honorifice subrogavit. Qui per annum et diem functus injuncto sibi officio, quievit in Domino. Quo defuncto vir venerabilis, parvo tempore, suo rursus inservivit officio. Sed deficientibus viribus, iterum quendam ex suis Cetomerinum nomine, ut pro se ministraret, ordinavit: præsentem Induale cognomento Candido, Domnonensis patriæ magna ex parte duce nobilissimo, S. Samsonis consobriño; qui forte tunc advenerat, ut Pauli orationibus se commendaret." Dein Paulus, "sedem suam Cetomerino relinquens, migravit ad Batham insulam; ubi cum plurimo grege monachorum, sub magisterio ipsius mire viventium, multum tempus peregit:" ac tandem, ubi centum<sup>y</sup> annis et eo amplius vixisset, in pace quievit. Unde ad annum<sup>z</sup> Domini DC. vel etiam DCXX<sup>a</sup>. pervenisse traditur.

Sub Malgone vel Maglocuno illo, in quem invectus est novissimo loco Gildas, morbum illum epidemicum quæ flava pestis dicebatur invaluisse, ex vita Thelii Landavensi regesto inserta; in quinto<sup>b</sup> capite declaravimus:

<sup>w</sup> Vit. S. Pauli Leonens. sec. 3. in bibliotheca Floriacensi Johann. a Bosco.

<sup>x</sup> Ibid. sec. 4.

<sup>y</sup> Ibid. sec. 6.

<sup>z</sup> Jo. Trithem. de viris illust. ord. Benedict. lib. 3. cap. 48.

<sup>a</sup> Jo. Capgrav. post vitam S. Ithamari.

<sup>b</sup> Supra, op. tom. 5. pag. 98. et 107.

“Traxit enim,” ut biographus ille loquitur, “Mailconum regem Guenedotiae, delevit et patriam suam: et in tantum incanduit dicta clades, et per totam illam gentem, quod patriam pene reddidit desertam. Surrexit igitur sanctus Teliatus, adducens secum quosdam suffraganeos episcopos suos et caeterorum ordinum viros, cum utriusque sexus hominibus viris et mulieribus. Et devenit primitus ad Cornubiensem regionem: et bene susceptus est a Gerennio rege illius patriae, (Constantini<sup>c</sup>, ut videtur, successore) et tractavit illum et suum populum cum omni honore. Inde perrexit sanctus cum suis comitibus ad Armoricas gentes: et bene continuo susceptus est ab eis. Ibi ipse et S. Samson plantaverunt magnum nemus arboreti fructiferi quasi ad tria miliaria, id est, a Dol usque ad Cai; et decorantur ipsa nemora eorum nomine usque in hodiernum diem: vocantur enim arboreta Teliavi et Samsonis. Et ex illo tempore et deinceps episcopatus Dolensis decoratur et celebratur sub testimonio omnium Armoricorum Britonum, ob conversationem et reverentiam sancti Teliavi.”

“Interea dum haec agerentur et tractarentur, contigit quod Christus per misericordiam suam praeciperet, ut illa praedicta lues quae flava dicebatur exiret et evanesceret de Britannia insula tota. Quo audito, fidelis ductor Teliatus in modicum exhilaratus, et sancto spiritu summonitus (missis legatis in Franciam, et ultra Alpes in Italiam, et quocunque cognitum sibi erat eos aufugisse) recollegit compatriotas diligenter in unum; ut omnes, extincta pestilentia, cum data pace per omnia redirent ad propria.” Demum “praeparata magna barca, peractisque septem annis ac septem mensibus, quos S. Teliatus duxerat in Armoricorum patria, intravit in eam, cum multis doctoribus et quibusdam aliis episcopis: et applicuerunt in portum vocatum Dingerein,” rege Gerennio in extremis tum posito; qui “accepto corpore Domini de manu S. Teliati, laetus migravit ad Dominum. Post haec sanctus vir repetivit sedem suam episcopalem, comitante eum cleri et populi

<sup>c</sup> Vid. supra, pag. 60, 61.

copia: et habitavit ibi usque in consummationem vite. Ad quem convenerunt discipuli qui fuerant beati Dubricii, Lunapeius, Gurmact, Cynmur, Toulidauc, Luhil, Fidelis, Hismael, Tyfhei, Oudoceus, et multi alii discipuli; ut eum moribus et doctrina imitarentur. Ex quibus Hismaelem consecravit in episcopum; mittens illum ad consulendam ecclesiam Minuensem<sup>d</sup>, etiam viduatam pastore: nam sanctus David ad Dominum migraverat. Et multos ejusdem ordinis viros similiter sublimavit in episcopum: mittens illos per patriam, dividensque parochias sibi ad opportunitatem cleri et populi." Mortemque tandem obiit quinto Idus Februarii, in loco qui ab ipso Lhandeilo-vaur, sive ecclesie Theliei magni, nomen obtinuit; super ripam Tyvi (sive Tovii potius agri Maridunensis fluvii) ubi solitariam vitam per tempus aliquod duxerat.

"In cujus vita crevit ecclesia Landavia pro sanctitate sua tam moribus quam doctrina, in ecclesiis et territoriis sibi datis, cum omni libertate sua, dignitate et privilegio a regibus contemporaneis suis Teudric filio Teithpall, Idon filio Ynir Guent, Gurcant maur, Mailcun, Aircol Lauhir, Catgucaun Tredecil, Rein, et a multis aliis regibus et principibus dextralis Britannie; et ita ecclesiis nominandis, cum suis terris et dotibus, cum finibus subscriptis et testantibus legitimis viris. Privilegium sancti Teliavi est et ecclesie sue Landaviae, datum sibi omnibus successoribus suis in perpetuo a regibus istis et principibus Britannie, confirmatum apostolica auctoritate, cum omnibus legibus suis in se plenariis sibi et terris suis, libera ab omni regali servitio, sine<sup>e</sup> consule, sine proconsule, sine conventu, intus nec extra, sine expeditione, sine vigilanda regione: et cum omni justitia sua, de fure et furto, de rapina, de homicidio, de arsione, de rixa, de sanguine, de refugio violato ubique in terra sancti, de assaltu viarum et extra vias, de faciendo iudicio et patiendo de omni populo sancti Teliavi in curia Landaviae; de communione aquae et herbae, campi et sylvae, populo ecclesie S. Teliavi cum mercato et moneta in Landavia; cum applica-

<sup>d</sup> Menevensem, sive S. Davidis.

<sup>e</sup> Vid. supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 110.

tione navium ubique per terras S. Teliavi libera pro regibus et omnibus nisi ecclesiæ Landaviæ et episcopis ejus. De opprobrio et omni injuria, quod rex Morcanhuc<sup>f</sup> et sui homines fecerint episcopo S. Teliavi et suis hominibus, idem rex Morcanhuc et sui homines rectum faciant episcopo et suis hominibus, et judicium patiantur in curia Landaviæ. Omnis lex quæ fuerit regali, omnis etiam et in curia plenarie episcopali Landavensi.” Hæc ex Landavensi regesto excerpta dedimus, quæ, arbitrato suo, quisque vel legere poterit vel negligere.

Extat in eodem regesto et Thelii successoris Oudocei vita: cujus initium, quod res ad hujus temporis historiam spectantes complectatur, hic etiam exhibendum duximus: “Fuit vir Budic filius Cybsdan natus de Cornugallia<sup>g</sup>; qui in Demeticam regionem, tempore Aircol Lauhir regis ejusdem regni, venit cum sua classe, expulsus patria sua. Qui cum moraretur in patria, accepit sibi uxorem Anaumed nomine filiam Ensic; mater autem illius Guenhaf, filia Linonui; de qua Anaumed nati sunt sibi Ismael et Tyfei martyr jacens in Pennalun. Qui cum moraretur in patria, missis legatis ad eum de nativa sua regione Cornugallia, ut sine mora cum tota sua familia et auxilio Britannorum ad recipiendum regnum Armoricæ gentis veniret: defuncto rege eorum illum volebant recipere natum de regali progenie. Facto ab illis consilio uno ore, audita legatione et accepta, affectuose accepit uxorem suam prægnantem cum tota familia sua et classe applicuit in patriam: et regnavit per totam Armoricanam terram: et in tempore suo tandiu durantem usque ad Alpes. Et uxor ejus peperit filium nomine Oduccum: quem post tempus maturitatis misit ad studium literarum; sicut promiserat sancto Teliauo antea in Britannia, quod si filium haberet, illum Deo commendaret, sicut commendaverat ambos fratres suos prædiximus. S. Oudoceus ab infantia cœpit ditari scientia et eloquentia in tantum quod suos contemporaneos et simul consocios excellebat moribus et sanctitate. Et post immensum

<sup>f</sup> Glamorganicæ.

<sup>g</sup> Vid. supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 110. Camden. in Cornwall, pag. 134. et Frodoardi chronicon, ad ann. 919.

tempus venit flava pestis per majorem Britanniam." Ea occasione, ut dictum est antea, adiit S. Thelias, " cum suis clericis et populo Cornugalliam quæ postea vocata Cerniu budic: et ibi invenit nepotem suum Oudoceum, virum præclarum et mansuetum et utriusque legis peritum, ut candelam super candelabrum. Et post tempus suæ conversationis, S. Telias archiepiscopus Landaviæ ecclesiæ S. Petri apostoli rediit ad natale solum cum suo nepote illum comitante: qui tantum crevit in bonitate et scientia, quod sibi electione cleri et populi succedit<sup>h</sup> in episcopatu Landavensis ecclesiæ."

Glamorganix eo tempore rex erat Teudric, sive Theodoricus: de quo in eodem regesto legimus: " Rex Teudric cum esset in regno suo tenens pacem cum populo et justitiam, postposuit temporalem potestatem pro æterna: ita quod regnum suum commendavit filio suo Mourico, et vitam eremitalem in rupibus Dindyrn cœpit ducere. Qui cum esset in vita illa, cœperunt Saxones terram suam invadere super filium suum Mouricum: et ita nisi ipse solus adhuc eis succurreret, quod omnino filius suus ab extraneis exhæreditaretur. De quo Teudric dicebant, cum regnum suum teneret, quod nunquam victus ab hostibus fuerat, sed semper victor: et ita visa facie sua in acie bellorum, statim hostes vertebantur in fugam." Hunc igitur, ut reliqua D. Franciscum Godwinum referentem audias, " bellum inferentibus Saxonibus opponendum, invitum sui ab eremo abduxerunt: qui Tinternæ juxta Vagam<sup>l</sup> fluvium occurrentem hostem magno prælio fudit. Sed accepto in capite vulnere (quod eum non latuit) mortifero, reditum maturavit, ut inter suos expiraret; rogato prius filio, si in via deficeret, templum ibi loci ut extrueret ubi animam exhalasset, et ibidem corpus conderet exanime. Vix quinque millia passuum processerat, cum ad confluentes Vagæ et Sabrina spiritum emisit. Quare eo ipso in loco prout optaverat ecclesiola excitata, cadaver loculo inditum est saxeo: quem nuper seu casu confrac-

<sup>h</sup> Vid. supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 110.

<sup>l</sup> Wye, in orientali Monemuthensis agri termino.

tum, seu vetustate fatiscentem dum refici curarem; ossa reperi, post mille annos ne minimum quidem consumpta, vulneris inhumanis tanquam recenter facti in cranio remanente vestigio. Cæterum Mouricus, officio se nondum satis functum arbitratus, prædia adjacentia ecclesiæ contulit; et loco, a posteris nomen antiquitus impositum, Merthir-Tewdrick, quasi dicas martyrium Theodorici: quem, quod in bello ceciderit contra Christiani nominis hostes gesto, pro martyre ducendum arbitrati sunt. Postea vero contractius Merthirn appellari cœpit; et deinde, sicut hodie, Mathern." Hæc D. Godwinus, in Landavensium episcoporum a se, dum Landavensis ipse esset episcopus, edito catalogo.

Iisdem quoque temporibus Petrocus et Kentigernus Britanniam illustrarunt: de quorum priore ita scribit in ejus vita Johannes Tinmuthensis: "B. Petrocus natione Cumber, ex regali ortus prosapia, ita vixit a puero, ut sequax fidei, et operum apostolorum principis imitator, quodam quasi præsagio ex proprii nominis assignatione percepto divinitus, se etiam petram esse contenderet in qua suam ecclesiam ipsa veritas superædificare promiserat. Cui talem Deus contulerat gratiam, ut in omnium oculis beneplicitus et acceptus appareret. Erat enim modestus, humilis, dator hilaris, continua charitate fervens, ad omnia religionis opera promptus. Mortuo autem rege patre suo, optimates quique consona populi acclamatione regem hæreditario jure ipsum constituere nitebantur. Ille vero neglecta regali pompa, assumptis secum sexaginta sociis, monasterium intrans habitum religionis suscepit. Elapsis post hæc aliquot annis in Hiberniam proficiscens, literarum disciplinis et sacrae Scripturae viginti annis se mancipavit." Quo tempore S. Coemgenum sive Keyvinum, Glin-delacensem postea abbatem (de quo in capite decimo septimo erit dicendum) a septimo usque ad duodecesimum ætatis annum in literis ac sanctis moribus ab eo fuisse institutum, vitæ Coemgeni scriptor memorat.

Ipse quoque Petrocus ut<sup>k</sup> Lelandus rem narrat, "studi-

<sup>k</sup> Jo. Balæ scriptor. Britann. centur. 1. cap. 60.

orum insolito quodam conflagrans amore, præceptores eximie doctos excoluit. Nec manum prius de tabula sustulit, quam totos viginti annos in lectione bonorum authorum exegisset. Quæsitus hac laboriosa scientiæ thesaurus cura tandem est inventus: qui jam ne deliteret, inventor Hibernicas gazas in Coriniam seu Cornubiam transtulit, et videndas omnibus exhibuit. In cœnobio vero apostolici ordinis, quod in Cornubia aliquot passuum millibus a Sabrino litore ædificabat, discipulos habuit, Credanum, Medanum, et Dachanum; viros doctrina et vitæ sanctitate illustres." In proxima vicinia Samson quidam, sanctitate item conspicuus, sedem sibi elegerat, in qua solitariam vitam duceret. Locus autem in quo Petrocus consedit, prius Loderic et Laffenac, postea Petrock-stow dictus, hodie Padstow nominatur. Postquam hic cum sociis suis per triginta annos esset commoratus, Romam et Hierosolimam visitavit, deinde ad Indiam et orientalem oceanum penetravit; ubi cum in ignota quadam insula integro septennio theoricæ vitæ vacavisset, occidentalem Britanniam petiit, in qua Tendurus tum regnabat, vir atrox et ferus moribus: si Johannis Tinmuthensis narrationibus fides hic sit adhibenda.

Apud sanctum Petrocum confessorem Cornubiensium episcoporum sedem aliquando fuisse, in libro secundo de gestis pontificum Anglorum, docet Guilielmus Malmesburiensis; addens, "locum esse apud aquilonales Britones supra mare, juxta flumen quod dicitur Hegelmithe." Similiter et Rogerus Wendoverius: "Cornubienses pontifices apud sanctum Petrocum juxta Walenses aquilonales super flumen Heilemuthe sedes habuerunt." Hæc ille: et qui eum sequi solent, Matthæus uterque, Parisiensis et Westmonasteriensis, et Roffensis historiæ collector; ad annum gratiæ DCCCCV. ubi in editis historiæ floribus sedes illa episcopalis fuisse dicitur "apud S. Patrocum de Bodvini vel, ut locus est legendus, apud S. Petrocum de Bodmini." Bodmaniæ enim vel Bodminiæ in Cornubia conditum fuit olim corpus S. Petroci: quod inde furto ablatum, ad S. Mevnni<sup>1</sup> in Armorica

<sup>1</sup> S. Mein.



Britannia monasterium translatum et Henrici II. Anglorum regis mandato restitutum fuisse, in anni MCLXXVII. historia Rogerus Hovedenus ita narrat: “ Martinus canonicus regularis ecclesiæ de Bomine furtive asportavit corpus S. Petroci, et fugiens secum detulit in Britanniam ad abbatiam sancti Mevenni. Quo comperto, Rogerus prior ecclesiæ de Bomine, cum saniore parte capituli sui, adiit regem Angliæ patrem, et adversus eum effecit, quod præcipiendo mandavit abbati et conventui sancti Mevenni, ut sine dilatione redderent corpus beati Petroci Rogero priori de Bomine: et nisi fecerint, præcepit rex Rollando de Dinant justitiario Britannia, ut corpus illud sanctum vitolleret et prædicto priori de Bomine traderet. Quo audito, abbas et conventus sancti Mevenni, ecclesiæ suæ præcaventes indemnitati, et non audentes regiæ resistere voluntati, corpus illud reddiderunt sine aliqua diminutione Rogero priori de Bomine; jurantes super sancta evangelia, et super sanctorum reliquias, quod ipsi idem corpus, et non alternatum cum omni integritate redderunt.”

Kentigenus Glascuensis episcopus (de quo in sequente capite pluribus erit agendum) popularium injuriis sede sua excedere coactus, et “ versus Meneviam ubi S. David virtutibus floruit iter aggressus, juxta Caerleon multos ad fidem convertit et ecclesiam construxit: et cum sancto David aliquantis per moram trahens, a rege terræ illius Cathwallain locum ad construendum monasterium accepit. Ædificato autem apud Elgu cœnobio, sedem episcopalem ibidem constituit. Subregulum quendam illi minas inferentem, et de loco illo expellere cum injuria nitentem, et cœcitate a Deo percussum, prece ad Deum fusa sanavit: et adiutorem et protectorem in posterum habere meruit. Congregati sunt autem in monasterio illo novies centum et sexaginta quinque fratres sub regulari disciplina, in magna abstinentia Deo servientes. Trecentos enim illiteratos agriculturæ et pecorum custodiæ extra monasterium deputavit: alios trecentos operibus infra monasterium exercendis et cibariis præparandis assignavit; et trecentos sexaginta quinque literatos divinis officiis jugiter cele-

brandis intitulavit. Nec facile quenquam illorum egredi, sed tanquam in sanctuario Domini assidue commorari instituit. Divisit enim per turmas et conventus collegium: ut uno conventu servitium Dei in ecclesia terminante alter continuo intrans illud inchoaret; quo consummato, alius sine mora introiret. Sicque turma una exeunte, et altera ingrediente, oratio sine intermissione ab ecclesia illa ad Deum fiebat: et benedicendo Dominum in omni tempore, semper laus Dei in ore illorum resonabat. Erat inter illos quidam nomine Asaph, genere et specie clarus, ab ipso pubertatis flore virtutibus et miraculis fulgens: qui vitam magistri in omni sanctitate et abstinencia jugiter sequi satagebat. Quem vir Dei in posterum carum habens, curam monasterii illi delegavit, et in episcopatu successorem suum instituit." Habet ista, in Kentigerni vita, Johannes Timuthensis.

De ecclesia illa a Kentigerno extracta, et regulo impedimentum operi inferente, addit hæc in Asaphensium episcoporum catalogo D. Godwinus: "Ecclesiam ex materia primum fabrefactam, postea ex lapidibus novam construxit, quamvis impeditus multum a Malgone vel Maglocuno, rege quodam Britannico, sexto inde miliari apud Deganwy habitante, qui tamen placatus paulatim, cathedram episcopalem in eadem tandem collocari permisit, et non solum prædiis multis locupletavit, sed immunitates etiam et privilegia non pauca episcopo monachisque indulisit. Sedes a nonnullis Elguensis, ab aliis Elvensis et Lanelwensis nuncupata, a fluvio Elwe, prope quem sita est:" ubi Elwy nimirum et Cluida in agro Flintensi una confluent. Angli vero hodie ab Asapho illo, quem Kentigernus ad Glascuenses suos revocatus in Elguensi ecclesia successorem constituit, Sainct Asaph nominant. Quem Asaphum anno a communi salutis origine DXC. claruisse, atque ordinationes suæ ecclesiæ, magistri Kentigerni vitam, et alia nonnulla scripsisse, nescio quam vere, Balæus<sup>m</sup> asserit: ipsius etiam Kentigerni laudes ita celebrans.

"Dum<sup>n</sup> esset Elviæ seu Elguæ in terra Cambrensi, vir

<sup>m</sup> Jo. Balæ. centur. 1. cap. 68.

<sup>n</sup> Ibid. cap. 61.

apostolici ordinis, in pastorem constitutus; melote ex caprinis pellibus usus, et cuculla stricta, candidaque contectus stola, primitivæ Ecclesiæ formam servavit. Apostolico more pedes ad prædicandum perrexit, multosque ad fidem convertit, apostatas revocavit, Pelagianos expulit, nondum renatos baptizavit, simulacra evertit, ecclesias condidit, ægrotis ministravit, languores curavit, in magnaque semper abstinentia vixit, homo ad promovendam religionem veram natus:” ubi, ad Pelagianorum expulsionem referenda est illa, quæ apud Johannem Timuthensem extat, historia: “Occurrit viro Dei clericus quidam peregrinus et eloquens: requisitusque quis esset, et unde venisset; prædicatorem veritatis, et viam Dei in veritate docentem se esse respondit. Quem, spiritu sancto revelante, Pelagiana hæresi irretitum agnoscens, cum a via iniquitatis eum avertere non posset; utriusque hominis interitum vicinum illi fore denuncians, a sua diœcesi jussit eum expelli. Qui fluvium quendam transire tentans, aquis suffocatus ad tartara descendit.”

Nondum enim penitus extinctam fuisse in orbe Christiano Pelagianam pestem, ex Aurelio Cassiodoro etiam intelligimus, exitiosam istam hæresim hunc in modum retundente: “Væ<sup>o</sup> illis qui hanc regulam declinantes, in hominis putant arbitrio consistere, ut mereatur ad aliqua Dei munera pervenire. Ipse enim donat, ut bona velimus; ipse perficit, ut ad ejus præmia pervenire possimus: quod apostolus lucidissime declaravit: *Quid<sup>o</sup> autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Desinat ergo Pelagiana hæresis redivivas suscitare calumnias.” Et alibi: “Omnes<sup>a</sup> quidem hæreses detestabili cogitatione repertæ sunt: Pelagianum vero malum quam sit perniciosum, hinc datur intelligi, quod tanta cognoscitur assiduitate redargui.” Quin et Justinum juniorem imperatorem hoc tempore “ferunt<sup>r</sup> in hæresim Pelagianam delapsam.” Ut de Venantio Fortunato, nihil dicam; qui, in expositione petitionis tertiæ orationis Dominicæ, et

<sup>o</sup> Cassiodor. in Psalm. 58.

<sup>r</sup> 1 Cor. cap. 4. ver. 7.

<sup>a</sup> Cassiodor. in Psalm. 24.

<sup>r</sup> Gregor. Turonens. histor. lib. 4. cap. 33. Paul. Diacon. continuat. Eutropii, lib. 18. Ranulph. Cestrens. polychronic. lib. 5. cap. 7.

Pelagiani et Semipelagiani dogmatis fundamenta serio convellens, ad Paulinæ et Augustinianæ doctrinæ normam hic omnia revocat: “ Nam quicumque,” ait ille, “ cum apostolo Paulo, id est, oculo Ecclesiæ, et cum beato Augustino ejus sequace consonat; in eo ignorantia caligo non regnat.”

Quo die ex hac vita David Menevensis emigravit Kentigernum, futura præsentientem, spiritu prophetico ista discipulis suis prædixisse refert Johannes Tinmuthensis: “ Scitote quod Britannia, tanto lumine orbata, tanti patroni lugebit absentiam; qui gladio Domini, propter malitiam inhabitantium, semievaginato super illam, ne penitus usque ad intercessionem extractus percuteret, semetipsum opponebat. Tradens tradet Dominus Britanniam exteris nationibus Deum ignorantibus: sed<sup>s</sup> et a paganis, ab indigenis evacuabitur insula. Christianæ legis religio usque ad præfinitum tempus dissipabitur in ea: sed in pristinum statum imo meliorem, miserante Deo, iterum reparabitur.” Quam religionis dissipationem prius quoque ab Ambrosio Merlino prænuntiata ferunt, de rerum Britannicarum post excessum Arthuri statu ita vaticinante: “ Sex<sup>t</sup> posterius ejus sequentur sceptrum: sed post ipsos exurget Germanicus vermis. Sublimabit illum æquoreus lupus: quem Africana nemora comitabuntur. Delebitur iterum religio.” Cujus ænigmatis enodationem ab Alano de insulis, si placet, accipe. “ Posterius Arthuri dicit sceptrum secuturos, id est, regiam potentiam assecuturos: sed post ipsos Germanicum vermem, id est, Saxonice gentis populum, exurrecturum et Gormundi auxilio sublimandum. Quem æquoreum lupum appellat; eo quod insulas maris, cum ingenti classe, rapinis et ferro vastaret. Africana nemora, quæ illum comitabantur, dicit Afrorum exercitus; servata lupi metaphora, cui in nemoribus habitatio est. Gormundo ecclesias, urbes et oppida per totum Britannicæ regnum depopulante, religio est deleta iterum: hoc est, sicuti primum in diebus Hengisti, et filiorum ejus atque nepotum, in insula Britonum pene ad nihilum est redacta; sic denuo in diebus Gormundi eveniet.”

<sup>s</sup> *Secta* Tinmuth.

<sup>t</sup> Galfrid. Monemuth. lib. 7. cap. 3.

Ex Britannica vero Galfridi Monemuthensis historia expositionem suam hanc derivavit Alanus: in qua, de Gurmundo Africano, leguntur ista: “Malgoni” successit Careticus, amator civilium bellorum, invisus Deo et Britonibus. Cujus inconstantiam comperientes Saxones, ivērunt propter Gormundum regem Africanorum in Hiberniam, in quam maximis navigiis advectus, gentem patriæ subjugaverat. Exin proditione eorum, cum centum sexaginta sex millibus Africanorum ad Britanniam transfretavit: quam in una parte mentitæ fidei Saxones, in alia vero cives patriæ, civilia bella inter se assidue agentes, penitus devastabant. Inito ergo fœdere cum Saxonibus, oppugnavit Careticum regem: et post plurima prælia, fugavit eum de civitate in civitatem, donec eum trusit in Circestriam, et obsedit. Ubi Isembertus nepos Ludovici regis Francorum venit ad eum, et cum eo fœdus amicitie inivit; et Christianitatem suam tali pacto et pro amore suo deseruit, ut auxilio suo regnum Gallie avunculo eripere valuisset, a quo (ut aiebat) vi et injuste erat expulsus. Capta tandem prædicta civitate et succensa, commisit prælium cum Caretico; et fugavit eum ultra Sabrinam in Guallias. Mox depopulans agros, ignem cumulavit in finitimas quasque civitates: qui non quievit accensus, donec cunctam pene superficiem insulæ, a mari usque ad mare, exussit; ita ut cunctæ coloniæ crebris ardentibus, omnesque coloni cum sacerdotibus Ecclesiæ, mucronibus undique micantibus ac flammis crepitantibus, simul humi sternerentur. Defugiebant ergo reliquiæ tantis cladibus affectæ, quocunque tutamen ipsis cedentibus patebat.”

Postrema hæc, ut alia etiam complura, non ex libro suo Britannico transtulit Galfridus, sed ex Gilda<sup>w</sup> ad verbum exscripsit; de prima illa clade ab Hengisto Britonibus illata hæc usurpante, de Caretici vero hujus temporibus, qui post Malgonem, sive Maglocunum, sub quo epistolam suam ille scripsit, regnavisse dicitur, ne somniantem quidem. Deinde quis Ludovicus ille, ut de Isemberto nihil dicam,

<sup>u</sup> Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 8.

<sup>w</sup> Gild. supra, cap. 12. op. tom. 5. pag. 478.

cujus hic facta mentio? Hac enim tempestate, qui eo vocitatus nomine fuerit, Francorum rex nullus ostendi potest. Ad Gurmundum autem quod attinet: "Ambresburiensis<sup>x</sup> cœnobii monachos trecentos destructos fuisse per Gurmundum paganum, filium regis Africae," in eulogia a Malmesburiensi quodam monacho, conscripto legimus. Cirecestrenses quoque Grismundi quam ostentant turrem a Gurmundo positam fuisse credunt: de quorum urbe Alexander Nechamus,

Urbs vires experta tuas, Gurmunde, per annos  
Septem.

Qua "tandem capta, et passerum, ut fertur, maleficio igne succensa, ignobili quoque tunc Britonum rege Keredicio in Cambriam expulso, totius regni dominium in brevi obtinuisse Gurmundum," ex historia Britannica refert Giraldus Cambrensis<sup>y</sup>: addens tamen, eodem "in Galliarum partibus interfecto, Barbarorum jugum a Britannicis collis ea occasione depulsum esse." Verum in Anglo-Saxonum antiquioribus historiis, non modo de Gurmundo isto altissimum est silentium; sed etiam captæ Cirecestriæ et domitorum Britonum integra laus occidentalium Saxonum regi Ceaulino tribuitur: de quo Guilielmus Malmesburiensis: "Britannos<sup>z</sup>, qui temporibus patris et avi (Kenrici scilicet et Cerdici<sup>a</sup>) vel præteno deditiois umbone vel claustrorum muralium objectu Glocestriæ et Cirencestriæ et Bathloniæ exitium effugerant, infesta prosecutus animositate, urbibus exiit et in confragosa saltuosaque loca hodieque detrusit."

Anno DLXXVII. tres illas urbes Britannos amisisse, ex annalibus Saxonis, Fabio Ethelwerdo et Florentio Wigorniensis constat: quibus et illa Henrici Huntingdoniensis adjungi poterit narratio: "Ceaulin<sup>b</sup> et Cuthwine filius ejus, decimo octavo anno regni ejus pugnaverunt contra

<sup>x</sup> Vid. supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 516.

<sup>y</sup> Girald. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 39, 40.

<sup>z</sup> Guil. Malmesbur. de gest. regum, lib. 1. cap. 2.

<sup>a</sup> Vid. supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 531. 534.

<sup>b</sup> H. Huntingd. histor. lib. 2.

Britannos. Tres autem reges eorum, Commagil et Candidan et Farinmagil (aliis Comeail Condidan et Farinmeil) acies in eos confertas et splendidas prælii legibus distinxerunt apud Deorham. Bellatum est igitur robustissime: victoriam vero dedit hostibus suis Dominus omnipotens, abjecitque suos, qui vane offenderant eum; et ceciderunt die illa tres reges Christianorum prædicti, reliqui autem in fugam versi sunt. Saxones vero horribiles eis facti, inter sequendum eos, tres urbes excellentissimas sibi ceperunt; Glocestre, et Circestre, et Badecestre." Tum, de altero prælio post septennium depugnato, Henricus subdit: "Ceaulin vigesimo quinto anno regni sui et Cuthwine pugnauerunt cum Britannis in Fedhanlea. Pugnatum est autem perniciose et horribiliter utrinque. Cuthwine gravi multitudine oppressus, prostratus et occisus est. Victi sunt igitur Angli, et fugæ dati. Rex tamen Ceaulin rursus reparato exercitu, cum fugam sui abjurassent, tandem prælio victores vicit: persequensque Britannos regiones multas et innumerabilia spolia cepit." Ad annum DLXXXIV. cum Saxonibus annalibus, Ethelwerdus et Florentius posterius hoc prælium referunt: quod iuxta Moram lapideam (id est, Stane-more in Westmorlandiæ et Richmondiensis comitatus confiniis) Scotis Albiensibus Aidano et Britonibus Malgone imperante, commissum fuisse confirmat Johannes Fordonus<sup>c</sup> in Scotichronico. Quibus omnibus inter se collatis, sub Malgone Cicestriam Britannis ademptam fuisse colligimus, non sub Caretico, quem anno demum DLXXXVI. eidem successisse Matthæus Florilegus auctor est.

De Gurmundi quoque ætate non parva inter scriptores est dissensio; nonnullis<sup>d</sup> eum cum Galfridi Monemuthensis Guanio<sup>e</sup>, quibusdam cum Guilielmi Malmesburiensis<sup>f</sup> Gudrumo vel Guthruno, quingentorum plus minus annorum spatio a se discretis, eundem esse opinantibus. In Frisiorum historia, ex Ocone Scarlensi refert Johannes Ulic-

<sup>c</sup> Et Georg. Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. in rege XLIX.

<sup>d</sup> Eulog. historiar. lib. 5.

<sup>e</sup> Supra, cap. 8. op. tom. 5. pag. 245.

<sup>f</sup> Malmesbur. de gest. reg. lib. 1. cap. 5. et lib. 2. cap. 4. qui Ingulpho, fol. 494. b. est rex Godroun, quem nos Gurmound vocamus.

terpius, Hengistum et Horsum regi Frisiæ Odilbaldo anno CCCCXLI. natos in Britanniam concessisse; ut sibi cognominum Hengisti et Horsi (quorum ex Beda et probatæ fidei historicis suo loco meminimus) ulciscerentur necem. His vero etiam cæsis, milites ipsorum a Gorimondo duce Hibernico et Hibernorum quæ illum sequebantur copiis animatos, victoriam a Britannis reportavisse, Gorimondum regem sibi constituisse, eique defuncto e civibus suis unum suffecisse fabulatur. In Hollandorum chronico, Johannes Gerbrandus Leidensis, licet anno<sup>g</sup> CCCCLXXXV. ad finem jam vergente imperio Zenonis Arthurum nostrum natum, et decem<sup>h</sup> post Arthuri mortem annis Gurmundum regem factum narret; tamen ad Zenonis etiam imperium Gurmundi regnum refert: "Saxones inferiores," inquit, "cum multis paganis ex Africa et aliis diversis nationibus perrexerunt cum navibus multis tempore Zenonis imperatoris in Britanniam, id est, Angliam. Et Saxones in Anglia existentes de gente Hengisti et Horsi junxerunt se Britonibus: qui tenuerunt totum regnum, et exaltaverunt in regem Gurmundum Africanum; qui regnavit in Anglia quadraginta annis. Deinde ille Saxo triginta annis, et post eum Edelbertus; sub quo convertitur Anglia per S. Gregorium papam."

Giraldus Cambrensis, licet ex Britannica historia Keredicii sive Caretici regis Gurmundum faciat æqualem: ejusdem<sup>l</sup> tamen Gurmundi Turgesium illum Norwegum tribunum fuisse opinatur, qui nono post Christum seculo Hibernæ regnum occupavisse traditur: quæ inter se plane sunt ἀσύστατα. Addit præterea, "Hibernienses et eorum historias scriptas Turgesium prædicare; Gurmundum autem prorsus ignorare:" quanquam apud Dublinienses nostros, et Leighlinienses quoque Gormonis sive Gurmundi aliqua videri posset relicta fuisse memoria. Nam et in Dubliniensi civitate Gurmundi porta habetur, et suburbanum juxta cernitur prædiolum Grange-gorman dic-

<sup>g</sup> Supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 534.

<sup>h</sup> Jo. Gerbrand. chronic. Belgic. lib. 1. cap. 13.

<sup>l</sup> Girald. topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 38.



tum, et quindecim ab urbe passuum millibus dissitum Gormans-town nobilium Prestonæ familiæ vice-comitum notissimum domicilium. Juxta Leghliniam vero, non modo Gormondi nemus et Gormondi vadum nomen illius retinent: sed etiam in ipsa ecclesia cathedrali extabat nuper ejusdem titulus, saxo inscriptus sepulchrali:

Hic jacet humatus Dux fundator Leniæ<sup>k</sup>  
En Gormondi Burchardus, vir gratus Ecclesiæ.

Hoc epitaphium anno MDLXXXIX. inspectum a se fuisse, in Hibernicis suis annalibus testatur Thadæus Doulingus: ubi Gurmundum non totam Hiberniam, sed Laginiam tantum et Midiam sibi subjugavisse, ac filium suum Burchardum (Hibernis O Gormagheyn dictum) ducem Montis Marge<sup>l</sup> constituisse docet.

Quantam vero Britannico populo cladem Gurmundiana tempestas hæc attulerit, Galfridus sic enarrat: "Postquam<sup>m</sup> infaustus tyrannus cum innumerabilibus Africanorum millibus totam fere insulam vastavit, majorem partem ejus quæ Loegria vocabatur, præbuit Saxonibus, quorum proditione applicuerat. Successerunt itaque Britonum reliquiæ in occidentales regni partes, Cornubiam videlicet atque Guallias: unde crebras et ferales irruptiones incessanter hostibus fecerunt. Tunc igitur archipræsules, Theonus Londoniensis et Thadiocus Eboracensis, cum omnes ecclesias sibi subditas usque ad humum destructas vidissent; cum omnibus ordinatis, qui in tanto discrimine superfuerant, diffugiunt ad tutamina nemorum in Guallias cum reliquiis sanctorum: timentes ne barbarorum irruptione delerentur tot et tantorum veterum sacra ossa, si ipsa in imminente periculo desererent, et sese instanti martyrio offerrent. Plures etiam Armoricanam Britanniam magno navigio petiverunt, ita ut tota Ecclesia duarum provinciarum, Loegriæ videlicet et Northanhumbriæ, a conventibus suis desolaretur. Amiserunt deinde Britones regni diadema multis temporibus, et insulæ monarchiam;

<sup>k</sup> Id est Legh-Leniæ.

<sup>l</sup> Sliew-margc.

<sup>m</sup> Histor. Britannic. lib. 3. cap. 10, 11.

nec pristinam dignitatem recuperare nitebantur: imo partem illam patriæ quæ eis adhuc remanserat, non uni regi sed tribus tyrannis subditam, civilibus præliis sæpissime vastabant.”

Nicolaus Cantelupus in Cantabrigiensi historiola Pietis et Saxonibus a Modredo invitatis calamitatem hanc Britannis inductam narrat: Cantabrigiensi academiae, a seipso, ut videtur, excogitatum, casum ita deplorans: “Heu! civitas plena populo, mater virtutum, scientiarum nutritrix Cantabrigia, post mortem inelyti regis Arthuri, bellantium incendiis, librorum direptionibus et hostium deprædationibus facta est quasi vidua a doctoribus. Unde nefandi ambrones<sup>n</sup> Pieti et Saxones, quos proditor ille Modredus invitaverat, Christicolas studentes pariter et cives Cantabrigiæ gladiis et flammis, ut lupi oves, exterminant, fertilem patriam orientalis Britanniae devastabant, sacras ecclesias destruunt, et Christianitatem a mari usque ad mare deleverunt. Quod percipientes archipræsules, Londoniæ Theonotus et Eboraci Tadeocus, cum omnibus ordinatis et studentibus Cantabrigiæ qui in tanta destructione superferuerant, defugerunt ad tutamina nemorum Cambriæ; ubi semper vigeat Christianitas, quæ a tempore Eleutherii papæ nunquam inter eos defecerat. Veruntamen quidam vi detenti manserunt Cantabrigiæ, dissolutionem civitatis venerandæ mentis amaritudine deflentes. Pontifices autem antedicti cum aliis sanctorum reliquiis, ne barbarorum irruptione delerentur, aufugientes Cambriam, religione Christianitatis clarissime resplenduerunt: ita ut cœlestis regni desiderio succensi, vitam solitariam appetentes, relicto seculo Deum sequerentur. Ex quibus abbatia illa nobilissima Bangoriæ floruit in Dei populo: ubi<sup>o</sup> duo milia et centum monachi in continua laude divini nominis perseverabant.”

Matthæus Florilegus ad annum DLXXXVI. sub Carretico, sed Gurmundi mentione prorsus prætermissa, ex-

<sup>n</sup> Vid. Jo. Cai. histor. Cantabrig. academ. lib. 1. pag. 30. et Camd. Britan. pag. 91.

<sup>o</sup> Vid. supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 160, 161.

tremam hanc Britannorum cladem contigisse refert: de mortuis sanctorum corporibus occultatis, Saxonum in Christianam religionem odio, et B. Albani delubro ab eis diruto, hæc insuper adjiciens: "Quibusdam sanctorum corporibus, quæ in sepuleris jacebant reverenter occultata, cumulos terræ superposuerunt; ne ab infidelibus despectui haberentur. Erant enim Anglorum sive Saxonum reges armis strenuissimi, pagani atrocissimi; qui nihil potius quam Christum et Christianorum cultum subvertere sitiebant. Nam siqua ecclesia, terra subjugata, illæsa servabatur; hoc magis ad confusionem nominis Christi quam ad gloriam faciebant. Nempe ex eis Deorum suorum templa facientes, profanis suis sacrificiis sancta Dei altaria polluerunt. Hac denique tempestate ecclesia beati martyris Albani, quæ post passionem suam miro<sup>p</sup> tabulatu lapideo atque ejus martyrio condigna legitur fabricata, dejecta penitus cum aliis creditur et deleta; donec per ministerium Offæ regis, Angelo sibi revelante, corpus gloriosi martyris inventum est, et monasterium ejus denuo fabricatum."

At sepulturæ B. Albani locum Britannis ante hanc tempestatem fuisse ademptum, Malgone sive Maglocuno adhuc superstite, ex Gilda<sup>q</sup> quidam colligunt: et jam inde a primis Saxonum temporibus deletam fuisse illius memoriam, ab eodem Florilego his verbis alibi traditum invenio: "Fuerat<sup>r</sup> locus, et memoria martyris, post adventum sancti Germani Altissiodorensis episcopi, qui cum beato Lupo Treccasinæ urbis episcopo, ad extirpandam hæresim Pelagianam in Britanniam venerat, annis circiter CCCXLIV. omnino deleta. Siquidem gens pagana Saxonum, Jutorum et Anglorum, Britonibus expulsis, Britanniam subjugarant: mox agros depopulantes, ignem in civitates et oppida accumulantes, sacras ecclesias solo tenus complanantes, sacerdotes detruncantes, cunctam pene superficiem

<sup>p</sup> Vid. supra, cap. 8. op. tom. 5. pag. 234.

<sup>q</sup> Supra, cap. 7. op. tom. 5. pag. 176, 177. Vid. Camden. in Hertfordshire, pag. 293.

<sup>r</sup> Flor. historiar. ad ann. 794. ex antiquiore monacho Albanensi, qui Offæ regis vitam descripsit. vid. supra, cap. 7. et cap. 11. op. tom. 5. pag. 201. 378.

insulæ a mari usque ad mare immisericorditer deleverunt. Hac itaque tempestate, ecclesia beati Anglorum protomartyris, Albani, quam Beda in Anglorum historia, post passionem ejusdem martyris, miro tabulatu lapideo scripsit fuisse constructam, inter cæteras regionis ecclesias funditus est subversa. Unde et sepulcrum ejus, quod in adventu sancti Germani, et ante a passione martyris usque ad illius patriæ desolationem, omnibus notum, et propter miraculorum frequentiam ab omnibus fuit adoratum, tempore quo Offæ regi Angelico extitit ministerio revelatum, erat incognitum universis:” quanquam locum, in quo illa “frequentium operatio virtutum celebrari” ferebatur, Beda<sup>s</sup> usque ad tempus quo scripsit ipse, annis nimirum LXII. ante revelationem quæ Offæ facta fuisse dicitur, satis omnibus fuisse cognitum, non obscure significet.

Non igitur ecclesiam B. Albani memoriæ dicatam, quam ad sua usque tempora superfuisse confirmat Beda, infidelium Saxonum temporibus funditus subversam fuisse dicendum est; sed sepulchrum tantum illius, quod extra ecclesiam fuerat positum, Saxonibus post receptam fidem Christianam usque ad Offæ tempora fuisse incognitum: de quo Albanensis ille monachus, qui sub medium duodecimi post Christum seculi de translatione S. Albani tractatum edidit: “Refrigescente charitate,” inquit, “refriguit in Anglorum regno beati Albani martyris devotio. Et quia Catholicæ fidei fervens ardor tepuit, præclaram sancti viri memoriam infidelitas obscuravit. Latuitque sub cespite martyrii sui testis Christi egregius per secula reconditus; adeo ut omnibus ejus notitia videretur pene subtracta, et impreciables margarita nesciretur occulta:” et postea de inventione corporis sub Offa verba faciens: “Planiciem duntaxat sciebant ejus martyrii; sed locum ignorabant martyris sepulchri. Tandem, ut Deo placuit, terram aperiunt; urnam athletæ lapideam offendunt, in qua thesaurum sacri reperiunt corporis ejus qui cum Christo jam regnat in cœlestibus castris.” Cum quibus et illa alterius cœnobitæ Albanensis, qui de eadem translatione reliquiarum S. Albani lectiones concinnavit,

<sup>s</sup> Bed. histor. lib. 1. cap. 7.

sunt conferenda: "Aperientes terram, abditam in sarcophago lapideo<sup>t</sup> preciosam sacri corporis repperunt margaritam. Quam cum timore sancto et ingenti levantes gaudio, cum hymnis et laudum præconiis, in sanctam contulerunt basilicam honori beati martyris ædificatam:" et ipsius quoque Westmonasteriensis Matthæi illa: "Thesaurum diu sub cespite absconditum archiepiscopus cum suis episcopis de sepulchro levantes cum timore sancto, præcedente solemnî processione in hymnis et laudum præconiis; transtulerunt in quandam ecclesiam, olim extra urbem Verolanium in honorem sancti protomartyris consecratam; ubi in locello, ex auro et argento simul et lapidibus preciosis fabrefacto, pia patris pignora reponuntur."

Ab Offa S. Albani ædificatam fuisse basilicam, affirmat Guilielmus Malmesburiensis; ita de eo scribens: "Reliquias<sup>u</sup> B. Albani, ad illud tempus obscure reconditas, et reverenter elevari et in scrinio, quantum regia magnanimitas poterat, gemmis et auro decorato componi præcepit; basilica pulcherrimi operis ibi ædificata, et monachorum congregatione adunata:" Verum cœnobii tantum ab eo conditi Ingulphus meminit: fundatum ab eo referens "monasterium nigrorum monachorum in Verolamia civitate; ad honorem Dei, et protomartyris Anglorum, scilicet S. Albani;" et chartam illius anno DCCXCIII. (eodem ipso, quo repertæ ab eo sunt Albani reliquiæ) datam recitans, in qua monachos Croylandenses, tanquam fratres suos monachos de sancto Albano, in clientelam suam accipit. Primus autem abbas ecclesiæ S. Albani Anglorum protomartyris Willegodus fuit, quem Offa rex Merciorum potentissimus anno Dominicæ incarnationis DCCXCIV. Calendis Augusti corpore martyris invento, monachis introductis ecclesiæ nondum fabricatæ abbatem præfecit, et sub vita regulari vivere ordinavit: ut habet in historia sua majore ad annum Christi MCCXIV. Matthæus Parisiensis. Et post Offæ tempora lapideam illam S. Albani constructam fuisse ecclesiam, "insolito<sup>w</sup> Britonibus more", atque antiquiorem

<sup>t</sup> Thecam ligneam habet Matthæus Florilegus, ad ann. 794. ut supra, cap. 11. op. tom. 5. pag. 378. Tumbam lapideam, Matthæus Parisiensis, ann. 1257.

<sup>u</sup> Guil. Malmesbur. lib. 1. de gest. regum, cap. 4.

<sup>w</sup> Bed. histor. lib. cap. 4.

adeoque Britannici, id est, lignei eam fuisse operis, in quam ab Offa Albani illatæ sunt reliquiæ, uterque ille Albanensis scriptor indicat: “Ubi post annorum plurimorum volumina a fidelibus eleganti, ut cernitur, opere lapidea constructa est ecclesia, tantis militis Christi meritis condigna:” inquit illorum unus, et alter: “Interjectis ab inventione sanctissimi martyris nonnullis annorum curriculum, lapidea a Christi fidelibus ædificatur ecclesia, miraculorum ejus gloria multipliciter insignita: quæ vetusta cernitur et opere laudabili, et quæ digne debeat almi, ut confidimus, patrocínio martyris ab omni inquietudine liberari.”

Ad Christianum cultum in infidelium Saxonum ditone sublato redeo: de quo, ex vetere chronico Anglo-Saxonico Johannes Fletus<sup>x</sup> producit ista: “Languescente Britannorum fide et justitia, convenit per vices in diversas Britanniae partes incredulæ gentis Anglorum et Saxonum multitudo copiosa. Qui tandem totius insulæ nacti dominium, secundum patrias leges in cunctis regni provinciis aras et fana Diis suis erigunt, ecclesias Christi subvertunt, Christianos ejiciunt, et paganismi cultum in omnes fines terræ suæ dilatant. Rediit itaque veteris abominationis ubique sententia: a sua Britones expelluntur patria, immolat Dianæ Londonia, thurificat Apollini suburbana Thorneia, et variis erroribus circumquaque seducta regio paganizat universa.” De nova vero ecclesia ritu Christiano ibidem postea posita, ex eodem chronico, subjungit ista: “Rex orientalium Saxonum Sebertus, regis Ethelberti ex sorore nepos, accepto sanctæ regenerationis lavacro, dejecit funditus Apollinis templum prope Londoniam in Thornensi insula situatum, et ecclesiam ibidem in honore B. Petri apostolorum principis devote fundavit et construxit:” et ex<sup>y</sup> alio chronico, libri regii titulum præferente: “Sebertus rex a S. Augustino baptizatus in occidentali Londoniæ parte de quodam fano quod tunc Apollinis habebatur, et locus Thorneya dictus, basilicam Deo et S. Petro fabricavit; sanctoque Mellito Londoni-

<sup>x</sup> Joh. Flet. de eccles. Westmonaster. fundat. cap. 1.

<sup>y</sup> Ibid. cap. 5.

ensi episcopo dedicandam commendavit:" quibus et Edgari regis diploma, Westmonasteriensi ecclesiæ concessum, addi poterit: in quo, ecclesia "B. Petri, quæ sita est in loco terribili qui ab incolis Thorney nuncupatur, ab occidente scilicet urbis London, olim Dominicæ incarnationis anno DCIV. B. Ethelberti hortatu primi Anglorum regis Christiani, destructo prius ibidem abominationis templo regum paganorum, a Seberto prædivite quondam subregulo London, nepote videlicet ipsius regis, constructa fuisse asseritur."

Generatim de Anglo-Saxonum ethnicismo refert ista Glastoniensis chronographus: "Anno ab incarnatione CCCXXLIX. Angli et Saxones in Britanniam venerunt. Hi vero pagani fuerunt: et Christianam fidem, quam Britones per CCXLIII. annos fideli devotione conservaverunt, isti postea per totam fere Britanniam perverterunt; et usque ad tempus S. Augustini, videlicet centum quadraginta septem annos, maximam hujus regionis partem paganismo repleverunt:" et Radulphus Niger, in chronico, "Saxonum gens paganis ritibus adhuc dedita, totam Christianitatem in insula pene per successionem temporum deleverunt: totamque terram vi et dolo obtinentes Britones Christianos de suis sedibus effugarunt:" denique Galfridus Monemuthensis<sup>2</sup>; eumque secuti Rogerus Wendoverius<sup>3</sup>, et Matthæus Florilegus: "Pagana superstitione cœcati, in illa insulæ parte quam habebant, totam deleverunt Christianitatem. In parte autem Britonum adhuc vigeat Christianitas; quæ, a tempore Eleutherii papæ habita, nunquam inter eos defecerat." Quam Britonum in retinenda fide constantiam Wintoniensi ecclesiæ historiola ita prædicat: "Ex quo Britannia Christi fidem suscepit, semper inter eos ipsa fides remansit integra et a toto deperdito illæsa: licet per Pelagium hæreticum et gentiles Saxones terra sit multum contaminata. In Wallia enim et in Cornubia semper fides grossos suos protulit præfulgidos. Unde inter cæteras nationes, quas invenimus in

<sup>2</sup> Histor. Britannic. lib. 11. cap. 12.

<sup>3</sup> Rog. Wendov. et Matth. Florileg. ad annum 596.

fide percepta stabiles fuisse, primus fuit populus Britannicus;" quo referendum et illud distichon, in historia Eboracensium archiepiscoporum circa annum MCCCCLX. conscripta :

Quem susceperunt cultum non deseruerunt  
Nec successores Catholici Britones.

Hoc tamen vitio illis Beda<sup>b</sup> vertit vel maximo; quod "nunquam genti Saxonum sive Anglorum, secum Britanniam incolenti, verbum fidei prædicando commiserint." Quomodo vero et hi tandem, opera Gregorii magni et Augustini minoris, (eo enim epitheto hunc, licet archiepiscopum, a celeberrimo illo Hipponensium episcopo Fabius Ethelwerdus<sup>c</sup> discriminat) Christianæ religionis professionem susceperint, ita copiose in ecclesiastica gentis suæ historia ab eodem Beda est explicatum; ut eandem telam denuo texere, operis futurum sit plane supervacanei. Quamobrem, et Anglia et Cambria jam dimissa, de Albania, et populis qui post Britannos borealem illam insulæ partem occupaverunt, aliquid deinceps dicendum restat.

<sup>b</sup> Bed. histor. lib. 1. cap. 22. et lib. 5. cap. 23. Vide tamen, si tanti est, Hect. Boeth. Scotor. histor. lib. 9. fol. 161. a. de contrariis regis Arthuri hac in re conatibus.

<sup>c</sup> Ethelwerd. chronic. lib. 1.



## CAP. XV.

De Pictorum ex Scythia, et Scotorum ex Hibernia in Britanniam ductis coloniis.

De Pictorum coloniis tribus; quas sub Mario, Carausio et Gratiano hic constitutas Britannica refert historia. De Scotis et colonia ex Dalrieda Hiberniæ in Dalriedam Albanicæ ab eis missa: deque Reuda et Fergusio colorum ducibus. De conversione Scotorum, quæ sub Victore I. Romano episcopo facta fuisse dicitur. De Ursula, quæ regis Scotiæ filia fuisse fingitur, novæ fabulæ. De his, qui, sæviente persecutione Constantii vel Maximiani, in Albaniam et Monam recessisse dicuntur. De adventu Reguli et sociorum; atque ecclesiæ Andreapolitanæ fundatione. De Pictorum et Scotorum doctoribus, Niniano, Palladio, Servano, Tervano, Gilda, Kentigerno, Columba, cum duodecim ejus sociis; et aliis ad res Picticas atque Scoticas spectantibus.

Post Britones, in aquilonari sui parte Pictos primum, ut putatur, e Scythia, deinde ex Hibernia Scotos, suscepit Britannia. De Pictorum adventu primo, in Bedæ<sup>a</sup> historia ecclesiastica, habentur ista: “Contigit gentem Pictorum de Scythia, ut perhibent, longis navibus non multis oceanum ingressam, circumagente flatu ventorum extra fines omnes Britannicæ Hiberniam pervenisse, ejusque septentrionales oras intrasse; atque inventa ibi gente Scotorum, sibi quoque in partibus illius sedes petisse, nec impetrare potuisse. Est autem Hibernia insula omnium post Britanniam maxima, ad occidentem quidem Britannicæ sita; sed sicut contra aquilonem ea brevior, ita in meridiem se trans illius fines plurimum protendens, usque contra Hispaniæ septentrionalia, quamvis magno æquore interjacente, pervenit. Ad hanc ergo usque pervenientes navigio Picti (ut diximus) petierunt in ea sibi quoque sedes et habitationem donari. Respondebant Scoti, quia non ambos eos caperet insula: sed possumus (inquiunt) salubre vobis dare consilium, quid agere valeatis. Novimus insulam esse aliam non procul a nostra contra ortum solis,

<sup>a</sup> Bed. hist. lib. 1. cap. 1.

quam sæpe lucidioribus diebus de longe aspicere solemus. Hanc adire si vultis, habitabilem vobis facere valeatis: vel si qui restiterint, nobis auxiliariis utimini. Itaque petentes Britanniam Picti, habitare per septentrionales insulæ partes cœperunt. Nam austrina Britones occupaverant. Cumque uxores Picti non habentes peterent a Scotis; ea solum conditione dare consenserunt, ut ubi res veniret in dubium, magis de fœminea regum prosapia quam de masculina regem sibi eligerent: quod usque hodie apud Pictos constat esse servatum."

E Germanica Scythia prodiisse Pictos hosce, communior est opinio. "Rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem asseverant:" inquit in soceri sui vita Cornelius Tacitus. Atque uno consensu, ait de posteriorum temporibus Georgius Buchananus<sup>b</sup>, "Scoti, Angli et Germani scriptores Pictos e Germania oriundos ferunt:" ex ea nimirum "majoris Germaniæ parte quæ nunc Dania, olim citerior Scythia dicebatur:" ut habet Hector Boethius<sup>c</sup>. Scythia vero septentrionalis, ut in Daniæ descriptione refert Jonas Koldingensis, "multa et varia regna in Europa complectitur, quorum maxima et præstantissima sunt Dania, Suecia, et Norvegia: quæ, cum reliquis longissime latissimeque patentibus terris, a Daniæ præpotentioris primatu, Danicæ provinciæ antiquis historicis bullatisque Romani præsulis diplomatibus celebrantur." Cum quibus conferenda Anastasii Sinaitæ<sup>d</sup> illa: "Σκυθίαν δὲ εἰώθασι καλεῖν οἱ παλαιοὶ τὸ κλίμα ἅπαν τὸ βόρειον, ἐνθά εἰσιν οἱ Γότθοι καὶ Δάνεις. Scythiam soliti sunt vocare veteres omnem regionem borealem, ubi sunt Gothi et Dani."

Sed et Scandinavia, quæ Scythiæ insula in magno chronico Belgico appellatur, et, præter magnam Daniæ partem, integram etiam Sueciam et Norvegiam complectitur, Procopio Cæsariensi<sup>e</sup> Thule est: quam Pictorum sedem facit et Claudianus, in panegyrico de quarto Honorii consulatu ita canens:

<sup>b</sup> Buchanan. rer. Scot. lib. 2.

<sup>c</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 1. fol. 4. et lib. 5. fol. 85. b.

<sup>d</sup> Anastas. Nicæn. quæst. 33. edit. Hervet. vel Sinait. quæst. 40. edit. Gretseri.

<sup>e</sup> Procop. Belli Gothici lib. 2. pag. 232, 233. edit. Græc.

————— maduerunt Saxone fuso  
 Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule :  
 Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.

Ut enim Orcadas Saxonum piratas tenuisse, ita Pictos Thulen, (sive Scandinavia ea fuerit, sive septentrionalium insularum quæ alia) et Scotos Iernen incoluisse, claris et apertis verbis significat: quod de Ierne sive Hibernia nostra confirmat etiam Beda, in loco jam citato illud addens: "Hæc proprie patria Scotorum est: qui ab hac egressi, tertiam in Britannia Britonibus et Pictis gentem addiderunt." Imo, ut recte a doctissimo Camdeno<sup>f</sup> est notatum, "si omnes omnium historiæ intercidissent, et nemo literis prodidisset genuinos Scotos ex Hibernis prognatos fuisse, ipsarum linguarum communitas hoc facile evinceret, imo facilius, quam vel gravissimorum historicorum auctoritas." Vel, si a Scoto potius quam ab Anglo hoc audire libeat; "Multiplici," inquit Johannes Major<sup>g</sup>, "argumento certum est, nos ab Hibernicis originem traxisse. Hoc ex Beda Anglo didicimus. Hoc idem loquela manifestat. Adhuc Scotiæ ferme medietas Hibernice loquitur; et a paucis retroactis diebus plures Hibernice loquenti sunt: et tamen inter Britanniam et Hiberniam tale mare, quale inter Galliam et Scotiam, interfluit. Loquelam de Hibernia in Britanniam attulerunt. Hoc idem per nostros annales liquet: quorum scriptores in hoc non erant negligentes. Dico ergo: a quibuscunque Hibernici originem duxere, ab eisdem Scoti exordium capiunt; licet mediate, sicut ab avo nepos."

Pictos Hiberni nostri Cruithneach appellant, sive a vocabulo vernaculo *κρυθη*, quo formas sive figuras denotant, qualibus compuncta illorum fuisse corpora, vel Claudiani illud indicat in libro de Bello Getico :

————— ferroque notatas  
 Perlegit exanimes Picto moriente figuras.

sive a primo eorum rege, quem Cruithneum nominatum

<sup>f</sup> Camden. Britann. pag. 12.

<sup>g</sup> Jo. Major. de gestis Scotor. lib. 1. cap. 9.

aiunt. Refert enim Johannes Fordonus in Scotichronico, plusquam ducentorum annorum spatio post cœptum regnum Scotorum in Britannia, Pictos non regibus sed iudicibus usos fuisse: primumque Kynini iudicis filium, Cruthne nuncupatum, regia in ea gente sibi arripuisse insignia. Hector vero Boethius, ipsius primi Scotorum Albianorum regis temporibus, Fergusii nimirum filii Ferquhardi, quem anno<sup>h</sup> ante Christi adventum CCCCXXX. et postquam Brutus reissumman in Britannia adeptus fuerat DCCCXXXVII. regnum iniisse, et viginti quinque annis tenuisse scribit, inter Pictos<sup>l</sup> Cruthneum Camelonum rerum potitum esse asserit: a quo in Laudonia condita esse tradit, et regiam sedem Pictorum ad Caronæ amnis ripam, cui Cameloduno a se nomen indidit, et Agnedam oppidum, quod posterior ætas ab Etho Pictorum rege Ethinburgum nominavit. Ubi obiter tamen notandum; I. Camalodunum Trinobantum<sup>k</sup> fuisse civitatem; longissimo terrarum spatio a Laudoniæ finibus disjunctam. II. Ex antiquis monumentis, uti observat Buchananus<sup>l</sup>, compertum esse, summam rei Picticæ non Cameloduni fuisse, sed Abrenethi, quod a Johanne Fordono et a Johanne Majore<sup>m</sup> etiam est proditum, et regiam et primatis episcopi sedem extitisse. III. Agnedam, ut eam Cambro-Britanni appellant, sive Dun-cdin, ut Scoto-Hiberni, non ab Etho nescio quo, sed a vocabulo quod Britannis alam significat, ducto nomine: quod per *στρατόπειδον πτερωτόν* sive castrum alatum a Ptolemæo reperitur expressum, adeoque universam Laudoniæ, in qua illa sita est, provinciam extra Pictorum fines fuisse positam; utpote Forthæ æstuario sive freto Edenburgico<sup>n</sup> ab iis diremptam. IV. Post tempus Cruthneo huic regi a Boethio assignatum, Pictorum primum adventum a Ninio constitui. Nam commemorato tempore quo Brito, sive Brutus ille *πολυθρούλλητος*, regnavisse putabatur in Britannia, et Heli sacerdote iudicante Israelem Arca Domini ab alienigenis possidebatur: subdit: " Post intervallum

<sup>h</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 1. fol. 6. b.<sup>l</sup> Id. ibid. fol. 12.<sup>k</sup> Maldon, in Essexia.<sup>l</sup> Buchanan. rer. Scot. lib. 1.<sup>m</sup> Major. de gest. Scot. lib. 2. cap. 14.<sup>n</sup> Vid. Bcd. hist. lib. 1. cap. 12. et lib. 4. cap. 26.

multorum annorum, non minus nongentorum, Picti venerunt, et occupaverunt insulas quæ Orcades vocantur; et postea ex insulis finitimis vastaverunt non modicas et multas regiones, occupaveruntque eas in sinistra plaga Britannia: et manent usque in hodiernum diem. Ibi tertiam partem Britannia: tenuerunt, et tenent usque nunc.”

V. In Adamnani de rebus S. Columbæ ἀνεκδότοις, a Pictis distingui Cruithnios sive Cruthinios; et illos in Britannia, hos, quantum ego quidem possum intelligere, collocari in Hibernia. Unde suborta mihi aliqua est suspicio, horum fuisse regionem Cruthenorum a Probo in vita B. Patricii, Claneboianam a nobis hodie appellatam: eosdemque Hibernicos<sup>o</sup> Pictos illos esse habendos, a Cambro-Britannicis scriptoribus celebratos, qui cum rege suo Sirigi insulam Monæ sive Angleseia: intrantes, in loco Yn hericy Gwydhyl ab ipsis denominata Britannos fuderunt; posteaque ad Lhan y Gwydhyl, Hibernicorum in promontorio sacro, quod Holy-head vocant, ecclesiam, a Caswallhone Lhawhir sive Longimano, patre Maglocuni, cujus Gildas meminit, cæso Sirigi, inde expulsi sunt.

Qui de B. Andrea et sedis Andreapolitanae fundatione commentariolum reliquit antiquus author Scotus, “totam insulam Britanniam Christianitatem fuisse doctam, antequam Picti et Scoti illam intrarent,” affirmat: ad eorum hic sententiam accedens, qui post ortum Christi Servatoris Pictos et Scotos hic sedes collocasse tradiderunt. Inter eos Mewinus Britannus chronographus numeratur, quem Melkinum Avallonium appellant alii. Hic enim, si Johanni Hardingo<sup>p</sup> referenti credimus, Gadelum et uxorem Scotam, Pharaonis regis nescio cujus filiam notham, anno Christi LXXV. una cum Pictis in Albaniam venisse fabulatur: et a Scota regionem Scotiam, a Gadelo locum in quo consedit Galwaiam sive Gadel-waiam fuisse nuncupatam. Ad eundem annum<sup>a</sup> LXXV. Pictorum adventum in Bri-

<sup>o</sup> Y Gwydhyl Pichtiaid. Vid. Humfred. Lhuyd. in Anglicana sua Wallia: descriptione, pag. 14, 15. et Camden. in Anglesey, pag. 540, 541.

<sup>p</sup> Harding. chronic. cap. 50.

<sup>a</sup> Wernerus Laerius, in fasciculo temporum, ætatis sextæ, circa annum Christi LXXIV. “Scotica gens oritur ex Pictis, et Iberis in Albione, quæ est pars Angliæ.”

tanniam refert etiam Matthæus Florilegus: sed ex Britannica historia, a Galfrido Monemuthensi Latine edita, vero aliquanto similiorem narrationem subjicit. In illa enim historia, post natum Christum tres Pictorum in Britanniam deductas colonias invenio: quorum primus hic ipse est, cujus Matthæus meminit, regnante Mario<sup>9</sup> factus, Meurico vel Meurigo Cambro-Britannis dicto; de quo ita Galfridus:

“ Arvirago<sup>r</sup> successit in regnum filius ejus Marius; vir miræ prudentiæ et sapientiæ. Regnante postmodum illo, quidam rex Pictorum vocabulo Rodric, de Scythia cum magna classe veniens, applicuit in aquilonarem partem Britannia, quæ Albania appellatur: cœpitque provinciam illam vastare. Collecto igitur populo suo petivit illum Marius: illatisque præliis ipsum interfecit, et victoria potitus est. Deinde erexit lapidem in signum triumphi sui in provincia quæ postea de nomine suo Westmaria dicta fuit; in quo inscriptus titulus memoriam ejus usque in hodiernum diem testatur. Perempto vero Rodric, dedit devicto populo qui cum eo venerat, partem Albania ad inhabitandum, quæ Cathanesia vocatur. Erat autem deserta, nullo habitatore, multis diebus inculta. Cumque uxores non habentes, filias et cognatas Britonum ab illis peterent; dedignati sunt Britones hujusmodi populo natas suas maritare. At illi ut repulsam passi fuerunt, transfretaverunt in Hiberniam, duxeruntque ex patria illa mulieres: ex quibus coadunata sobole multitudinem suam auxerunt.”

Quamquam vero in multis Britannicæ historiæ fidem vacillare haud nesciam: non omnino tamen videtur contemnendum quod de titulo, Marianæ victoriæ indice, testimonium adjungitur. Nam et ante historiam illam a Galfrido e Britannico sermone versam, auctor longè gravior, Guilielmus Malmesburiensis, in prologo libri tertii de gestis pontificum, illius hunc in modum meminit: “ Est in Lugubalia civitate (Carleolo vulgo dicta) triclinium lapi-

<sup>9</sup> De quo supra, cap. 2. op. tom. 5. pag. 35, 43.

<sup>r</sup> Hist. Britann. lib. 4. cap. 17.

deum fornicibus concameratum, quod nulla unquam tempestatum contumelia, quinetiam nec appositis ex industria lignis et succensis, valuit labefactari. Cumberland vocatur regio, et Cumbri vocantur homines: scripturaque legitur in fronte triclinii; **MARII VICTORIÆ:** licet **MARTI VICTORI**, in nonnullis exemplaribus concipi, accepisse se notet Camdenus<sup>a</sup>: sed plane contra Malmesburiensis mentem, qui statim subjicit: “Quod quid sit hæsito: nisi forte pars Cimbrorum olim his locis insederit, cum fuissent a **MARIO** Italia pulsi:” de quo, Ranulphus Cestrensis in polychronico: “Hic<sup>t</sup>,” inquit, “fuit Willielmus Malmesburiensis deceptus, putans hunc lapidis titulum ad **Marium** consulem Romanum pertinere: nec mirum; cum ipse Britannicum librum non legisset, ubi de **Mario** rege continetur.”

In Saxeto quod, in Westmorlandiæ et Richmondiensis comitatus confiniis positum, Stane-more<sup>u</sup>, hoc est, ericetum lapidosum dicitur, commissum fuisse hoc prælium Malmesburiensis ille monachus qui eulogium scripsit, Johannes Hardingus et Guilielmus Caxtonus retulerunt. Ibidemque titulum a **Mario** positum fuisse opinatur Hardingus<sup>v</sup>, ubi crux stetit lapidea, quam Reicrois et Rerecrosse appellant, atque crucem vel rubeam vel regiam interpretantur: quamque a **Guilielmo I.** Angliæ et **Malcolmo III.** Can-more sive Capitone, Scotiæ rege tanquam limitem utrique regno fixam fuisse, Scotorum tradunt historici<sup>x</sup>. Author genealogiæ Britannicorum regum, qui **Henrici VI.** temporibus scripsit, et cum eo consentiens Caxtonus, hunc titulum lapidi a **Mario** inscriptum dicit: “Hic **Westmer** rex Britanniæ vicit **Rodric** ejus inimicum.” Eulogii scriptor titulum alium, a veteribus Anglis (ut genus sermonis prodit) magno lapidi incisum, ad sua usque tempora durasse asserit:

<sup>a</sup> Camden. in Cumberland. pag. 641.

<sup>t</sup> Polychron. lib. 4. cap. 9.

<sup>u</sup> Supra, cap. 14. pag.

<sup>v</sup> Jo. Harding. chronic. cap. 49.

<sup>x</sup> Hect. Boeth. Scot. hist. lib. 12. Jo. Leslæ. de gest. Scot. lib. 6. et Georg. Buchanan. rer. Scot. lib. 7. in rege LXXXVI. Vid. Camden. pag. 595.

Here the king Westmer  
Slow the king Rothynger.

Hic rex Westmer  
Occidit regem Rothinger.

Scribit Johannes Rossus Warwicensis, “ Roderico Pictorum vel potius Scytharum duce perempto, illos alium quendam Berench in ducem elegisse; a quo villa Berewick, quasi Berenchi villa, nomen sumpsit: ” quæ fabella apud eulogii authorem, et, illius hic prementem vestigia, Guilielmum Caxtonum, etiam extat; de Marii rebus, in quinto operis sui libro ita scribentem, “ Primo vocabatur Marius; deinde, victoria habita, vocabatur Westmarius: a quo dicitur Westmerland: nam illam partem patriæ multum de cætero dilexerat. De hominibus Roderici remanserunt nongenti; qui fidelitatem et homagium regi Westmer faciebant. Dedit enim eis quandam vastam terram ad inhabitandum per se, ne cum aliis commiscerentur. Fuit autem unus magnus inter eos, qui vocabatur Beringarius: (Beryngerum Caxtonus vocat:) erat enim princeps eorum. Hic fecit villam inter eos, quam post nomen suum nominavit; et vocavit illam Berwyk: quæ usque hodie ita nominatur. Acta sunt hæc anno Domini CXLII.”

Incidit ille annus in Antonini Pii imperium: quum idem tamen author alibi, Florilegi rationibus congruenter, ad Vespasiani tempora ista referat: sic enim in quarto ejusdem operis libro legimus: “ Contigit tempore Vespasiani gentem Pictorum de Scythia navigasse: et flatu ventorum oras boreales Hiberniæ ingressi sunt, ubi in multitudine copiosa Scottos invenerunt. Nam cum terra illa ambas gentes sustinere non potuit, miserunt Scotti Pictos ad septentrionalem partem Britanniæ, opem contra adversarios promittentes. Tempore Vespasiani Cæsaris, apud Britones regnante Mario filio Arviragi, Rodericus rex Pictorum cœpit Albaniam devastare. Quem Marius occidens, dedit devicto populo qui cum Roderico venerat borealem partem Albanæ ad inhabitandum: ” quibus consimilia etiam in alio Britannæ chronico anonymo, ad annum Domini MCCCXLVII. producto, invenimus: “ Tempore Vespasiani, gens Pictorum de Scythia per oceanum Bri-



tanniam ingressa, regnante apud Britannos Mario filio Arviragi; cujus rex Rodericus Albaniam devastavit: quem Marius rex Britonum prælio interfecit juxta Lugubaliam, quæ est nunc Karliol; et populo devicto, qui cum Roderico venerat, borealem partem Albaniam quæ Kathonesia dicitur ad habitandum dedit. Illi vero uxoribus carentes, cum de natione Britonum habere non possent, transfretantes Hiberniam sibi Hibernensium filias copularunt eo tamen pacto, ut sanguis maternus in successione præferatur.”

Atqui sub Domitiano Vespasiani filio, Arviragum Marii hujus patrem in Britannia regnavisse, ex Juvenale constat: qui in quarta Satyra Domitiano, Flaviæ gentis ultimo, “quem<sup>y</sup> calvum dixit sua Roma Neronem,” ita descripto;

Cum jam semianimem laceraret Flavius orbem  
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni:

Veientonem sic illum alloquentem inducit:

Omen habes, inquit, magni clarique triumphi:  
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno  
Excidet Arviragus.

ubi vetus scholiastes a P. Pithæo editus, Britannorum regem hunc Arbilam dictum notat. Arivogum potius appellatum nummus indicat, quem in thesauro Cottoniano vidi-  
mus, nomine ARIVOG signatum. Juxta hanc vero rationem, Pictorum e Scythia discessus in illa incurrisset tempora, quibus Trajanus, “Dacis<sup>z</sup> et Scythis subactis, de eis triumphavit;” quem triumphum ad Candidi et Quadrati consulatum, hoc est, ad æræ nostræ Christianæ annum CV. refert Cassiodorus: et Scythæ exules non in australi Caledoniæ sive Albaniam parte, quæ ante annos non multos Julio Agricola, in has regiones Romanum exercitum ducenti, Galgaco duce, super triginta millia armatorum opposuit, sed ultra Grampium in Cathanesia, extrema insulæ parte, freto Pictlandico ab Orcadibus sejuncta, incolis tum

<sup>y</sup> Auson. in Cæsariis.

<sup>z</sup> Δᾶκας καὶ Σκύθας ὑποτάξας κατὰ τούτων ἐθιμίμβυσεν. Euseb. in chronico.

vacua consedissent. Dacos vero et Sarmatas “corpora sua inscribere” solitos fuisse auctor est Plinius<sup>a</sup>: quod Pictis nostris in usu fuisse, ex Claudiano et Isidoro non opus est ut admoneam.

Secundam Pictorum coloniam in australi Albaniae parte constitutam tradit historia Britannica. Fulgenium<sup>b</sup> enim quendam, inde transfretantem in Scythiam, adversus Severum imperatorem Pictos auxiliares conduxisse narrat: iisque postea Carausium “dedisse locum mansionis in Albania; ubi cum Britonibus mixti per subsequens ævum permanserunt.” Diocletiano vero et Maximiano imperantibus, purpuram in Britannia assumpsit Carausius: de quo Eutropius<sup>c</sup>: “Carausius, qui vilissime natus, in strenuo militiae ordine famam egregiam fuerat consecutus, cum apud Bononiam per tractum Belgicæ et Armoricæ pacandum mare accepisset quod Franci et Saxones infestabant, multis barbaris sæpe captis, nec præda integra aut provincialibus reddita aut imperatoribus missa, cum suspicio esse cœpisset consulto ab eo mitti barbaros ut transeuntes cum præda exciperet atque hac se occasione ditaret; a Maximiano iussus occidi, purpuram sumpsit, et Britannias occupavit.” Et Paulus Orosius<sup>d</sup>: “Carausius quidam, genere quidem infimus sed consilio et manu promptus, cum ad observanda oceani littora, quæ tunc Franci et Saxones infestabant, positus plus in perniciem quam in provectum reipublicæ ageret, ereptam prædonibus prædam nulla ex parte restituendo dominis sed sibi soli vendicando, accendens suspicionem quia ipsos quoque hostes ad incurstandos fines artifici negligentia permetteret: quamobrem a Maximiano iussus occidi, purpuram sumpsit, ac Britannias occupavit.” Et Sextus Aurelius Victor, ab Andrea Schotto editus; “Maximianus Herculius in Galliam profectus, fuis hostibus aut acceptis, quieti omnia brevi patrauerat. Quo bello Carausius, Menapiæ civis, factis promptioribus enituit: eoque eum,

<sup>a</sup> Plin. lib. 22. cap. 1.

<sup>b</sup> Galfrid. Monemuth. hist. lib. 5. cap. 2. et 3.

<sup>c</sup> Eutrop. hist. Rom. lib. 3.

<sup>d</sup> Oros. lib. 7. cap. 25. et eum secutus Beda, lib. 1. cap. 6.

simul quia gubernandi<sup>e</sup>, quo officio adolescentiam mercede exercuerat, gnarus habebatur, parandæ classi ac propulsandis Germanis maria infestantibus imperatores præfecere. Hoc elatior, cum parum multos opprimeret, neque prædæ omnia in ærarium referret: Herculi metu, a quo se cædi jussum compererat, Britanniam hausto imperio capessivit.”

Ubi cum Menapiæ civem eum appellat Victor, et Menapia urbs non in Belgica sed in Hibernia a Ptolemæo ponatur, licet Menapiorum populus utrobique ab eodem statuatur, videndum cum Camdeno<sup>f</sup> nostro, an non Hibernus potius habendus fuerit Carausius quam Belga. Quamcunque vero ille patriam habuerit, “virum rei militaris peritissimum” fuisse testatur Eutropius; ita ut cum contra eum ab imperatoribus “bella frustra tentata essent, ad postremum pax convenerit: soli Carausio,” ut addit Victor, “remisso insulæ imperio; postquam jussis<sup>g</sup> ac munimento incolarum contra gentes bellicosas opportunior habitus fuisset.” Quum autem Carausius in Britannis rebellaret, Diocletianus, ut tradunt Eutropius et Orosius, “Maximianum Herculum ex Cæsare fecit Augustum:” quod quidem Calendis Aprilibus, Maximo II. et Aquilino consulibus, id est, anno Diocletiani secundo et Christianæ nostræ epochæ CCLXXXVI. factum, in fastis suis consularibus annotat Idatius. Anno tamen Diocletiani “tertio, Carausium sumpta purpura Britannias occupavisse,” in chronico Eusebiano legimus. Ad quem locum, in Basileensis editionis margine, Johannes Sichardus notulam hanc apposuit: “Hic puto Scotiam ab Anglia primum divisam.” Quæ opinio nulla sane vel ratione vel auctoritate nititur: nisi eo fortasse referendum quis putaverit, quod de muro Caledoniam a reliqua Britannia dirimente apud Ninii interpolatorem habetur annotatum: “A Pen guaul, quæ villa Scotice Cevail, Anglice vero Peneltum dicitur, usque ad ostium fluminis Cluth et Cair Pentaloch, quo murus ille finitur, rustico opere Severus construxit: sed nihil profuit. Ca-

<sup>e</sup> Τῆς κυβερνητικῆς, sive rei nauticæ.

<sup>f</sup> Camden. in Hibernia, pag. 748. Vide Jani Dousæ Bataviani, pag. 33.

<sup>g</sup> Vide Jo. Livineii notas ad panegyric. 9. pag. 354.

rausius postea imperator reædificavit, et septem castellis munivit, inter utraque ostia : domumque rotundam politis lapidibus super ripam fluminis Carun, quod a suo nomine nomen accepit, fornicem triumphalem in victoriæ memoriæ erigens, construxit." Murum istum Graham's dyke, domum Arthur's oven et Julius hoff, appellant hodie.

Estque hic præterea illud observandum, ut paulo ante Scoticarum gentium a Porphyrio<sup>h</sup> philosopho, ita nunc Pictorum nominis ab Eumenio rhetore, primam mentionem factam inveniri. Hic enim in panegyrico ad Constantium Cæsarem, Britannicarum rerum statum sub Carausio et Julio Cæsare inter se componens, de Julianis temporibus ita sententiam suam effert : " Ad hoc natio etiam tunc rudis, et soli Britanni, Pictis modo et Hibernis assueta hostibus, adhuc seminudis, facile Romanis armis signisque cesserunt : prope ut hoc uno Cæsar gloriari in illa expeditione debuerit, quod navigasset oceanum." De ipsius vero Constantii adversus Caledonios expeditione paulo ante obitum suscepta, in alio ad Constantinum magnum illius filium panegyrico verba faciens ; hac oratione utitur : " Neque enim ille tot tantisque rebus gestis, non dico<sup>l</sup> Caledonum aliorumque Pictorum sylvas et paludes, sed nec Hiberniam proximam, nec Thulen ultimam, nec ipsas, si quæ sunt, fortunatorum insulas dignabatur acquirere : sed, quod eloqui nemini voluit, iturus ad Deos genitorem illum Deorum, ignea cœli astra refoventem, prospexit oceanum. In quibus Eumenii verbis observare licet : primum quidem, post victoriam Pictorum Constantium Patrem mortuum esse ; ut a vetere historico est notatum, quem una cum Ammiano Marcellino vir eruditissimus Henricus Valesius nuper edidit. Deinde, non Caledones solum inter Pictos hic recenseri, sed præter eos alios etiam fuisse Pictos innui. Caledoniæ enim incolas in

<sup>h</sup> " Neque enim Britannia fertilis provincia tyrannorum, et Scoticæ gentes omnesque usque ad oceanum per circuitum barbaræ nationes Moysen prophetasque cognoverant." Vide supra, cap. 1. op. tom. 5. pag. 1. Vide Holstenii dissertationem de scriptis Porphyrii, pag. 25, 26.

<sup>l</sup> Dicaldonum legit id. Valesius in notis ad Ammian. lib. 27. cap. 8.

duas gentes divisos fuisse, Dicalidonas et Vecturiones, in rerum gestarum libro vigesimo septimo author est Ammianus Marcellinus: cujus prioris nominis in Dunkelden urbe episcopali adhuc retinetur vestigium: quæ in limine Caledoniæ sylvæ posita, appellationem situi non male respondentem est adepta: “Calden enim Scotis ea arbor est, quæ Latinis Corylus;” ut Buchananus<sup>k</sup> hic observat: licet Caledoniorum nomen a Caled, quod Cambro-Britannis Durum denotat, Camdenus<sup>l</sup> malit deducere. Quæ ut rectius intelligantur, notandum est, Caledonios restrictiore significatione sumptos (quos etiam Caledonum nomine speciatim fortasse panegyristes denotare voluit) a Ptolemæo infra sylvam Caledoniam collocari, a Lelalonio sinu usque ad æstuarium Vararis: quum Caledoniæ nomine latius accepto, et qui ante eum scripsit Tacitus, et qui post eum Dio, borealem illam universam Britanniaë partem comprehenderit, quæ a<sup>m</sup> parte Britonum Romanis subditorum erat “remota, duobus sinibus maris interjacentibus; quorum unus ab orientali mari, alter ab occidentali, Britanniaë terras longe lateque irrumpit:” ut Beda loquitur. Glotam et Bodotriam sinus illos appellat Tacitus: fretum Dunbriannicum et Edenburgicum nostri. Unde de Britannia agens Dio: Hujus insulæ, inquit<sup>n</sup>, “pars paulo minus quam dimidia nostra est: quam Severus cum vellet omnem in suam potestatem redigere, ingressus est in Caledoniam:” a quo ingressu usque ad ipsum extremum insulæ terminum nomen hoc extendendum, etiam Solinus<sup>o</sup> indicat; dum Britanniaë longitudinem “in Calidonicum usque angulum metitur, et a Calidoniæ promontorio Thulen petentibus bidui navigationem esse” asserit.

Quum vero Caledoniæ habitatores in Dicalidonas et Vecturiones diviserit Marcellinus: a situ distinctionem

<sup>k</sup> Buchanan. rer. Scot. lib. 2.

<sup>l</sup> Camden. in Scotia, pag. 701.

<sup>m</sup> Bed. hist. lib. 1. cap. 12.

<sup>n</sup> Τούτων ἡμεῖς οὐ πολλῶ τιμὴ τῆς ἡμετέρας ἑλαττόν τι ἔχομεν. Ὁ δ' οὖν Σεβήρος, πᾶσαν αὐτὴν καταστρέψασθαι θελήσας, ἐπέβαλεν ἐς τὴν Καληδονίαν. Dio in Severo.

<sup>o</sup> Solin. Polyhistor. cap. 22. edit. Salmasii; 25. Delrii.

illam ductam fuisse non male censuit Camdenus<sup>p</sup> noster. Ut enim Deheu Caledonii, Caledonios dextrorsum habitantes absque omni controversia denotat: ita et Vecturionum nomen a Chwithic vocabulo deflexum esse suspicatur, quod sinistram Britannis significat. Sed dextram et sinistram ad occasum et ortum liaud recte trahit vir doctissimus: unico illo Ninii loco non recte percepto in errorem abductus: “Tunc rex dedit illi arcem, cum omnibus provinciis plagæ occidentalis Britannicæ: et ipse cum magis suis ad sinistram plagam pervenit, et usque ad regionem quæ vocatur Guennesi aufugit:” De Guorthigerno ille loquitur, a montibus Heriri sive Snowdonicis in Arvoniam ad regionem in qua sita est Luguballia<sup>q</sup> sive Carleolum, hoc est a Cambria ad Cumbriam, et ab occidentali Britannicæ parte ad borealem in fugam se conferente. Nam per sinistram plagam non orientalem intellexisse Ninium sed borealem satis aperte ipse indicat, quum Idam, primum Nordan-humbrorum regem, regiones in sinistrali parte Humbri maris duodecim annis tenuisse, et Pictos regiones in sinistrali plaga Britannicæ occupavisse scribit: quemadmodum opposito dextræ nomine australem plagam designari, et hodiernus linguæ Cambro-Britannicæ usus confirmat, et ipse Camdenus agnoscit alibi<sup>r</sup>, et nos in quinto<sup>s</sup> capite aliquot antiquiorum scriptorum testimoniis comprobavimus. Quum igitur “Septentrionales Pictos arduis atque horrentibus montium jugis ab australibus sequestratos” apud Bedam<sup>t</sup> legamus: illos Vecturiones, hos Ducalidonios fuisse censemus. Cumque ad Dunbritannici “sinus, qui antiquitus (ante adventum Scotorum scilicet) gentem Britonum a Pictis secernebat, partem septentrionalem Scotos advenientes, sibi locum patriæ fecisse” ab eodem Beda<sup>u</sup>, in historiæ suæ initio, traditum inveniamus: Pictorum partem in qua receptos illos fuisse ibidem notat, occidentalem Deucalidoniorum oram fuisse concludimus, ad mare Deucalidonium positam, Hiberniæ Scotorum patriæ

<sup>p</sup> Camden. Britann. pag. 84.

<sup>q</sup> Vid. supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 84.

<sup>r</sup> Camden. in Dimetis. pag. 501.

<sup>t</sup> Bed. histor. lib. 4. cap. 4.

<sup>s</sup> Op. tom. 5. pag. 103.

<sup>u</sup> Id. lib. 1. cap. 1.

proximam, et cohærentibus Grampii montis jugis a Vecturionum sive Pictorum septentrionalium parte disternitam. Scoticas enim hasce Alpes “Scotos dudum a Pictis, et eorum ab invicem regna separavisse,” prodit etiam Fordonus in Scotichronico: montes videlicet Dorsi Britannici, sive Drum Albin; de quibus in ἀνεκδότοις Adamnani de rebus S. Columbæ legimus: “Oceani insulæ per totum, videlicet Scotia et Britannia, binis vicibus vastatæ sunt dira pestilentia: exceptis duobus populis, hoc est, Pictorum plebe et Scotorum Britannia; inter quos utrosque Dorsi montes Britannici disternant.”

Extant libri tres ab authore quodam incerto de B. Patricii vita conscripti: in quorum primo leguntur ista: “Scoti de Hibernia sub rege suo Neill Næigiallach multum diversas provincias Britannia contra Romanum imperium, regnante Constantio filio Constantini, devastabant: contendere<sup>w</sup> incipientes aquilonalem plagam Britannia. Et post tempus, bellis et classibus Hibernienses expulerunt habitatores terræ illius; et habitaverunt ipsi ibi:” deinde, aliquibus interjectis, “Ductus est itaque sanctus Patricius ad Hiberniam captivus, primo anno regni Juliani imperatoris apostatæ, qui regnavit post Constantium; anno autem nono regni Neill Næigiallach regis Hibernia, qui septem et viginti annis potenter regnavit; quique Britanniam et Angliam, usque ad mare quod est inter Galliam et Angliam, multum devastavit, ibique in bello cecidit.” Ex quibus colligimus, juxta hujus scriptoris sententiam postremis Constantii temporibus, annis nempe ante Juliani imperium octo, regnare cœpisse Nellum illum magnum: quo “Hibernia monarchiam obtinente, sex filios Muredi regis Ultonia in classe non modica boreales Britannia partes occupasse, gentemque ab iis propagatam et specificato vocabulo Scotiam vocatam” fuisse Giraldus Cambrensis<sup>x</sup> etiam narrat. Unde videndum, an non sex istorum fratrum princeps Reuda ille fuerit, cujus Beda<sup>y</sup> his

<sup>w</sup> Conterere.

<sup>x</sup> Girald. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 16.

<sup>y</sup> Bed. histor. ecclesiast. lib. 1. cap. 1.

verbis meminit: “ Britannia post Britones et Pictos tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit: qui duce Reuda de Hibernia progressi, vel amicitia vel ferro sibimet inter eos sedes, quas hactenus habent, vindicarunt. A quo videlicet duce usque hodie Dalreudini vocantur: nam lingua eorum Dal partem significat,” et eum secutus auctor chronici Britannici; qui verbis illis, de Pictis tempore Vespasiani in Kathencia consistentibus, paulo<sup>2</sup> ante a nobis citatis statim subjicit: “ Processu vero temporis Scoti duce Reuda de Hibernia, quæ proprie Scotorum est patria, progressi, vel amicitia vel pugna sibi juxta Pictos sedes staturunt, et Galwediam inhabitaverunt:” quod de Galwediam tamen clarissimo Bedæ adversatur testimonio, qui Britonum<sup>a</sup> ditionem (ut diximus) ad Dunbritannicum sinum usque porrigit, et ad septentrionalem<sup>b</sup> sinus illius partem Scotos advenas consedissee confirmat.

Penultimo vero Constantii illius de quo diximus anno, ipso videlicet Constantio X. et Juliano III. consulibus, hoc est, anno æræ Christianæ CCCLX. docet auctor locupletissimus Ammianus Marcellinus<sup>c</sup>, “ in Britannia, Scotorum Pictorumque gentium ferarum excursu, rupta quiete conducta, loca limitibus vicina vastata” fuisse; et in ipso principio imperii Valentiniani senioris, quod in annum CCCLXIV. incidit, “ Pictos<sup>d</sup>, Saxones, Scotos et Attacotos, Britannos ærumnis vexavisse continuis:” de iisdem postea addens: “ Eo<sup>e</sup> tempore Picti, in duas gentes divisi, Dicalidonas et Vecturionès, itemque Attacoti belliosa hominum natio, et Scoti, per diversa vagantes multa populabantur.” Quare, quum “ Britannias<sup>f</sup> barbarica conspiratione ad ultimam vexatas inopiam” Valentinianus intellexisset, ad hæc prohibenda missum ab eo in insulam Theodosium Hispanum comitem refert, in Africa prius “ officiis Martiis (ut ille loquitur) felicissime cognitum:” quem ut Africanum quondam et Britannicum ducem Sym-

<sup>2</sup> Supra, pag. 109.

<sup>b</sup> Bed. lib. 1. cap. 1.

<sup>d</sup> Ammian. Marcellin. initio lib. 26.

<sup>f</sup> Ibid.

<sup>a</sup> Bed. lib. 1. cap. 12.

<sup>c</sup> Ammian. Marcellin. initio lib. 20.

<sup>e</sup> Id. lib. 27.



machus<sup>s</sup> idcirco celebrat: de quo et Latinus Pacatus-Drepanius, in panegyrico ad Theodosium Augustum, ejusdem comitis filium: "Redactum ad paludes suas Scotum loquar? Compulsus in solitudines avias omnis Alamanus, et uterque Maurus occurrent:" et Claudianus in panegyrico, tum de tertio, tum de quarto, Honorii consulatu: in posteriore sic de illo canens:

Ille Caledoniis posuit qui castra pruinis,  
 Qui medio Libyæ sub casside pertulit æstus;  
 Terribilis Mauro, debellatorque Britanni  
 Littoris, ac pariter Boreæ vastator et Austri.

In priore, ita:

Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos  
 Edomuit; Scotumque vago mucrone secutus,  
 Fregit Hyperboreas remis audacibus undas.  
 Et geminis fulgens utroque sub axe trophæis,  
 Tethyos alternas refluxas calcavit arenas.

Ad Attacotos vero quod attinet: eos cum Scotis, in epistola ad Oceanum conjungit etiam Hieronymus. Ubi enim in vetere editione Veneta anni MCCCCLXXVI. Basileensi anni MCCCXCVII. legebatur; "Scottorum et Atticorum ritu, ac de republica Platonis, promiscuas uxores, communes liberos habeant:" pro Atticorum, quædam exemplaria Atticorum habuisse, Marianus Victorius monuit; quæ omnino pro genuina lectione est habenda. Neque aliud sentiendum de consimili ejusdem Hieronymi loco, in libro adversus Jovinianum secundo. "Quid loquar de cæteris nationibus: cum ipse adolescentulus in Gallia viderim Scotos (ita enim habent libri editi) gentem Britannicam, humanis vesci carnibus?" ubi Thomas Dempsterus<sup>b</sup> pro Scotis substituit Gothos: et quidem non meram conjecturam, sed auctoritatem librorum manuscriptorum hic obtendens: ea videlicet fide, qua duas proximas voces, *gentem Britannicam*, quas correctioni suæ obstare pu-

<sup>s</sup> Symmach. lib. 10. epist. 22. ad Theodos. Aug.

<sup>b</sup> Dempster. apparat. ad histor. Scotic. lib. 1. cap. 4.

tabat, " abesse ab omnibus antiquis codicibus," idque Erasmo Roterodamo auctore, finxit; " aut forte ab Henrico Stephano primum additas in odium Henrici Schrimgeri Scoti, cum quo similtates ille letales exercebat," est suspicatus. Atqui ne ab uno quidem antiquo codice abfuisse voces istas ostendere potuit Dempsterus, nedum ab omnibus; nec tale quicquam unquam Erasmus scripsit; neque ulla omnino habetur Hieronymianarum lucubrationum editio ab Henrico Stephano adornata; et antequam Stephanus natus est, operum Hieronymi editiones omnes (atque illæ nominatim quæ Venetiis anno MCCCCLXXVI. et Basileæ anno MCCCXC VII. prodiit) gentem Britannicam nobis hic exhibuerunt. De Scotis vero ut distincta natione statim ibidem subjicit ipse Hieronymus " Scotorum natio uxores proprias non habet," &c. Pro Scotis tamen alias Attiscotos fuisse lectum, Henricus Gravius; in aliis vero MSS. Cattitos, Cattacottos et Attigottos, annotavit Guilielmus Camdenus<sup>1</sup>: uterque vero non alios quam Ammiani Marcellini Attacotos hic accipiendos esse conjicit. Ex hoc eodem Hieronymi adversus Jovinianum libro, in Chrysostomi (vel alterius alicujus, illi æqualis; qui sub Arcadii imperio sermonem hunc habuit,) sermonem de Pentecoste, complura a vetere Latino interprete insulta esse, non potest negari. Quum igitur ibi legatur " Ante hoc autem quoties in Britannia humanis vescebantur carnibus; nunc jejuniis reficiunt animam suam," ut *Attiquoli* vox minus intellecta, correctorum temeritate in *autem quoties*, etiam hic degeneraverit, conjectura est quæ probabilitatis specie non careat.

Tertium Pictorum adventum sub Gratiano et Valentino juniore statuunt: de quibus eulogii author, libro quarto, " Gratianus et Valentinianus fratres et imperio consortes gentem Gothicam Pictorum, in rebus bellicis fortem et strenuam, beneficiis et blanditiis allectam a Scythiæ finibus ad Britanniam direxerunt. At Britones inermes et omni militia nudati, a Pictis suppeditantur, sic quod Picti accolæ facti sunt in parte Britanniae aquilo-

<sup>1</sup> Camden. Britann. pag. 91.

nari:” et Giraldus Cambrensis, in libro primo de institutione principis: “Cum Maximus tyrannus de Britannia in Galliam, cum robore<sup>k</sup> virorum et virium necnon et armorum insulæ toto, ad occupandum imperium transvectus fuisset; Gratianus et Valentinianus fratres imperiique consortes, gentem Gothicam, in rebus bellicis fortem ac strenuam, sibi quoque vel confœderatam vel subjectam et imperialibus beneficiis obstrictam, a Scythiæ finibus in aquilonares Britanniæ partes ad Britones infestandum, et tyrannum cum juventute revocandum, navigio transmiserunt. Illi vero tum quoniam pro innata Gothorum bellicositate prævalidi fuerunt, tum quoniam insulam viris ac viribus vacuum invenerunt; boreales ejusdem partes ac provincias non modicas, ex prædonibus accolæ facti, sibi usurpatas occupaverunt.”

Porro, ut Hunnorum copias a Bautone Valentiniani imperatoris duce adversus se accitas conquerenti Maximo a B. Ambrosio<sup>l</sup> responsum est Valentinianum Hunnos atque Alanos appropinquantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexisse: ita nominatim “Guanium<sup>m</sup> Hunnorum et Melgam Pictorum regem ascivisse sibi Gratianum” Galfridus Monemuthensis<sup>n</sup> refert; eosque “misisse in Germaniam, ut eos qui Maximiano faverent (sic enim ille Maximum appellat) inquietarent.” Deinde de eorum in Albaniam adventu ista subjicit: “Nefandi Pictorum et Hunnorum duces Guanius et Melga, qui partibus Gratiani et Valentiniani favebant, cum didicissent insulam Britanniæ ab omni armato milite vacuatam, iter festinatum versus illam direxerunt: associatisque sibi collateralibus insulis, in Albaniam applicuerunt. Agmine igitur facto, invaserunt regnum quod rectore et defensore carebat, vulgus irrationabile cædentes. Abduxerat enim secum Maximianus omnes bellicosos juvenes qui reperiri potuerant: inermesque colonos atque inconsultos reliquerat. Quos

<sup>k</sup> Omni armato terræ milite Ranulph. Cestr. in Polychronic. lib. 1. cap. 58. ex Giraldo.

<sup>l</sup> Ambros. ep. 24. op. tom. 2. pag. 890.

<sup>m</sup> Vid. supra, cap. 8. op. tom. 5. pag. 243.    <sup>n</sup> Histor. Britann. lib. 5. cap. ult.

cum prædicti Guanius et Melga compererunt minime resistere posse, stragem non minimam facientes, urbes et provincias, ut ovium caulas, vastare non cessabant. Cum igitur tanta calamitas Maximiano nunciata fuisset, misit Gratianum municipem cum duabus legionibus, ut auxilium subvectaret: qui ut in insulam venerunt, præliati sunt cum prædictis hostibus, et acerrima nece affectos ipsos in Hiberniam fugaverunt. Interea Maximianus Romæ interfectus est ab amicis Gratiani; et Britones, quos secum duxerat, interfecti sunt et dissipati. Qui evadere potuerunt, venerunt ad concives suos ad Armoricam, quæ jam altera Britannia vocabatur. Atº Gratianus municeps, cum de nece Maximiani audivisset, cepit regni diadema, et sese in regem promovit. Exin tantam tyrannidem in populo exercuit, ut catervis factis irruerent in illum plebani et interficerent. Quod cum per cætera regna divulgatum fuisset, reversi sunt prædicti hostes ex Hibernia: et secum Scotos, Norwegenses et Dacos conducentes, regnum a mari usque ad mare ferro et flamma affecerunt.” Hæc Galfridus: de Albania, in quam jam tertio Pictos deduxit, paulo post adjiciens: “Erat autem Albania penitus frequentatione Barbarorum vastata: et quicumque hostes superveniebant, opportunum intra ipsam habebant receptaculum.”

Quo pacto Gratianus municeps successisse dici possit Maximo, (quum ille Gratianus<sup>p</sup> Honorio VII. et Theodosio II. consulibus anno Christi CCCCVII. id est, annis post necem Maximi novemdecim apud Britannos et tyrannus creatus et post menses quatuor occisus fuerit) nunc non exquiro: a Britannicis ad Scoticos historicos devenio; qui a Maximo hoc, dum Britanniaë legatus esset, fœdere cum Pictis conjuncto, suos ingenti prælio superatos et ex tota insula pulsos fuisse scriptitant. “Cecidit,” inquit Johannes Fordonus<sup>q</sup>, “his diebus in

º Hist. Britann. lib. 6. cap. 1. Vid. Matthæum Florilegum, ann. 392.

<sup>p</sup> Zosim. histor. lib. 5. et 6. Bed. histor. ecclesiastic. lib. 1. cap. 11. ex P. Oros. lib. 7. cap. 40.

<sup>q</sup> Fordon. Scotchronic. lib. 2. cap. 45.

bello rex Scotorum Eugenius, cum filio; multique cum eis principes et reguli: vulgus etiam innumerabile. Sed et reliqui qui bello supererant, relictis prædiis, subesse cum populo vel hostibus servire nolentes, elegerunt in terram potius alienam velut advenæ, degentes liberi, quam propria subditi vivere continua servitute. Ethac quoque regis frater cum suo filio, cui nomen Erth, aliisque pluribus Hiberniam petiit: alii vero Norwegiam. Insulas itaque quidam petentes, per omne tempus latebant ex-cidii: præter quas, omne regnum, circa Dominicæ tempus incarnationis annum videlicet CCCLX. amiserunt.”

Juxta Johannis Majoris<sup>r</sup> rationes in annum CCCLIII. juxta Buchananis<sup>s</sup> in CCCLXXVII. circiter, exilium illud Scotorum conjiciendum esset. Hector Boethius<sup>t</sup>, et ejus abbreviator Johannes Leslæus, vel Robertus Turnerus potius, ad secundum Juliani apostatæ imperii annum casum istum refert: qui anno Christi partim CCCLXII. partim CCCLXIII. respondet; licet ille CCCLXXIX. hic nominet. Eo anno, tum reliquos Scotos Romanis armis regno ejectos fuisse ait, tum Ethodium (ita enim eum appellat, quem Fordonus et Major Ethach nominat) a Maximo Legato Albione prohibitum, in Norvagiam Daniamve (non, ut Fordonus scripsit, in Hiberniam) concessisse. Hibernos deinde ad pristinas sedes Scotos, cognatum populum, vi reducere conantes, a Romanis et Pictis atrociter oppressos esse addit: coactumque Hiberniæ regem per legatos pacem a Maximo Romanorum duce petere; quam et illi impetraverint, prius tamen ab eo duriter ob-jurgati, quod “cum hostibus, contra Romanos Romano-rumque socios et confæderatos, auxiliares copias miserint in Albionem, præsertim, quum ad eum usque diem Hi-bernia sola inter orbis regna Romanis armis manserit intacta.”

Maximum hunc, “cum per tyrannidem oppressis Bri-tannis sumpsisset victoriam, a militibus imperatorem crea-

<sup>r</sup> Major, de gest. Scotor. lib. 2. cap. 1.

<sup>s</sup> Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. in rege XL.

<sup>t</sup> Boeth. Scotor. histor. lib. 6.

tum fuisse" Gregorius Turonensis<sup>u</sup>; "*in Britannia a militibus imperatorem constitutum, incursantes Pictos et Scotos strenue superavisse,*" Tiro Prosper<sup>w</sup> (sive Gennadius Massiliensis ille fuerit) affirmat in chronico. Abductis tamen postea in Gallias Romanis legionibus, ab iisdem ferocibus gentibus Britanniam misere vastatam fuisse, conqueritur Gildas Britannus: post commemoratam cædem tyranni, statim adjiciens: "Exin Britannia omni armato milite, militaribus copiis, rectoribus, licet immanibus, ingenti juventute spoliata, (quæ comitata vestigiis supradicti tyranni domum nusquam ultra rediit,) et omnis belli usus penitus ignara; duabus primum gentibus transmarinis vehementer sævis, Scotorum a Circio, Pictorum ab aquilone calcabilis, multos stupet gemitque annos:" ubi illud PRIMUM non de prima infestatione simpliciter posse accipi, quæ ex Ammiano Marcellino et aliis jam producta sunt satis evincunt: sed de calcatione, hoc est, infestatione simul ac dirissima depressione; ut in verbis proxime sequentibus sese Gildas explicat. De TRANSMARINIS autem, quare ita dictæ sunt gentes illæ, Beda<sup>x</sup> sententiam suam ita aperit: "Transmarinas dicimus has gentes, non quod extra Britanniam essent positæ, sed quia a parte Britonum erant remotæ, duobus sinibus maris interjacentibus; quorum unus ab orientali mari, alter ab occidentali, Britannicæ terras longe lateque irrumpit, quamvis ad se invicem pertingere non possint. Orientalis habet in medio sui urbem Guidi. Occidentalis supra se, hoc est, ad dexteram sui habet urbem Alcluith, quod lingua eorum significat Petram Cluith: est enim juxta fluvium nominis illius:" quamquam author glossæ Cantabrigiensis bibliothecæ MS. Gildæ adjectæ, non ad Scotos quos Reudæ<sup>y</sup> ductu in Albaniam jam ante venisse sensit Beda; sed ad alios qui rapiendi atque prædandi spe ex Hibernia in Britanniam quotannis transmittabant, illud referendum annotaverit: "Quia Scotti, inquit, tunc temporis in Hibernia habitabant, et Picti in Scotia, id est, ab aquilone:" cui apprime

<sup>u</sup> Gregor. Turon. hist. Franc. lib. 1. cap. 33.

<sup>w</sup> Et eum seculus Sigebertus ad annum Christi 334.

<sup>x</sup> Bed. histor. lib. 1. cap. 12.

<sup>y</sup> Supra, pag. 116.

favet Fabius Ethelwerdus, eam historiæ partem plenius hunc in modum explicans: “ Habitante plebe Britannica incuriose causa firmitatis intra fossam quæ a Severo Cæsare condita erat, insurrexerunt gentes duæ, Picti scilicet ab aquilonali plaga et Scoti ab OCCIDENTALI, contra eos cum exercitu, vastantes eorum possessiones: et sic per multa annorum spatia innumerabili eos miseria afflixerunt.” Ut de eulogii authore nihil dicam, qui post Gratiani et Valentiniani junioris tempora “ Scotos duce Reuda de Hibernia venientes, sibimet juxta Pictos longo spatio terrarum sedes statuisset,” in quarto operis illius libro significat.

Anno CCCLXXXVIII. Maximus occisus est, Theodosio Augusto II. et Cynegio consulibus: post quinquennium, idem Theodosius III. et Abundantius nomen suum fastis præscripserunt: ad quorum consulatum, “ Scotos a Circio et Pictos ab aquilone vastavisse insulam Britanniam,” in Florentii Wigorniensis chronico pariter invenimus. Johannes Major<sup>z</sup>, “ anno ab orbe redempto CCCXCVI. tempore Honorii et Arcadii imperatorum, in Britanniam Scotos dispersos rediisse,” et quidem prius quam Fergusius Scotiæ regnum capesseret, historiæ mandavit. Classis quoque Hibernicæ ad Britanniam hoc tempore appulsæ Claudianus meminit; ipsam ita loquentem inducens Britanniam:

Me<sup>a</sup> quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,  
Munivit Stilicho; totam quum Scotus Iernen  
Movit, et infesto spumavit remige Tethys.

Illiusque opera, ab hostium incursione atque impetu tutam redditam fuisse Britanniam, verbis proxime sequentibus, (quæ in undecimo<sup>b</sup> capite recitavimus) clarum facit: quibus et illa adjungenda ex libro secundo in Eutropium eunuchum, anno CCCXCIX. consulatum gerentem, ab eodem edito:

<sup>z</sup> Jo. Major, de gest. Scotor. lib. 2. cap. 1.

<sup>a</sup> Claudian. lib. 2. de laudib. Stilichonis.

<sup>b</sup> Supra, op. tom. 5. pag. 335.

—— domito quod Saxone Tethys  
Mitior, aut fracto segura Britannia Picto.

Munivit vero Britanniam Stilicho, Romana legione in limite ad propulsandos Scotos et Pictos constituta: cujus idem poeta in epithalamio Palladii et Celerinæ meminit; de Celerinæ patre loquens, qui fuisse notarius videtur omnium dignitatum et administrationum tam militarium quam civilium:

Sparsas imperii vires constringit in unum  
Depositum: quæ Sarmaticis custodia ripis,  
Quæ sævis objecta Getis, quæ Saxona frænata  
Vel Scotum legio; quantæ cinxere cohortes  
Oceanum, quanto pacatur milite Rhenus.

Et in libro de bello Geticō:

Venit et extremis legio prætenta Britannis;  
Quæ Scoto dat fræna truci, ferroque notatas  
Perlegit exanimēs Picto moriente figuras.

Ex quibus postremis versibus frustra Dempsterus<sup>d</sup> confirmare nititur, quod in patriis annalibus traditum invenit: Fergusium Scotum “interfuisse cum suis Romæ direptioni, Alarico Gothorum regi auxiliatum:” neque enim de auxiliariis Alarici militibus, sed de legione Romana, e Britannia ad illum oppugnandum evocata, neque de Romæ direptione quicquam hic scripsit Claudianus, sed de prælio quod in agro Pollentino anno CCCCIII. cum Alarico gestum est; in quo et Stilicho, Romanæ militiæ magister, quem ante Romam ab Alarico captam in vivis esse desiisse constat, hujusmodi oratione Romanis cohortibus addens animos a poeta introducitur:

Credite nunc omnes quas dira Britannia gentes,  
Quas Ister, quas Rhenus alit, pendere paratas  
In speculis: uno tot prælia vincite bello.  
Romanum reparate decus, molemq; labantis  
Imperii fulcite humeris: hic omnia campus  
Vindicat, hæc mundo pacem victoria sancit.

<sup>c</sup> *exanguis.*

<sup>d</sup> Dempster, *histor. ecclesiast. Scotor. lib. 6. num. 532.*



Neque minorem vanitatem sapit, quod de Fergusio ab eodem est additum: “ex tantæ civitatis spoliis ac præda, ipsum nihil domum retulisse præter arcas quasdam libris MSS. plenas (quasi ars eo tempore in usu esset typographica, aut ulli tum libri uspiam extarent alii quam manuscripti:) quos etiam suo ævo Hector Boethius viderit.” Cum enim Hector ille Boethius, a quo istam mutuatus est fabulam, unius tantum arcæ libris refertæ meminerit, eamque a Fergusio abductam non ex sua sententia sed ex dubiis aliorum rumoribus retulerit; et quos ipse conspexit libros, utrum in Albione scripti an aliunde eo delati essent, incertum fuisse tradiderit: sua tamen auctoritate Dempsterus et arcas multiplicat, et eas a Fergusio domum relatas asseveranter affirmat, et quos Hector viderat libros eosdem cum Fergusianis istis fuisse audacter pronunciat.

Locum Boethii, quia de libris Ionæ insulæ quædam continet lectu non indigna, integrum hic placuit describere: “Ferunt<sup>e</sup> præter sacra quædam vasa, multamque et pretiosam suppellectilem, arcam quandam libris refertam, Fergusio militari pro instituto sorti obvenisse: eumque, quo numine motum incertum est, incredibili diligentia eandem servasse, et in Hebrides secum post multos cum Gothis in Italia labores per Germaniam deportasse intactam; locasseque tandem in Ionæ insula, ædibus ad tam celebria (ut rebatur) monumenta simul cum suæ gentis egregie gestis, delectis ad id opus probatis scriptoribus, in codices redactis, perpetuo servanda diligenti opera constructis. Asseverant quidam, ut ipsi frequentius audivimus, Æneam Sylvium, virum literis deditissimum, qui postea summus pontifex creatus Pii secundi nomen tulit, dum in Scotia ad Jacobum primum regem, Eugenii quarti Romani pontificis jussu, legatione fungeretur, horum fama motum in Hebrides ad Ionam trajicere destinasse; explorandi animo, si quid illic Titi Livii Patavini decadum, quas bella efferatorumque immanitas (plus enim bella possunt in rebus memoria dignissimis exterminandis quam vetustas) in Italia absumperant, invenire possit: subitaria autem

<sup>e</sup> Hect. Boeth. Scotor. histor. lib. 7.

regis morte, rebus in Scotia undique turbatis, quum tam difficile ac laboriosum iter impacatam per regionem multis sine ducibus peragere nequivisset, proposito destitisse.”

“ Cæterum qui sint libri in Iona insula fama adeo celebrati, ac quibus de rebus conscripti, explorandi provinciam sumentes apud piorum loci illius cœtum, nuncio tertium compellatum, opera maxime nobilis ac eruditi viri Joannis Campibelli, a regiis thesauris, tandem obtinuimus, ut antiqui codices, qui quinque illic Romanis characteribus essent exarati, ad nos fideli nuncio Aberdoniam deferrentur. Ergo anno Christiano quinto supra millesimum quingentesimum ac vicesimum, vetustissima quædam codicum ac paucula fragmenta, quorum vix aliquod palmæ superabat magnitudinem, dura et inflexibili pene membrana, mira arte ac diligentia, ut ex characterum elegantia facile dignoscitur, conscripta, vetustate vel custodum potius incuria adeo erosa, ut vix decimum quodque verbum legere possis, recepi. Verum, sive ii libri quorum ea, cæteris partibus consumptis, sunt fragmenta, illic aut in Albione sint scripti, sive peregrinis ex locis illuc delati (neutrum enim perspicue cognitum habemus) Romano more, Romanis de rebus conscripti, uno omnium qui ea viderunt iudicio, Sallustianam potius quam Livianam redolere eloquentiam censentur. Allata et ad me est eodem nuncio, Veremundi archidiaconi olim sancti Andreae de nostris rebus, etsi rudi quadam vetustate, conscripta historia, a Scotorum gentis origine usque ad Malcolmum Canmor regem, abunde omnia complectens.”

Hisce Boethii adjiciamus et Pauli Jovii illa, in Scotiarum insularum descriptione de antiquitatibus Ionæ (quæ non Chilca, ut apud illum legitur, sed Y-Columhill sive insula S. Columbæ hodie vocatur) ita disserentis: “ Asservantur in arcanis templi armariis vetustissimorum annalium codices, atque item latæ membranæ, ipsorum regum subscriptæ manibus, aureisque vel cereis sigillorum imaginibus obsignatæ; quibus antiquæ leges edictaque, et finium ac civitatum jura publica continentur. Fama quoque est, prisca ingeniorum monumenta, Romanasque historias, quæ quisque vel idiota desideret, in illis scriniis recondi:

Quas Fergusius Scotorum regulus, non incuriosus (ut videri potest) amator historiae, Alarico Gothorum regi comes, direpta urbe Roma, secum abstulerit; in Ionamque demum tumultu Danico, diligentius et tutius asservandas, religiose transtulerit. Ita, ut non omnino vanum et irritum videri possit, reliquas Titi Livii decades expectare: quarum e tenebris crutarum certa exempla ad Franciscum Galliae regem, Scotorum literis prolixè atque munifice promissa nuper audivimus." Sed inanem fuisse spem illam, rei exitus indicavit.

Initium Fergusiani regni in annum Domini CCCCI. imperatoris Arcadii et Honorii VI. Johannes Fordonus conjicit: de anno CCCIII. Johanne Majore, de anno etiam Honorii et Arcadii imperatorum sexto (qui tamen cum anno Christi quadringentesimo potius congruit) libro Pasletensi consentiente. Quod tempus quum clade urbis superius esse Boethius animadverteret, ne non posset consistere quod jam prius dixerat; Fergusium primæ pubertate in Alarici exercitu militavisse, et ad expugnationem urbis præsentem adfuisse: regem creatum illum fuisse scripsit, anno<sup>s</sup> sacratissimi Virginei partus CCCXXII. et Honorii imperatoris Romani duodevigesimo. Verum annus ille Honorii ad annum æræ Christianæ CCCXII. rectius fuisset referendus: cui si sexdecim annos addamus (quot præfuisse Scotorum regno Fergusium idem postea<sup>h</sup> subjicit) ad CCCXXVIII. æræ nostræ pervenimus, in quo cœpit annus Valentiniani imperatoris quartus. Ad quem calculum proxime accedit, quod in eadem historia statim subjungitur; Eugenium patri Fergusio eo anno successisse, qui fuit Christianæ salutis CCCXXX. et Valentiniani imperatoris quartus. At Dempsterus hoc ipso anno CCCXXX. quo Fergusium occisum fuisse tradiderunt Boethius et Lessæus, Scotos post quatuor et quadraginta annorum exilium (quod anno salutis CCCLXXIX. imperante Juliano cœpisse vult) Fergusio ducente restitutos fuisse narrat; sedentibus Romæ Innocentio I. Scoto,

<sup>f</sup> Hect. Boeth. Scot. hist. lib. 7. fol. 114.

<sup>g</sup> Ibid. fol. 116, 117.

<sup>h</sup> Ibid. fol. 122.

Sozimo, (Zosimum volebat dicere) Bonifacio I. Celestino I. Sixto III. Leone I. ridicula quædam et inter se pugnancia hic permiscens. Nam ut præteream, quo judicio, Arnoldum Pontacum<sup>1</sup> et eo recentiores alios secutus ille sit, qui Innocentium pontificem, quod patria Albanus fuisse diceretur, ex Italia in nostram Albaniam transtulerunt et Scotum fuisse conjecerunt; et qua temporum peritia anno CCCLXXIX. Julianum imperavisse sentiat: quam ridiculum illud, ut sex simul pontifices quasi uno anno Romæ sedentes inducantur? quod exilium anno CCCLXXIX. cœptum, et annis quatuor et quadraginta continuatum, in anno CCCXCV. terminatum fuisse credatur? quod Innocentius denique, qui anno CCCXCVII. vivere desiit, et Leo, qui non ante CCCXCV. pontificatum adiit (ut de intermediis episcopis taceam) Romæ sedisse existimentur, quum Fergusius Scotorum regnum administraret; quod tamen, ex Dempsteri sententia, et anno CCCXCV. ille susceperit, et ultra novem annos non tenuerit? Ex aliorum vero quorundam sententia, ante annum CCCXCVII. Scotorum in Ergadia sive Argathelia regnum cœptum non fuisse, chronologici illi indicant versiculi, quos Scotichronico insertos reperi:

Bis bis centeno, quater et deca sed minus uno,  
Anno quo sumpsit primos Egradia Scotos,  
Ut referunt isti, fuit incarnatio Christi.

Anno CCCXCVII. occiso<sup>k</sup> in Britannia a militibus Gratiano municipe; "ejus<sup>l</sup> loco Constantinus ex infima militia, propter solam spem nominis, sine merito virtutis electus, continuo ut invasit imperium, in Gallias transit:" atque ita quicquid<sup>m</sup> prius a Maximo tyranno in insula relictum fuerat militaris roboris exhaustit. Anno sequente, Transrhenani<sup>n</sup> barbari adversus Constantinum in Gallia rebellantes, eo

<sup>1</sup> Pontac, et Genebrard, in chron. Leslæ. de reb. gest. Scot. in fine reg. 40.

<sup>k</sup> Zosim. hist. lib. 6. Olympiodor. hist. in Photii bibliotheca, num. 80. Prosper, in chronico. Sozomen. hist. ecclesiast. lib. 9. cap. 11. Procop. rer. Vandalic. lib. 1. Vid. supra, pag. 120. et cap. 12. op. tom. 5. pag. 427.

<sup>l</sup> P. Oros. hist. lib. 7. cap. 40.

<sup>m</sup> Guil. Malmesbur. de gest. reg. Anglor. lib. 1. cap. 1.

<sup>n</sup> Zosim. lib. 6.

Britanniæ incolas redegerunt, ut ab imperio Romano deficerent, et Romanorum legibus non amplius obedientes, arbitrato suo viverent. Itaque Britanni, sumptis armis, et quovis adito pro salute sua discrimine, civitates suas a barbaris imminentibus liberarunt; ipso quoque imperatore Honorio, ut rebus suis consulerent, literis eos adhortante. Post urbem vero ab Alarico captam, et occisum Constantinum tyrannum, "Honorium Britannico exercitu recepto confestim et insulam ad imperium retraxisse" scribit Sabellicus<sup>o</sup>. Romanos<sup>p</sup> tamen Britanniam recuperare eo tempore non potuisse, auctor est Procopius: Beda<sup>q</sup> quoque et annalibus Anglo-Saxonicis, et Fabio Ethelwerdo idem attestantibus: quibus ex recentioribus et Blondum<sup>r</sup> addere liceat: qui, interfecto apud Arelatum Constantino tyranno, vacuum alias milite Britanniam Pictos et Scotos Albienses invasisse narrat, Britannosque parentes imperio magnis calamitatibus afflxisse: ut quum imploratus Aetius auxilium non daret, necesse illis fuerit cum Scotis ac Pictis fœdera inire et a republica deficere.

Anno CCCCVIII. "Romani omnes thesauros Britanniae in terram absconderunt, et multos secum in Gallias portaverunt: quos autem absconderunt, postea inveniri non potuerunt." Ita habent annales Saxonicis: et Fabius Ethelwerdus in eandem sententiam: "In nono anno post eversionem Romæ a Gothis, relictis qui erant in Britannia Romana ex gente, multiplices non ferentes gentium minas, scrobibus occultant thesaurum, aliquam sibi futuram existimantes fortunam: quod illis post non accidit. Partem sumunt, in unda gregantur, dant ventum carinis, exules Gallias tenent partes." Proximo tamen ante obitum anno, "Britannis subjectionem Romano imperio repromittentibus subsidium misisse Honorium, et Hispanis, Wandalarum bello laborantibus: sed id frustra fuisse," in chronico suo annotat Sigebertus Gemblacensis. Et quidem

<sup>o</sup> Sabellic. Ennead. 8. lib. 1.

<sup>p</sup> Βριττανίαν μὲν τοὶ Ῥωμαῖοι ἀνασώσασθαι οὐκέτι ἔσχον. Procop. rer. Vandalic. lib. 1. pag. 94.

<sup>q</sup> Vid. supra, inii. cap. 9. op. tom. 5. pag. 263.

<sup>r</sup> Blond. decad. 1. lib. 2.

anno CCCCXXII. "Honorio XIII. et Theodosio X. consulibus (qui proximus fuit ante Honorii excessum annus) exercitum ad Hispanias contra Vandalos missum fuisse," in Prosperi et Cassiodori chronicis legimus: ut ad eum quoque annum (juxta eos quos Sigebertus secutus est authores) referendum sit, quod a Blondo<sup>s</sup> similiter proditum invenimus; Britannos, cum barbariem Scotorum ac Pictorum perferre non possent, obtenta ab Aetio una legione, iterum ad Romanos rediisse: "Dedit Aetius (inquit ille) legionem unam: quæ mare transgressa, barbaros multa cæde repulit Britanniasque, quamdiu affuit, pro Romano imperio conservavit."

Sabellicus<sup>t</sup> rem gestam sic exponit: "Pictavi et Scoti primo insulanorum res latrocinio foedere adorti, foederis prætextu conati sunt sibi insulam vindicare. Gliscere indies id malum, ac ultra quam tutum esset imperii rebus, augebatur duarum gentium audacia: apparebatque brevi totam insulam alienatum iri, nisi ejusmodi conatibus mature iretur obviam. Erat tum Britannia sine præsidio. Id veritus Aetius, fatigatusque eorum precibus qui adhuc in fide erant, legionem unam misit ex Gallia in insulam. Sunt Pictavi et Scoti variis inde cladibus ab Ætianiis affecti: estque insulæ status multo pacatior factus, quam diu antea fuisset. Quiescebat per hæc Britannia unius legionis præsidio." Et Paulus diaconus: "Hac<sup>u</sup> tempestate Britanni, Scotorum Pictonumque infestationes non ferentes, Romam mittunt; ac sui subjectione promissa, contra hostes auxilia flagitant. Quibus statim ab Honorio missa militum legio, magnam Barbarorum multitudinem stravit; cæterosque Britannicæ finibus expulit." Et, antiquior scriptor, Gildas: "Britannia legatos Romam cum epistolis mittit; militarem manum ad se vindicandam lacrymosis postulationibus poscens, et subjectionem sui Romano imperio continue tota animi virtute, si hostis longius arceretur, vovens. Cui mox destinatur legio præteriti mali immemor (occisionis<sup>w</sup> videlicet imperatoris Gratiani;

<sup>s</sup> Blond. decad. 1. lib. 2.

<sup>t</sup> Sabellic. Ennead. 8. lib. 1.

<sup>u</sup> Paul. diacon. continuat. Eutropii, lib. 14.

<sup>w</sup> Vid. supra, cap. 8. op. tom. 5. pag. 241.

ut glossator hic exponit) sufficienter armis instructa. Quæ ratibus trans oceanum in patriam advecta, et cominus cum gravibus hostibus congressa, magnamque ex eis multitudinem sternens, et omnes e finibus depulit, et subiectos cives tam atroci dilaceratione ex imminente captivitate liberavit. Quos jussit construere inter duo maria trans insulam murum; ut esset arcendis hostibus a turba instructus terrori, civibusque tutamini. Qui a vulgo irrationabili absque rectore factus non tam lapidibus quam cespitibus non profuit."

Murum hunc cespitium inter duo freta, Dunbritannicum et Edinburgicum, erectum fuisse, docet nos Beda<sup>x</sup>; ita illum describens: "Insulani murum, quem jussi fuerant, non tam lapidibus quam cespitibus construentes, utpote nullum tanti operis artificem habentes, ad nihil utilem statuunt. Fecerunt autem eum inter duo freta vel sinus maris, per millia passuum plurima: ut ubi aquarum munitione deerat, ibi præsidio valli fines suos ab hostium irruptione defenderent. Cujus operis ibidem facti, id est, valli latissimi et altissimi usque hodie certissima vestigia cernere licet. Incipit autem duorum ferme millium spatio monasterio Abercurnig<sup>y</sup> ad occidentem, in loco<sup>z</sup> qui sermone Pictorum Penvahel, lingua autem Anglorum Penneltun appellatur; et tendens contra occidentem, terminatur juxta urbem Alcluith." Et Johannes Fordonus, in Scotichronico: "Britones<sup>a</sup>, ut eis jussum est, supradictum murum ab oceano construunt ad oceanum, et tantis per intervalla firmatum turribus, quod ab unaquaque tubæ clangor ad aliam pertingere posset, maximo sumptu perfecerunt. Incipit autem ab oriente super australe litus Scotici maris juxta villam Kaer-eden<sup>b</sup>: deinde passuum spatio viginti duorum millium procedens, per transversum insulæ porrigitur; et civitatem habens ab austro Glasguensem, in ripa fluminis Clude juxta Kirk-Patrick terminatur." Et Johannes Major: "Britones<sup>c</sup>, duabus gentibus resistere non

<sup>x</sup> Bed. hist. lib. 1. cap. 12.

<sup>z</sup> Vid. supra, pag. 111, 112.

<sup>b</sup> Eden-borough.

<sup>y</sup> Vid. Bed. lib. 4. cap. 26.

<sup>a</sup> Fordon. Scotichronic. lib. 3. cap. 4.

<sup>c</sup> Major, de gest. Scot. lib. 2. cap. 1.

potentes, ad Romanos pro suppetiis miserunt: qui ad Britonum preces insulam ingressi, murum erigere studuerunt, multo magis septentrionalem quam erat prior murus a Romanis extractus: immo iste secundus murus ad octoginta millia passuum priore muro a Romanis extracto borealior fuit. Hanc terram Maximus Britonum dux suo regno adjecit. Ab Abercorvie<sup>d</sup> initium hic murus accepit, et per latitudinem terræ ad Dakenclud per Glasguensem civitatem et Kirk-patrick ducebatur; ab incolis Grams-dyk vocatus.”

Romana vero illa legio, ut narrat Blondus<sup>e</sup>, brevi revocata est; cum Burgundiones novos parere motus viderentur: ob quam rem rursus Barbari Britanniam populationibus incendiisque sædarunt. “Quod cum Valentiniano renunciatum esset, legionem quam Aetius Senonibus, Aurclianensibus Parisiisque præsidio attribuerat, per Gallionem Ravennatem jussit in Britannias transportari. Cujus legionis adventu Britanniarum primores confirmati, Scotos Pictosque timere desierunt.” Addit idem, a Valentiniano Mahertium<sup>f</sup> ex Ravenna et Gallionem ex Britannia in Africam contra Bonifacium cum magnis copiis missos, in ipsa exscensione profligatis eorum copiis a Bonifacio interfectos fuisse. Docet vero Prosper in chronico, postquam Valentinianus decreto Theodosii Augustus appellatus est biennio exacto, Hierio et Ardabure consulibus, hoc est, anno æræ vulgaris CCCCXXVII. “Bonifacio bellum, ad arbitrium Felicis, (huic enim, ut Romanæ militiæ eo tempore magistro, hoc tribuit non, ut alii<sup>g</sup>, Aetio) publico nomine illatum; atque Mavortium (qui ille Blondi est Mahertius) et Gallionem (sic enim integrum<sup>h</sup> Prosperi chronicon nominat non, ut vulgatum, Galbionem) dum Bonifacium obsident, esse interemptos.” Ex quibus colligimus, “secundam vastationem et secundam ultionem,”

<sup>d</sup> Vel Abercornie potius; unde comitum Abercorniæ ductus honorarius titulus. Bedæ Abercurnig: ad ostium (id enim Aber denotat) Carronis fluvii.

<sup>e</sup> Blond. decad. 1. lib. 2.

<sup>f</sup> Mavortium appellat Prosper.

<sup>g</sup> Theophanes, in hist. miscell. lib. 14. Sigebert. in chron. ann. 426.

<sup>h</sup> Ex Lodonensi MS. ab Arnaldo Pontaco citatum, in notis ad Prosperum, col. 781. De quo etiam Gallione plura comminiscitur Hector Boethius, hist. Scotor. lib. 7. fol. 122. a. 124. a. b. 125. a.



quas Gildas vocat, in Britannia circa annum CCCCXXVI. contigisse: quarum historiam breviter Sabellicus sic percenset: "Burgundiis Galliam infestantibus, Aetius suos ex insula revocare coactus est: ac legione una Parisiis et Aureliensibus ad præsidium relicta, et Tarraconensibus in Hiberis altera, cum cætero robore copiarum in Burgundios movit. Scoti post legionariorum decessum, cum Albiensibus confestim ad res novas consurgunt; navibusque circumvecti, maritima Britanniae oppida ferro et igni populantur. Exarsisset per hæc novum bellum in insula, nisi Valentiniани jussu legio, quæ Parisiis præsidio erat ab Actio relicta, Gallionis Ravennatis<sup>i</sup> ductu insulanis præsto affuisset: sub cujus appulsum vilescere cœperunt Scotorum et Albiensium latrocinia."

Gildas vero uberius ac fusius hisce verbis rem exequitur: "Illa legione domum cum triumpho magno et gaudio repedante, illi priores inimici ac si ambrones<sup>k</sup> lupi profunda fama rabidi, siccis faucibus ovile transilientes non comparent pasture, alis remorum remigumque brachiis, ac velis vento sinuatis vecti, terminos rumpunt: cæduntque omnia, et quæque obvia maturam ceu segetem metunt, calcant, transeunt. Itemque mittuntur queruli legati scissis, ut dicitur, vestibis, opertisque sablone<sup>l</sup> capitibus, impetrantes a Romanis auxilia, ac veluti timidi pulli patrum fidissimis alis succumbentes; ne penitus misera patria deleteretur, nomenque Romanorum quod verbis tantum apud eos auribus resultabat, vel exterarum gentium opprobrio obrosum vilesceret. At illi quantum humanæ naturæ possibile est commoti tantæ historia tragædiæ, volatus ceu aquilarum, equitum in terra, nautarum in mari cursus accelerantes; inopinatos primum tandem terribiles inimicorum cervicibus infigunt mucronum ungues, casibusque foliorum tempore<sup>m</sup> certo assimilanda iisdem peragunt stragem: ac si montanus torrens crebris tempestatum rivulis auctus, sonoroque meatu alveos exundans, ac

<sup>i</sup> De quo Hect. Boeth. hist. Scotor. lib. 7. fol. 122. a. 124. a. b. 125. a.

<sup>k</sup> Id est sævi. Gloss. vid. supra, cap. 14. pag. 94.

<sup>l</sup> sabulo vel arena.

<sup>m</sup> Tempore autumnii advenisse legionem hanc affirmat Beda, lib. I. cap. 12.

sulcato dorso fonteque<sup>a</sup> acra erectis, ut aiunt, ad nebulas undis (luminum quibus pupilli, persæpe licet palpebrarum convolatibus innovati, adjunctissimarum rotarum lineis fuscantur) mirabiliter spumans, ast<sup>o</sup> uno objectas sibi evincit gurgite moles: ita æmulorum agmina auxiliares egregii, si quæ tamen evadere potuerant, præpropere trans maria fugaverunt, qui anniversarias avidè prædas, nullo obsistente, trans maria exaggerabant.”

“ Igitur Romani patriæ denunciantes nequaquam se tam laboriosis expeditionibus posse frequentius vexari, et ob imbelles erraticosque latrunculos Romana stigmata<sup>p</sup> tantum talemque exercitum terra ac mari fatigari: sed ut potius sola<sup>q</sup> consuescendo armis ac viriliter dimicando, terram, substantiolam, conjuges, liberos et, quod his majus est, libertatem vitamque totis viribus vindicaret; et gentibus nequaquam se fortioribus, nisi segnitia et torpore dissolveretur, inermes vinculis vincendas nullo modo, sed instructas peltis, ensibus, hastis, et ad cædem promptas protenderet manus: suadentes, (quia et hoc putabant aliquid derelinquendo populo commodi accrescere) murum non ut alterum sumptu publico privatoque adjunctis secum miserabilibus indigenis, solito structuræ more tramite a mari usque ad mare inter urbes, quæ ibidem forte ob metum hostium collocatæ fuerant, directo librant; fortia formidoloso populo monita tradunt, exemplaria instituentorum armorum relinquunt. In litore quoque oceani ad meridianam plagam, quo naves eorum habebantur, quia et inde barbaricæ<sup>r</sup> feræ bestię timebantur, turres per intervalla ad prospectum maris collocant; et valedicunt, tanquam ultra non reversuri.”

Hæc Gildas: quem secutus est et Beda, libri primi historiae ecclesiasticæ capite duodecimo reliqua quidem contractius, lapidei vero muri extructionem paulo plenius ita enarrans: “ Murum a mari ad mare recto tramite inter urbes quæ ibidem ob metum hostium factæ fuerant,

<sup>a</sup> Al. *fronteque*.

<sup>o</sup> Al. *as*.

<sup>p</sup> *Stigmata* sunt signa victricis, Gloss.

<sup>q</sup> Al. *insula*.

<sup>r</sup> *ex*.

<sup>r</sup> Al. *Barbaria*. Vid. supra, cap. 12. op. tom. 5. pag. 468.

ubi et Severus quondam vallum fecerat, firmo de lapide locarunt. Quem videlicet murum, hactenus famosum atque conspicuum, sumptu publico privatoque, adjuncta secum Britannorum manu, construebant, octo pedes latum et duodecim altum, recta ab oriente in occasum linea; ut usque hodie intuentibus clarum est." Quibus et ille Witi-chindi<sup>†</sup> Saxonis locus adjungi poterit: "Populus Romanus Martiali imperatore a militibus interfecto, externis bellis graviter fatigatus, non sufficiebat solita auxilia administrare amicis: extracto tamen ingenti opere ad munimen regionis, inter confinia a mari usque ad mare, ubi impetus hostium videbatur fore, relinquebant regionem Romani."

Georgius Buchananus et murum<sup>u</sup> hunc et Severi vallum eodem loco positum fuisse asserit, quo murus ille cespiti-tius extractus fuerat, inter Abercornum et Fanum Patricii sive Kirk-patrick: ejusque multa vestigia extare ait: "Paucis<sup>w</sup>," inquit, "antequam hæc scriberemus, annis, vestigia fossarum et murorum, item vicorum apparebant: nec adhuc muri diruti omnino ita confusa sunt indicia, ut non interim se multis in locis prodant: terraque leviter effossa, quadrati lapides eruuntur, quibus vicini agrorum domini ad ædium suarum substructiones utuntur. Indicant autem inscripti lapides, qui interim inveniuntur, id opus Romanorum fuisse:" quippe "quibus<sup>x</sup> aut testimonia salutis per tribunos et centuriones acceptæ, aut sepulcrorum inscriptiones continentur." Johannes Fordonus in suo Scotichronico, agnoscit quidem "evidens illius fossæ vel muri signum meraque patere hactenus vestigia, atque hodierno nomine Grymsidike ab incolis vocari:" sed postremum hunc e firmo lapide constructum, a Tinæ fluminis ostio per transversam insulam ductum fuisse confirmat: "Memoratus," inquit, "murus initium trahit ad orientem in australi ripa fluminis Tyne, ad Caput capræ<sup>y</sup>, quod Anglorum lingua sonat Caytis-hevid (ubi dudum Severus murum et vallum fieri jussit) ex opposito ad Novum castrum, et super fluvium Eske, quod et alias dicitur Scots-

<sup>†</sup> Witichind. gest. Saxon. lib. 1.

<sup>u</sup> Buchan. rer. Scot. lib. 5. in r. XLI.

<sup>w</sup> Id. lib. 4. in rege XXVII.

<sup>x</sup> Id. lib. 1. pag. 17.

<sup>y</sup> Ita appellant Tergotus Dunelmensis, Florentius Wigornicus et Rogerus

wath, per sexaginta millia passuum porrectus, finem habet juxta Carlile ad occidentem:" atque hic positum fuisse Severi vallum, non Camdenus<sup>y</sup> solum et Anglicarum rerum scriptores, quos inscitiae aut incuriae hic incusat Buchananus, sed Johannes Major<sup>z</sup> et reliqui Scotorum historici pariter consentiunt.

Nos vero, ut in Severiani valli situ definiendo ad horum sententiam libentissime accedimus: ita in lapidei ejus de quo nunc agimus muri loco designando Buchananum a vero haudquaquam aberrasse arbitramur. Quod ut rectius percipiatur, in memoriam revocandum est ex Spartiano, Ælium Hadrianum imperatorem in Britannia "morum per octoginta millia passuum primum duxisse, qui Barbaros Romanosque divideret:" et ex Julio Capitolino, "alium murum cespitium submotis Barbaris ductum" postea ab Antonino Pio fuisse: alium nimirum murum cespitium ab eo quem Hadrianus prius duxerat, et alio in loco positum: priorem enim inter Tinæ et Escæ fluminum ostia, posteriorem inter Glotæ et Bodotriæ æstuaria, sive fretum Dunbritanicum et Edenburgicum, (quod angustum terrarum spatium superioribus temporibus Cornelius Tacitus docuit a socero suo Julio Agricola, non quidem muro, sed præsiidiis firmatum; summotis velut in aliam insulam hostibus) extractum fuisse, ipsæ Romanæ<sup>a</sup> inscriptiones evincunt, a diligentissimo Camdeno hic productæ. Post hos Severus "Britanniam, quod maximum ejus imperii decus est, muro per transversam insulam ducto, utrinque ad finem oceani munivit:" ut apud eundem Spartianum legimus. Eum murum non primus Buchananus, sed ante eum etiam Samuel, vel quicumque Ninii<sup>b</sup> fuit interpolator, inter fretum Edenburgicum et Dunbritanicum ductum fuisse opinatus est; eodem ipso videlicet in loco, quo ab Antonino unus, et post annos ferme trecentos a Britannis<sup>c</sup> alter e cespitibus murus est erectus: quibus illud aliquo modo favere videatur, quod

Illovidenus in anni MLXXX. historia, Novi castrî in altera Tinæ ripa positum, suburbium.

<sup>y</sup> Camden. Britann. pag. 652.

<sup>z</sup> Major, de gest. Scotor. lib. 1. cap. 14.

<sup>a</sup> Camden. Britann. pag. 650. et 699.

<sup>b</sup> Supra, pag. 111, 112.

<sup>c</sup> Supra, pag. 131.

in vulgatis Aurelii Victoris et Eutropii occurrit codicibus; Severum in Britannia “vallum per duo et triginta millia passuum a mari ad mare deduxisse:” in antiquissimis tamen Eutropii exemplaribus centenarii notam huic numero fuisse præfixam, tum ex veteribus Latinis qui eum secuti sunt scriptoribus colligimus, ut B. Hieronymo in Eusebiano suo chronico, P. Orosio libro septimo, capite decimo septimo, et Aurelio Cassiodoro in fastis consularibus, tum ex Græco illius metaphrasta Pæanio, qui δύο καὶ τριάκοντα πρὸς τοῖς ἑκατὸν σημεῖα reddidit, et Georgio Syncello, qui eandem Pæanii summam mille<sup>d</sup> stadiorum numero exprimendam putavit; unicuique σημεῖω sive milliario Italico, cum Dione Cocceiano<sup>e</sup>, Johanne Chrysostomo<sup>f</sup>, Juliano Ascalonita<sup>g</sup>, Herone Geodeta<sup>h</sup> et aliis, septem stadia cum dimidio attribuens.

Atqui vallum hoc duorum et viginti milliarium spatio Fordonus definit: et ut ad duo et triginta extenderetur, magnificentum illud quod Severi muro a Spartiano tribuitur elogium, quum maximum ejus imperii decus fuisse asserit, postulare vel flagitare potius videtur, ut eodem in loco in quo Hadrianus cespitium, Severum postea lapideum murum statuisse existimemus: non quidem centum triginta duo (id enim loci<sup>i</sup> situs non admittit) sed duo et octoginta millia passuum longum: ita ut librariorum vitio, numeri quinquagenarii illam notam in quibusdam codicibus penitus omissam, in aliis cum nota centenarii (quod facile fieri potuit) commutatum fuisse, jure suspicari liceat. Atque hoc ipso in loco a venerabili Beda vallum Severi constitui (licet id sibi persuaderi Buchananus<sup>k</sup> minime patiatur) verba illa omnino evincunt, quibus situm Cælestis campi, olim Hefenfeld, hodie Haledon dicti, et non longe ab Hagustaldensi sive Hexhamensi ecclesia et Tina

<sup>d</sup> σταδίων χιλίων. Græc. Euseb. Scaligeri pag. 203.

<sup>e</sup> Jacob. Gothofred. de suburbicariis regionib. pag. 13.

<sup>f</sup> Chrysostom. in Johann. 11. homil. 62. op. tom. 8. pag. 370. indeque inter homilias Basilio Seleuc. perperam tributas, pag. 373. edit. Græc. Commelin.

<sup>g</sup> Constantin. Harmenopul. epitom. juris civilis, lib. 2. tit. 4.

<sup>h</sup> Hero, in Geodesia MS.

<sup>i</sup> Vid. Camden. pag. 651.

<sup>k</sup> Buchanan. rer. Scoticar. lib. 4. in rege XXIII.

fluvio positi, ita describit: “Est<sup>1</sup> autem locus juxta murum illum ad aquilonem, quo Romani quondam ob arcendos Barbarorum impetus a mari ad mare præinxere Britanniam, ut supra docuimus:” necnon et illa, quibus Walthowne, non procul etiam a Tina sitam, nobis designat: “Villa<sup>m</sup> regia, cujus supra<sup>n</sup> meminimus, cognominatur Ad murum: est enim juxta murum quo olim Romani Britanniam insulam præinxere, duodecim millibus passuum a mari orientali secreta:” murum autem illum eo in loco, ubi Severus quondam vallum fecerat, fuisse collocatum, idem<sup>o</sup> antea significaverat: de hoc Severi opere, ubi rem ab eo in Britannia gestam exponit, illud insuper adjiciens: “Receptam<sup>p</sup> partem insulæ a cæteris indomitis gentibus non muro, ut quidam æstimant, sed vallo distinguentam putavit. Murus etenim de lapidibus, vallum vero, quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus; quibus circumcisis e terra, velut murus extruitur altus supra terram, ita ut in ante sit fossa de qua levati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Itaque Severus magnam fossam firmissimumque vallum, crebris insuper turribus communitum, a mari ad mare duxit.”

Verum et cespitium mûrum eodem ipso in loco ab Hadriano imperatore jam antea positum fuisse; et Latinorum vallum, quemadmodum Anglorum wall et Britonum guaul inde deductum, idem quod murum valere, eruditus ille presbyter pariter ignoraverat. Nam et hanc ipsam Severi structuram, quam Eutropius et cum eo Hieronymus, Orosius atque Cassiodorus vallum, hisce omnibus antiquior Spartianus, in loco jam citato, murum appellavit: promiscue etiam ista usurpata fuisse docens, quum in ejusdem Severi vita porro adjicit, “Post murum aut (ita enim voculam hanc recte restituit clarissimus Salmasius) vallum missum in Britannia.” Unde quod in vulgata Aurelii Victoris epitome de Severo scriptum legi-

<sup>1</sup> Bed. histor. lib. 3. cap. 2.

<sup>n</sup> Ibid. cap. 21.

<sup>p</sup> Ibid. cap. 5.

<sup>m</sup> Ibid. cap. 22.

<sup>o</sup> Ibid. lib. I. cap. 12.

tur: "Hic in Britannia vallum per duo et triginta passuum millia a mari ad mare deduxit:" in Victore ab Andrea Schotto edito sic expressum invenitur: "His majora aggressus, Britanniam, quoad ei utilis erat, pulsus hostibus muro munivit, per transversam insulam ducto utrimque ad finem oceani." Illa tamen muri et valli fallaci distinctione deceptus Beda, Severi opus hoc non lapideum sed cespititium fuisse credidit. Deinde cum ipse oculis suis cerneret, utpote in proxima muro illi vicinia et natus et educatus (erat enim, ut in antiquo vitæ ipsius scriptore legimus, "territorii Girwensis<sup>a</sup> haud grandi oriundus viculo, quem longe inde lapsurus in oceanum perpete profundo amnis Tina præterfluit,") eodem in loco murum firmo<sup>r</sup> de lapide positum: mutationem hanc non aliunde provenisse divinare potuit, quam ex postremo hoc de quo nunc agimus Romanorum opere. Nisi enim illud menti ejus anticipatum jam fuisset, haudquaquam alibi lapideum murum a legione Romana constructum quæsisisset, quam ubi paulo ante Britannos illum sibi tam inutilem cespititium statuisset dixerat. Nulla enim ratio suadet, ut homines suæ mentis compotes centum millia passuum retro cederent, et tantum terrarum spatium hostibus ultro concederent; relictoque loco totius insulæ angustissimo, eoque munitioni maxime accommodato, alium quærerent in quo murus triplo<sup>s</sup> prope priore productior esset ex necessitate statuendus. Adde quod postremum hunc murum "tramite a mari usque ad mare inter urbes, quæ ibidem forte ob metum hostium collocatæ fuerant, directo libratum fuisse," testetur Gildas: recto videlicet tramite; ut ipse quoque fatetur Beda<sup>t</sup>, quum alterum illum inter Tinæ et Escæ ostia non recto sed obliquo et incurvato tramite fuisse ductum, quæ adhuc supersunt illius vestigia intuentium oculis demonstrant. Accedit, quod post murum conditum decedentibus hinc Romanis, "Scotos et Pictos omnem

<sup>a</sup> Jarrow.

<sup>r</sup> Supra, pag. 135.

<sup>s</sup> De hujusmodi clusuris, et turribus in eis constitutis, videndus P. Pithæus, adversar. lib. 1. cap. 14. in opuscul. pag. 387, 388.

<sup>t</sup> Bed. lib. 1. cap. 12.

aquilonalem extremamque insulæ partem pro indigenis ad MURUM usque capessivisse," cum Gilda Beda<sup>u</sup> confitetur. At sinus illos duos, inter quos iste superior e cespitibus murus ab Insulanis fuerat ductus, Scotorum et Pictorum sedes et olim a Britonum, et sua etiam ætate ab Anglorum eis permistorum terris disclusisse, agnoscit idem<sup>v</sup>. Unde, ut olim Hadriani illum a Severo, ita Britannorum murum cespitium a Gallione Ravennate in lapideum commutatum fuisse nunc concludimus.

Ad annum CCCCXXXI. sive Theodosii junioris, post mortem Honorii numeratum, octavum, tertiam vastationem a Gilda commemoratam referunt Beda et Ado in suis chronicis: "Anno octavo Theodosii imperatoris," inquit Ado, "recedente a Britannia Romano exercitu, Scoti et Picti redeunt; et totam ab aquilone insulam, vacuum prope indigenis, muro tenus capessunt:" et ante illum Beda: "Anno Theodosii octavo, recedente a Britannia Romano exercitu, cognita Scoti et Picti reditus denegatione, redeunt ipsi, et totam ab aquilone insulam pro indigenis muro tenus capessunt. Nec mora, cæsis, captis, fugatis custodibus muri, et ipso interrupto, etiam intra illum crudelis prædo grassatur:" Nam ut hic Witichindus Saxo annotat, "hosti acriori et ad bellandum prompto, ubi gens mollis et pigra belli resistit, nulla difficultas in destrundo opere fuit." Sed ante hos omnes Gildas Britannus tragice calamitatem hanc ita exaggerat: "Romanis ad sua remeantibus, emergunt certatim de curucis<sup>x</sup> quibus sunt trans Scythicam vallem evecti, quasi in alto Titane incallescenteque caumate de aretissimis foraminum caverniculis fuscis vermiculorum cunei, tetri Scotorum Pictorumque greges moribus ex parte dissidentes, et una eademque sanguinis fundendi aviditate concordēs, furci-

<sup>u</sup> Bed. lib. 1. cap. 12.

<sup>v</sup> Id. lib. 1. cap. 1. et 12. cum lib. 4. cap. 26.

<sup>x</sup> *Cosroghes*; ita enim Hiberni vocant naviculas suas coriaceas: de quibus Plinius, lib. 7. cap. 56. "Etiam nunc in Britannico oceano vitiles corio circum-suto fiunt": et Solinus, cap. 35. de mari quod Hiberniam et Britanniam interluit: "Navigant vimineis alveis, quos circumdant ambitione tergorum bubalorum."



ferosque magis vultus pilis, quam corporum pudenda pudendisque proxima vestibus tegentes: cognitaque condebitorum reversione et reditus denegatione, solito confidentiores omnem aquilonalem extremamque terræ partem pro indigenis muro tenus cæpessunt."

"Statuitur ad hæc in edito arcis acies, segnis ad pugnam, inhabilis ac trementibus præcordiis inepta: quæ diebus ac noctibus stupido sedili marcebat. Interea non cessant uncinata<sup>7</sup> nudorum tela, quibus miserrimi cives de muris tracti solo allidebantur. Hoc scilicet eis proficiebat immaturæ mortis supplicium, qui tali funere rapiabantur quo fratrum pignorumque suorum miserandas imminentes pœnas cito exitu devitabant. Quid plura? Relictis civitatibus muroque celso, iterum illis fugæ; iterum dispersiones solito desperabiliores. Item ab hoste insectationes, item strages accelerantur crudeliores: et sicut agni a lanionibus, ita defendi cives ab inimicis discernuntur; ut commemoratio eorum ferarum assimilaretur agrestium. Nam et<sup>8</sup> ipsos mutuo nec perexigui victus brevi sustentaculo miserrimorum civium latrocinando temperabant: et augebantur externæ clades domesticis motibus, quod hujuscemodi tam crebris direptionibus vacuaretur omnis regio totius cibi baculo; excepto venatoriæ artis solatio."

Eandem historiam Fabius Æthelwerdus brevius sic exponit: "Audito oppositum sibi exercitum domum reversum, Scoti et Picti gaudio gavisissimi non minimo sunt. Ast iterum arma movent, et quasi sine custode caulas invadunt lupi; vastant partem in axe aquilonis usque ad Severiam fossam. Britanni muro insistunt, defendunt armis: sed non natura, heu! dederat fortuna gratiam belli. Tum astuta gens Scotorum, gnara quid faceret pro imminente muro, ac sudæ profundo saltu, ferreos in mensura arte mechanica struunt aculeos; superstantesque muro deorsum trahentes avidè interimunt. Victores existunt forinsecus et intus; præda et possessio fit statu in uno: et

<sup>7</sup> Dorodrepana sc. aut falces murales. Buchanan.

<sup>8</sup> Al. *laniant et scipos*.

facta est cædes postera pejor prioribus:" et Johannes Fordonus, in Scotichronico "Durante<sup>a</sup> famis memoratæ superius egestate, Scotorum principes et Pictorum, assumptis Hibernicis, ad ejusdem muri fines utrosque trans flumina Tyne et Eske diverso navigii genere remigantes; undique per circuitum regiones invadunt, destruunt et consumunt. Ubi modico post tempore, quibusdam indigenarum ad pacem acceptis, aliis autem fugatis, aliis interemptis; totam a mari usque ad mare regionem sub protectione pacis suseipientes, hactenus ab inde nequaquam abigi potuerunt, &c. Obtinentes autem quæ cis citraque murum sunt regiones, inhabitare cœperunt victores: ac citato repente rurali vulgo, cum suis sarpis quilibet et ligonibus, rastris, tridentibus et fossoriis, patulas in eo rimas foraminaque crebra perfodiunt; quibus ubique promptum habeant aditum etiam et recessum. Ab illis ergo foraminibus hæc deinde maceria nomen hodiernum assumpsit; quod Anglica lingua sonat Thirlewall, Latina vero, Murus perforatus."

Thirlewall castrum adhuc cernitur, in Northumbriæ et Cumbriæ confinio positum. "Murum Thirilwal Severum extruxisse ad amnem Tinam" Fordonus asserit: et alibi, de Oswaldi regis agens victoria: "Est autem," inquit, "secundum Bedam, locus pugnæ juxta murum illum qui vocatur Thirilwall ad aquilonem quo Romani quondam ob arcendos Scotorum impetus totam a mari ad mare præcinxerunt Britanniam:" Ubi notandum, et Fordonum, et Ethelwerdum et alios, in quibus et Hibernici nostri sunt chronographi, Bedam simpliciter secutos esse, qui Severi vallum et illum a Romana legione postremo constructum murum eodem in loco constituit: quum prætenturam hanc extremam non inter Tinam et Escam fluvios, sed inter fretum Edenburgicum et Dunbritannicum positam fuisse docuerimus, hodierno nomine Graham's-dike vel Grine's-dike appellatam; a Grimo quodam, ut Fordonus ait, regis Fergusii socero, qui filio ipsius Eugenio tutor datus, "collectis undique coadjutoribus in magna potentia dictum

<sup>a</sup> Lib. 3. cap. 10.

adiens murum præordinatis machinis, custodibus vel fuga lapsis vel occisis, funditus evertit." De quo Grimo vel Grammo videri possunt quæ ex Veremundo Hispano Hector Boethius<sup>b</sup> retulit. Nam quod idem Hector tertiam hanc, de qua diximus, Britannorum cladem et post<sup>c</sup> tertium Aetii consulatum (quem anno Domini CCCCXLVI. ab eo gestum constat) et anno<sup>d</sup> tamen Christi CCCCXXXVI. factam narrat; pugnantia loqui se non vidit. In quo ab Ethelwerdo quoque est erratum, qui ad annum CCCCXLIX. calamitatem illam retulit; quam ante tertium Aetii consulatum contigisse, ex Gilda et Beda certo constat.

Temporis autem proxime subsecuti historiam breviter sic enarrat Beda in suo chronico: "Mittitur<sup>e</sup> epistola lachrymis ærumnisque referta ad Aetium III. consulem, vicesimo tertio Theodosii principis anno, petens auxilium; nec impetrat. Interea fames dira ac famosissima profugos infestat: qua coacti quidam hostibus dedere manus. Alii de montibus, speluncis ac saltibus strenue repugnabant, ac strages hostibus dabant. Revertuntur Scoti domum, post non multum tempus reversuri. Picti extremam insulæ partem tum primum et deinceps inhabitaturi detinent:" et Paulus diaconus, in continuatione Eutropii: "Britanni, cum rursus Scotorum Pictonumque incursionibus premerentur, mittunt Aetio epistolam lachrymis ærumnisque refertam; ejusque quantocius auxilium efflagitant. Quibus cum Aetius minime annuisset, eo quod contra viciniore hostes occupatus existeret: quidam Britannorum strenue resistentes, hostes abigunt; quidam vero coacti hostibus subjiciuntur. Denique subactam Picti extremam ejusdem insulæ partem, eam sibi habitationem fecere: nec ultra exinde hactenus valuerunt expelli."

Mitto Mariani Scoti et recentiorum testimonia: sufficiat Gildæ vetustissimi Britannorum scriptoris, ex quo et sua Beda hausit, unicum illud: "Revertuntur ergo impudentes grassatores HIBERNI domum; post non longum<sup>f</sup> tem-

<sup>b</sup> Boeth. Scotor. histor. lib. 7. fol. 117. b. Vid. et fol. 124. h. 126. a.

<sup>c</sup> Id. ibid. fol. 126. b.

<sup>d</sup> Ibid. fol. 128. a.

<sup>e</sup> Vid. supra, cap. 12. op. tom. 5. pag. 424.

<sup>f</sup> Al. *multam*.

poris reversuri. Picti in extrema parte insulæ tunc primum et deinceps requieverunt; prædas et contritiones nonnunquam facientes:” In quo observandum; I. Pictos in aquilonari parte insulæ tunc primum et deinceps non quidem simpliciter habitavisse, sed requievissent, id est, (ut ego interpretor) a terræ Britannicæ vastatione et dirissima, quam antea descripserat Gildas, depressione cessavisse. Quanquam enim prædas et contritiones nonnunquam fecisse eos subjiciat; nihilo secius tamen inducias desolato populo factas, et quievissent vastitatem, sive, ut Beda<sup>g</sup> explicat, cessavisse vastationem hostilem, in verbis proxime sequentibus aperte profitetur. II. Scotum Hiberniæ indigenam fuisse: ut recte ad locum hunc a Polydoro Vergilio est notatum. Unde qui Gildæ hic Hiberni, a Beda in chronico eandem historiam ex Gilda repetente Scoti, ut vidimus, sunt appellati. III. Post tertium Aetii consulatum et annum Domini CCCXLVI. rediisse Scotos in Hiberniam suam, indeque post non longum tempus reversos, sedem rursus in boreali Britannicæ parte posuisse. Quod quidem Fergusii opera factum fuisse existimatur: cujus principatus a Scoto-Hibernis tertio Aetii consulatu posterior, rationibus Gildæ et Bedæ convenienter, constituitur; licet Scoto-Britanni eo antiquiorem fuisse opinentur.

In vita enim B. Patricii, quem post annum morti Fergusii in vulgatis Scoto-Britannorum chronicis assignatum Hibernis evangelium prædicare cœpisse liquet, de eodem Fergusio leguntur ista: “ Duodecim<sup>h</sup> fratres patre defuncto recenter, qui dominabatur in Dalredia, ad hæreditatem inter se dividendam in unum convenerunt: suumque germanum minimum nomine Fergusium habentes despectui, a portione quæ illum contingebat exsortem et inanem dimiserunt. Adolescens igitur ille precabatur S. Patricium, ut se, suarum obtentu precum, efficeret paternæ hæreditatis participem: promittens se daturum Ecclesiæ Dei construendæ atque sustentandæ suæ portionis partem potiore. Pontifice vero sancto pro eo exorante atque

<sup>g</sup> Bed. histor. ecclesiast. lib. 1. cap. 14.

<sup>h</sup> Jocelin. vit. Patricii, cap. 137. cod. impress. 138. MS.

negotium illius perorante, fratribus suis annumeratus Fergusius, competentem sibi paternæ possessionis portionem percepit: cujus medietatem meliorem sanctissimo præsulì ad ædificandam ecclesiam obtulit. Quam sanctus, ne suam interventionem vendidisse videretur suscipere renuit: sed Olcano illam conferri jussit. Sanctus autem Olcanus infra territorium sibi collatum, in loco qui dicitur Derkelan<sup>1</sup>, ecclesiam ædificavit: ibique factus episcopus, in sanctitate et justitia perseverabat. Sanctus vero Patricius prædictum benedixit Fergusium: et voce prophetica dixit ad illum: *Lieet hodie videaris humilis, et despectus in conspectu fratrum tuorum; eris in brevi princeps illorum omnium. De te optimi reges egredientur; qui non solum in terra propria, sed etiam in regione longinqua et peregrina principabuntur*: Elapso non magni temporis spatio Fergusius, juxta viri Dei vaticinium, principatum in tota illa terra obtinuit: semenque illius per multas generationes in ea regnavit. Ex ejus stirpe processit strenuissimus Edanus filius Gabrani, qui Scotiam, quæ dicitur Albania, subegit, et alias insulas: cujus in ea regnat adhuc successiva posteritas." Ita in Patricii vita Jocelinus.

De eodem Fergusio, Edani sive Aidani illius, cujus alibi a nobis facienda mentio, proavo, in Hibernicis Tigernaci annalibus, sub pontificatu Symmachi, qui anno Domini CCCXCXVIII. post Patricii nostri obitum sexto, Romanam conscendit cathedram, consimiliter annotatum invenimus: "Feargu mor mac Earca (id est; Fergusius magnus, Erci filius) cum gente Dalraida partem Britanniae tenuit; et ibi mortuus est." Qui lingua Hibernica tum monarcharum et provincialium Hiberniae principum tum Albaniae regum synchronismos delineavit non novitius author, ab Ochano prælio in quo Ailill Molt Hiberniae monarcha occubuit, annos viginti dinumerat ad sex filiorum Erci adventum in Albaniam: quorum duos Ængusos sive Æneas, duos Loarnos, et duos Fergusios dictos fuisse notat. Et quidem Crimthainum Laginensium, regem, "in gravi bello Oche in regione Midi occidisse Ailill Molt

<sup>1</sup> Ita MS, sed impress. *Derkan* rectius.

regem Hiberniæ," ex scriptore vitæ Kiarani Saigrîi; atque anno CCCCLXXXIII. pugnam illam commissam fuisse, ex annalibus Ultoniensibus didicimus. Qua ratione, anno DIII. Fergusius cum fratribus in Albaniam venisse dicendus esset: quod cum Tigernaci calculo probe convenit.

Erci sive Erci hujus patrem Ethach, Hibernis Eagh Munremar appellatum, recentiores Scotorum historici Eugenii regis a Maximo legato interempti fratrem fuisse affirmant. Sed author vetustior, a Camdeno<sup>k</sup> citatus, non ab illa dubia superiorum regum stirpe, sed ab alia origine Fergusii genus repetit: "Fergus," inquit, "filius Eric fuit primus qui de semine Chonare suscepit regnum Albanæ, a Brun-Albain ad mare Hiberniæ et Inchgall. Et inde reges de semine Fergus regnaverunt in Brun-Albain sive Brunhere, usque ad Alpinum filium Eochall." Cum quo consentiunt et veteres nostræ genealogiæ Hibernicæ, quæ Fergusium hunc deducunt a Chonare illo qui circa annum Domini CCXV. summum Hiberniæ principatum tenuit; filio suo Cairbri-rieda alias Eochagrieda Dalriedæ, quæ ab eo nomen accepit, dominio post se relicto.

Dalriedæ vero nomine Hibernis comitatus Antrimmensis tractus ille notus est, quem Route appellamus. Ejus limites a Boisio flumine usque ad crucem de Glandfinneaght, cujus in antiquis illis versibus Hibernicis, Patriciani testamenti titulum præferentibus, mentionem factam reperio, ad triginta millia passuum protendi, per literas mihi significavit nobilissimus Antrimmensis comes Ranulphus, nuper defunctus: ad id confirmandum vetere etiam hoc producto carmine Hibernico:

O bhriach da neirghid ealta. go cionn gleana fneachta  
 Ag yn dalriada na neann. ziodh be ar eolach ran fhearian.

Quod Patricius Dunkinus Latine ita reddidit:

Terra sita a Bosio fluvio, Dalræda vocatur,  
 Glensinnaght, quisquis novit, ad usque crucem.

Totam vero Dalreth sive Dalrede, cum insula Rachlyn

<sup>k</sup> Camden. in Scolia, pag. 707.

<sup>l</sup> Hebrides.

vel *Rachrin*, illi objacente, *Alano de Galway*, a *Johanne Anglorum rege* et *Hiberniæ domino* concessam olim fuisse, ex archivis<sup>m</sup> regis in arce Londinensi asservatis constat: quum utramque nunc jure possideat hæreditario comes *Antrimensis Ranulphus*, *Ranulphi memorati filius*; quem ex *Anglia reversum*, cum illustrissima sua conjugē, magni illius *Georgii ducis Buckinghamiæ* vidua, hoc ipso quo hæc scribebamus die in ædibus vicecomitis *Mori Mellifontinis* salutavimus.

Cum igitur *Dalredia* hujus *Hiberniæ* principem fuisse *Fergusium Jocelinus*, et cum gente *Dalraida* in *Britanniam* trajecisse testis sit *Tigernacus*: novam coloniam in oppositam *Britanniæ* partem traductam antiquæ suæ patriæ nomen retinuisse, veri videtur simillimum. Nam et *Scotos Albienses* suo tempore *Dalreudinos* dictos fuisse testatur *Beda*<sup>n</sup>, licet is a *Reuda* duce nomen illud eos accepisse judicet: et *Dalrietam* ipsam quam incolebant regionem appellat ille, qui<sup>o</sup> de *Albaniæ* divisione tempore *Andræ* episcopi *Cathenesii*, circa<sup>p</sup> annum scilicet *MCLXXVI*. libellum edidit; de *Kinnadio* sive *Kennetho II.* *Pictorum* debellatore ita scribens: “*Kinnadius* biennio antequam pervenit in *Pictaviam*, *Dalrietæ* regnum suscepit.” Ubi ut uno *Pictaviæ* nomine *Pictorum*, ita *Dalrietæ* *Scotorum* primas in *Albania* sedes designavit: *Cantiram* videlicet, *Knapdaliā*, *Lornam*, *Argatheliā*, *Brun-Albain* sive *Braid-Ailbain*, cum vicinis insulis. Ad sinus enim *Dunbritannici* partem septentrionalem consedissee *Scotos*, atque ad australem ejusdem partem *Britonum* productos esse terminos, ex *Beda*<sup>q</sup> certo constat: ut in *Gallovidiā*<sup>r</sup> primas *Albiensium Scotorum* sedes collocare, aut in *Dalrhea Cuninghamiæ* oppido *Dalreudinorum* nostrorum vestigium indagare, inanē videatur esse operæ. Quanquam huc spectare non abnuerim, quod de *Roberto Brusio* in

<sup>m</sup> Patent. in dorso ann. 14. R. Johannis, membran. 3. num. 1. et ann. 17. membran. 5. num. 57.

<sup>n</sup> Bed. hist. lib. 1. cap. 1.

<sup>o</sup> Camden. in Scotia, pag. 682. et 706.

<sup>p</sup> Rog. Hoveden. et Gualter. conventriens. in annalib. ann. 1176.

<sup>q</sup> Bed. hist. lib. 1. cap. 1. et 12.

<sup>r</sup> Vid. supra, pag. 105.

Scotichronico legitur: "Cum idem rex in finibus Atholiæ et Ergadiæ hostes fugiendo cum suis latitaret; quarto Idus Augusti apud locum quendam qui dicitur Dalry iterum victus est et in fugam conversus:" quod a Georgio Buchanano<sup>s</sup> sic est expressum: "Cum in Atholiam venisset, ac illinc in Argatheliam tenderet, patefacto Cuminis ejus consilio, in loco qui Dalree vocatur, hoc est ager regius, ex itinere prælium inire coactus est." Locus enim ille positus fuisse videtur in finibus Argatheliæ: de qua, ex Mariani Scoti ἀνεκδότοις, Ranulphus Cestrensis<sup>t</sup> ista retulit: "Apud Argail applicuerunt Scotti qui et Hibernienses, quod sonat Latine Margo Scottorum"; eo quod Scotti ibidem applicarent ad faciendum damna Britannis, vel quia locus ille proximior est Hiberniensibus ad applicandum."

Jam si cum Scoto-Hibernis nostris Fergusii regnum ad finem quinti post-Christum seculi referamus: una cum colonia, fidem Christianam, qua B. Patricius cum discipulis suis Hibernos jam imbuerat, in Dalriedam Albanicam inductam ab eo fuisse, etiam consequetur. At Ninius Britannus "Scotos venisse scribit ad regiones Dalrietae, in tempore quo regnabat Brutus apud Romanos, a quo consules esse cœperunt:" hoc est, plus quam quingentis ante Christi nativitatem annis. Scoto-Britannorum vero historici annis ante natum Christum CCCXXX. sub Fergusio I. Ferquardi filio suos in Albaniam advenisse, posteaque ex insula pulsos a Romanorum legato Maximo, ducente Fergusio II. Erci filio sub initium quinti post Christum seculi eo rediisse; atque anno salutis CCIII. sub Victore Romano pontifice religionem Christianam suscepisse scribunt: de cujus conversionis tempore, a Johanne Fordono<sup>w</sup> et Johanne Majore<sup>x</sup> producuntur etiam vulgares illi versiculi:

Christi transactis tribus annis atque ducentis,  
Scotia Catholicam cœpit inire fidem.

<sup>s</sup> Buchanan. rer. Scotie. lib. 8. in rege XCVII.

<sup>t</sup> Polychronic. lib. 1. cap. 58.

<sup>w</sup> Vid. Camden. in Scotia, pag. 682. et 706.

<sup>x</sup> Fordon. Scotichronic. lib. 2. cap. 35.    \* Major, de gest. Scot. lib. 1. cap. 14.



Severi imperatoris anno septimo, Fordonus quidem Victorem episcopatum iniisse, Major autem Scotos fidem cepisse significat. Circa nonum Severi annum, qui a Calendis Junii anni Christianæ nostræ epochæ CCI. deducitur, Victori successisse Zephyrinum docet Eusebius. Si igitur sub Victore facta est hæc conversio; ad annum Domini CXCIX. vel CC. utriusque enim partem septimus Severi annus occupat, referenda potius fuerit, quam ad CCIII. quo Zephyrium, non Victorem Romæ sedisse compertum est. Eum tamen annum, ut Scoticorum auctorum unanimi consensu comprobatum, Dempsterus nobis commendat: quem et Victoris ultimum fuisse ex Fordono colligit; cujus ille de hac conversione narrationem istam recitat:

“Johannes Fordonus<sup>2</sup> putavit Paschasium quendam Siculum prima Christianæ pietatis rudimenta mandante S. Victore in Scotia nunciasse, et tyrocinia fidei fecisse. Id probat ex veteri codice basilicæ Lismorensis, quæ omnium Scoticarum prima habebatur. Addit idem, nullum unquam populum leviori opera ad Christum esse conversum: ac tantum fuisse ad sacros doctores concursum, ut baptizando populo sacerdotes deessent. Ab eodem etiam est traditum, hunc Paschasium relictis in Scotia sociis, qui rudem adhuc Christianorum rituum populum impensius sacra docerent, Romam rediisse, et regis Donaldi nomine sanctissimo pontifici gratias egisse de tam singulari beneficio accepto: sed antequam ille appelleret, ex hac vita Victor migraverat, et successor datus erat Zephyrinus: ut appareat manifesto, Victoris ultimo anno Scotiam ad fidem conversam.” Atqui in iis, quibus ego sum usus, Johannis Fordoni exemplaribus extabat istorum nihil: ut de horum fide perinde ego addubitem, ac de iis quæ ex anonymo illo Lismorense et breviariis nescio quibus idem Dempsterus alibi retulit: ex his quidem, quod Dornia<sup>3</sup> in Sutherlandia duodecimo die Decembris memoria celebretur Paschasii; “qui ad S. Victorem papam a Do-

<sup>1</sup> Euseb. in chron. et lib. 5. hist. eccl. cap. 27.

<sup>2</sup> Dempster. apparat. ad hist. Scot. lib. 1. cap. 6.

<sup>3</sup> Id. in Menologia Scotico, Decemb. 12.

naldo rege missus orator, doctores Christianos impetravit;” ex hoc autem, quod contra<sup>b</sup> ritus Paganos unum, et institutionis ad neophytos Scotos librum alterum ille scripserit.

Sed misso hoc Paschasio; quæ de Donaldo rege et hujus temporis Scotis Christianis, Hector Boethius literis mandavit videamus: “Talem<sup>c</sup> dederat ei animum pacis princeps et author Christus Dominus, quod veræ pietati aspernato malorum dæmonum cultu sese addiderit. Nam Severo imperante Romanis, apud Victorem pontificem maximum, qui quintusdecimus post Petrum Ecclesiæ præfuit, per legatos obtinuit, ut viri doctrina et religione insignes in Scotiam ab eo missi, se cum liberis et conjuge Christi nomen profitentes baptisate insignirent. Regis exemplum Scotica nobilitas secuta, aversata impietatem Christianique religionem complexa, sacro fonte est abluta. Fuit annus ille quo Scoti ad lumen veræ pietatis, Dei optimi maximi benignitate, vocati sunt et recepti; ab eo qui primus fuit humanæ salutis, tertius supra ducentesimum,” &c.

“Donaldus præter hæc primus omnium Scotorum regum, ut in nostris annalibus proditum est memoriæ, nummum argenteum aureumque signavit: una parte salutiferæ crucis, altera sui capitis effigie expressa; quo susceptæ a se primum inter Scotos reges Christianæ pietatis memoriam ad posteros propagaret. Moritur tandem, religiosis et urbanis operibus clarus, vicesimo primo anno quam Scoticarum rerum fuerat potitus: Christianoque more, sacerdotibus, qui tum sacram rem inter Scotos tenebant, persuadentibus, in agro Christianorum sepulturæ multis et piis precationibus, ut fieri solet, dicato conditur. Quo prope tempore Alexander (tulit et is Severi nomen ut honoratior haberetur) Romanum tenebat imperium. Incepere nostri tum primum sacras colere literas, sacerdotibus præceptoribus, quos Victor pontifex maximus ad Christi dogma propalandum in extremam miserat Albi-

<sup>b</sup> Dempster. in hist. eccl. Scot. lib. 15. num. 1016.

<sup>c</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 5. sub finem.

onem. Restabant tamen non pauci malis dæmonibus sacrificandi ritus: quos Donaldus rex, nullis suasionibus, nullis adhortationibus sacerdotum, nec ulla vi potuit abolere; sed nec etiam Ethodius, qui secundum Donaldi exitum Scotorum tenuit imperium."

Hæc Boethius: quem etiam in Scotiæ descriptione secutus Paulus Jovius; Donaldum ait, "primum e Scotis regibus Christianæ religionis sacra suscepisse; primumque in Scotia, quum venalia in humanos usus aliarum rerum permutationibus, aut aliunde importata pecunia, in foro et nundinis emerentur, aurum et argentum Scotica nota percussisse." Sed miratur Baronius, "tanta<sup>d</sup> hæc antiquitatem Scotum chronographum Marianum prorsus ignorasse, et Bedam illis propinquum penitus latuisse:" nec desunt qui ad Hiberniam, quæ antiqua Scotia fuit, totam conversionis hujus historiam transferendam esse existiment: a quibus non multum dissidere videntur et illa Thomæ Bozii: "Tradunt<sup>e</sup> in Scotia, quæ tunc erat Hibernia, Christi cultum disseminatum eodem tempore, quo in Britannia, sub annum scilicet CCIII. Victore sedente."

Dempsterus<sup>f</sup> Donaldum regem fideli opera Fulgentii (quem Britannica<sup>g</sup> historia Fulgenium vocat) hic usum narrat: ita de illo scribens: "Fulgentius cognomento Audax sub Donaldo I. rege magna ingenii fama vigeat: siquidem rex ille Septimio Severo Augusto, qui Eboraci in Anglia obiit, contempto, et religionem pietatemque amplexus Christianam, æs, aurum atque argentum primus signavit, usus fideli Fulgentii opera, qui scripserat:

De fide Christi, librum unum, quod opus utinam hodie extaret: haberet certe Scotia, quo fervorem et antiquitatem fidei receptæ ostentaret; paucis Europæ regnis cessura, permulta vero superatura. Meminit indiculus anonymi.

De Romanorum injuriis, librum unum.

De vindicanda libertate, librum unum.

Orationes, librum unum.

<sup>d</sup> Baron. annal. tom. 5. ann. 429. sec. 2.

<sup>e</sup> Bozcius, lib. 8. de signis eccles. cap. 1.

<sup>f</sup> Dempster. hist. eccles. Scot. lib. 6. num. 547.

<sup>g</sup> Supra, pag. 110.

Epistolas, librum unum; susceperat enim causam Britonum contra libidinem Romanorum defendendam, et suppetias non modo scriptis, sed gladio ei genti tulit, missus a Donaldo I. Scotiæ rege.

Ad Donaldum Scotiæ, et Thelargum Pictorum regem, et proceres Britonum, librum unum.

Obiit in acie graviter vulneratus a Septimio Severo imperatore anno CCXI. Hunc stupidissimus bipedum nullo auctore adducto Johannes Pitseus Anglum non erubescit facere; cum Scotus suppetias a rege suo destinatas in Angliam duxerit, ut suo sanguine eam a servitutis contumelia vindicaret. [Annales nostri, Scotichronichon, libro tertio, capite decimo quarto.] Præclara sane ab ingratisima bellua Scotis gratia relata."

Verum non ita stupidus Pitseus fuit, ut Anglos, qui Dempsteri perpetuus stupor est, antiquioribus hisce temporibus incoluisse putaret Britanniam: ideoque "Fulgentium<sup>h</sup> sive Fulgentium non Anglorum, sed regio Britannorum sanguine ortum fuisse" scripsit; ipsos Scotorum historicos (quicquid contra Dempsterus ogganniat) auctores hic secutus: "Fulgentius<sup>l</sup> vir nobilis, veteri Britannorum regum prognatus sanguine:" inquit Hector Boethius. Et Johannes Leslæus: "Fulgentius<sup>k</sup> Britannus vir nobilis, suæ gentis servitutum non ferens, Scotis Pictisque in belli societatem ascitis, Romanos variis cladibus affecit." Et licet Fordonus in Scotichronico consulem sive ducem Britonum Albanensium Fulgentium fuisse dixerit: Britones tamen illos a Pictis et Scotis Albanensibus distinxit apertissime: "Quasi totaliter," inquit ille, "ab australibus boreales divisi sunt Britones, atque seipsos adinvicem ubique consumentes. Scoti siquidem cum Pictis more solito crebris irruptionibus propinquas eis Fulgentii partes vastando dilacerant, prædas innumeras abducentes. Quod utique Fulgentium ut undique bello impeteretur non sustinens, fœdus cum Scotis ad tempus inuit: et ex pacto pace firmata, Britones socios toto conamine Romanorumque patricios, qui patriam eo tempore regebant, invasit." Quicquid enim hodiernæ Scotiæ inter Twedæ fluminis ostia et

<sup>h</sup> Pits. de Britann. scriptorib. num. 23.

<sup>l</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 5.

<sup>k</sup> Leslæ, de reb. gest. Scotor. lib. 3. in rege XXVII.

Solwaicum fretum ab austro, atque Dunbritannicum et Edenburgicum fretum ab aquilone interjectum cernitur, borealium Britonum, non Pictorum aut Scotorum partibus accensebatur. Ut omnium primus ipse Dempsterus Fulgentium Scotum fecerit, et a rege suo Donaldo missum in Angliam exercitum duxisse finxerit: licet Fulgentium regem Pictorum a Ranulpho Cestrensi<sup>1</sup> appellatum etiam non ignorem. Nam quod Thelargum Pictorum regem eo tempore extitisse Dempsterus ait; a Balæo<sup>m</sup> et, quem tam inclementer tractat, Pitseo illud hausit, non ex patriis annalibus: qui Donaldi, non primi hujus sed tertii, tempore Thelargum Pictis præfuisse tradiderunt. Ut de inani illo voto nihil dicam, quo Fulgentii hujus de fide Christi librum extare desiderat: quum nec talis unquam liber ab eo scriptus fuerit, et de homine ipso an in rerum natura aliquando ille existeret, multo justior quæstio ab eo moveri potuerit.

Ethodio, cujus jam<sup>n</sup> facta est mentio, a stipatoribus suis occiso, anno Domini CCXXI. Athirconem filium successisse scribit Boethius, qui in regni initio “ studia<sup>o</sup> tractaverit honestissima;” quippe qui “ sacram disciplinam majorumve historias edoctos secum frequentes habuerit.” In ea tempora passionem Ursulæ et sociarum, quam a nonnullis etiam sub annum Domini CCXVIII. Nauclerus poni notat, Johannes Major conjecit; libro primo de gestis Scotorum, capite decimo quarto, ita de illa scribens: “ Anno Domini CCXXV. Ursula et undecim millia virginum cum ea in Aremoricam duxisse debebant, ut viros illis haberent: quia tempestate illa Francas mulieres Aremorici recusarunt. Super Tamesiam flumen naves virgines ingressæ sunt; impetu venti per Rhenum jactatæ ad coloniam deveniunt: cum quibus Gouanus terræ rex et Elga ejus frater, cum suis clientibus, rem habere volebant: quibus pro virili virgines resistebant: propterea tyrannis occisæ sunt. Hæc sancta Ursula filia erat Dionoth Britanniae rectoris, et Scotorum regis ex sorore neptis.” Hæc

<sup>1</sup> Polychron. lib. 3. cap. 18.

<sup>m</sup> Jo. Balæ. script. Britan. centur. 1. cap. 30.

<sup>n</sup> Supra, pag. 151.

<sup>o</sup> Hect. Boeth. Scot. hist. lib. 6. init.

Major: a quo in temporis ratione discedens Hector Boethius<sup>p</sup>, Scotorum regem, cujus sororem Dionethus in matrimonio habuisse dicitur celebrem illum, de quo diximus<sup>q</sup>, Fergusium Erci filium fuisse affirmat.

Et quidem Deo-noti Britannici regis filiam fuisse Ursulam, a primario etiam legendæ illius scriptore habetur traditum. Qui<sup>r</sup> acta illius novissime edidit, Coloniensis collegii Jesuita, "in vetere historia correctiore Dionetum, et non Deonotum," patrem ejus appellari assertit: quamquam ipsius contextus verba correctionem illam plane respuant: quæ et in editione Suriana, et in manuscripto Cottoniano, ita se habent: "Fuit in Britannicæ partibus (vel finibus ut in MS.) rex quidam Deo notus, tam vita quam nomine." Quibus et ista, ex Cisterciensis ordinis breviario, Parisiis anno MDXVI. edito, adjungas licet:

Deo noto fuit nata,  
Placens cunctis, Deo grata,  
Ursula regalis:  
Cujus miræ speciei,  
Plus mirandæ [et] fidei,  
Non erat æqualis.  
Regi magno pulcra nimis  
Desponsatur, dum instatur  
Precibus et minis.

Et ista quoque de patria:

Sol novus ab insula surgit occidentis,  
Dum virtutum Ursula fulget incrementis.

Deonotum sive Dionotum hunc fratri suo Caradoco in regno Cornubiæ successisse, et sub Maximiano (sive Maximo tyranno) Britannicæ principatum obtinuisse, in Britannicæ Galfridi Monemuthensis historia est additum. Postea vero Schonauigiensis monialis Elizabetha, "patrem<sup>t</sup> B. Ursulæ regem Britannicæ Scoticæ, Maurum nomine fuisse," a Verena virginei hujus sodalitiis una sibi per visionem

<sup>p</sup> Boeth. lib. 7. fol. 119. b. et 122. a.

<sup>q</sup> Supra, pag. 144. et 145.

<sup>r</sup> Flor. sanct. Petri Ribadeneiræ, tom. 1. pag. 501. edit. Latin. Colon.

<sup>s</sup> Galfrid. hist. lib. 5. cap. 15. Vid. supra, cap. 8. op. tom. 5. pag. 243.

<sup>t</sup> Vision. Eliz. lib. 4. cap. 2. edit. Paris, ann. 1513. et Colon. ann. 1628.

revelatum prodidit. Indeque in Petri Equilini<sup>u</sup> catalogo, “filia unica regis Scotiae Christianissimi nomine Mauri” Ursulam fuisse legimus: et in Petri Chalybis Sapphiceis<sup>w</sup>, de eadem;

Illa regali veniens ab ortu  
Scoticae gentis, patriam relinquit.

Coloniensi vero illi Jesuitae “vero similior eorum opinio esse videtur, qui illam Scotiae majori sive Hiberniae adjudicant: quanquam non omnino improbable sit, eam ex Britannia majori atque ex regno Cornubiae originem traxisse.”

Anno<sup>x</sup> MCLVI. Coloniae reperti fuisse dicuntur tituli quidam sepulchrales, Ursulanarum virginum, et virorum qui eas comitati sunt, nomina inscripta praeferentes: quorum indiculus a Gerlaco Tuitiense abbate tum confectus, adhuc Tuitii asservatur. Hinc revelationum<sup>y</sup> de illo virginali exercitu sanctae Ursulae Britannicae reginae eo anno sibi patefactarum occasionem natam refert Elizabetha: “Reperta sunt,” inquit, “inter sepulchra virginum multa corpora sanctorum episcoporum, atque aliorum magnorum virorum: erantque in monumentis singulorum repositi lapides, habentes titulos sibi inscriptos, quibus dignoscebantur qui aut unde fuissent. Horum praecipuos et maxime notabiles transmisit ad me ex supradicta urbe praefatus abbas (Gerlacus:) sperans aliquid mihi per gratiam Domini de eis posse revelari: et cupiens certificari per me, utrum credendum eis esset an non: habebat quippe suspicionem de inventoribus sanctorum corporum, ne forte lucrandi causa titulos illos dolose conscribi fecissent. Quales autem fuerint tituli illi, et quid de eis mihi revelatum sit, in praesenti sermone per diversa loca oculis legentium antepone re curavi.”

Eorum unus hic erat: “Sanctus Pantulus Basiliensis episcopus, qui virgines sacras cum gaudio susceptas Ro-

<sup>u</sup> Petr. de natalib. lib. 9. cap. 87.

<sup>w</sup> In Georg. Wicellii hist. sanctor. fol. 218. b.

<sup>x</sup> Jo. Trithem. in chronic. Hirsaugiens. ann. 1156.

<sup>y</sup> Elizabeth. vision. lib. 4. cap. 2.

mam perduxit : unde reversus, Coloniam pervenit, ibique cum eis martyrium suscepit :” quem a divina sua interprete Verena, quæ rei gestæ scilicet interfuerat, ita sibi expositum Elizabetha narrat : “ Quando primum in patria nostra congregari incepimus, sacra fama nostra longe lateque dispersa est : et multi ad spectandum nos undique confluerunt. Contigit autem, Deo ordinante, ut etiam quidam episcoporum Britannia nobis adjungerentur, atque in nostra societate mare transeuntes usque Romam nobiscum pervenirent : in quo itinere et beatus Pantulus Basiliensis episcopus nobis associatus est, et usque Romam perduxit ; factusque nostræ passionis socius.”

Alter : “ Sanctus Cyriacus papa Romanus, qui cum gaudio suscepit sanctas virgines ; et cum eis Coloniam reversus, martyrium suscepit.” De quo item Verena : “ In tempore quo ingressæ sumus urbem Romam, præsidebat apostolicæ sedi vir sanctus nomine Cyriacus. Hic ingressus fuerat Romam de finibus nostris : et cum esset vir prudens et nobilis omnibus acceptus, sublimatus erat in apostolicam dignitatem ; et jam per annum integrum et undecim hebdomadas Romanam ecclesiam rexerat : eratque in numero Romanorum pontificum decimus nonus. Qui cum nos advenisse audisset, lætatus est cum omni clero suo, et in magna honorificentia nos suscepit : habebat quippe cognatas quamplures inter nos. Nocte vero quæ proxima erat post adventum nostrum, revelatum est ei a Domino, quod relicta sede apostolica nobiscum esset profecturus, simulque martyrii palmam nobiscum accepturus. Ipse vero erat celans apud se revelationem hanc ; deditque sacri baptismatis benedictionem multis sodalium nostrarum, quæ nondum erant renatæ in Christo. Cumque oportunum tempus accepisset, manifestam fecit voluntatem suam, atque in conspectu totius ecclesiæ resignavit officium dignitatis suæ ; reclamantibus cunctis, præcipue cardinalibus qui velut deliramentum arbitrabantur quod quasi post fatuitatem muliereularum declinaret, nescientes admonitionem divinam quæ eum urgebat. Ipse autem constanter in proposito suo permanebat, propter amorem virginitatis nostræ : nam et ab infantia sua ipse immacula-



tam virginitatem custodierat in seipso. Ab illo ergo tempore omnem gratiam, quam in conspectu Romanæ ecclesiæ prius habebamus, amisimus: et obscuri nobis facti sunt, qui prius applauserunt nobis. Ipse autem venerandus pater noster beatus Cyriacus non prius ab urbe egressus est, donec ipsius consilio alter ei nomine Antherus substitutus est."

Subdit deinde Elizabetha: "Post hæc, cum perspexissem catalogum Romanorum pontificum, neque usquam nomen sancti Cyriaci illic reperissem; rursus interrogavi beatam Verenam, cum se mihi die quadam præsentasset, quare inter cæteros Romanos præsules ascriptus non fuisset. Et dixit, hoc ex indignatione eleri accidisse; pro eo quod in ordine dignitatis suæ usque ad finem permanere noluisset. Rursus die alia, cum eam interrogassem de quodam Jacobo, cujus nomen in sepultura ejus absque omni adjectione scriptum inventum est: visa mihi est quodam modo gratulari super interrogatione mea; responditque mihi hilariter, dicens; Fuit in tempore illo quidam nobilis pater, venerabilis vitæ, Jacobus archiepiscopus: qui de patria nostra in Antiochiam peregre profectus fuerat; ibique ad honorem præsulatus ascenderat, et septem annis rexerat ecclesiam illam. Hic cum audisset beatum Cyriacum suæ gentis virum Romæ in apostolicam dignitatem sublimatum, venerat visitare eum: jamque nobis advenientibus nuper de urbe erat egressus: quod cum nobis indicatum fuisset, missus est velociter nuncius ad revocandum eum: et inventus est in castello quodam, quod erat remotum a Roma duabus diætiis. Cumque audisset de adventu nostro, continuo reversus est ad nos, et factus socius itineris nostri, et particeps passionis nostræ in Colonia: habebat autem et ipse neptes aliquas in nostra societate. Hic, exhortante beato Cyriaco papa, cum esset vir prudens, magnam diligentiam adhibuerat, ut sciret nomina sororum nostrarum, atque ea ex magna parte cum interemptæ fuisset, lapidibus inscripta corporibus nostris adhibuit: sed antequam hoc perficere potuisset, deprehensus est ab impiis in hoc opere, et trucidatus est in medio nostri. Hinc est, quod quædam ex nostris titulatae inveniuntur, quædam

vero non. In ipsa autem hora passionis suæ cum jam feriendus esset, hoc solum a percussoribus postulavit, ut tantum differretur passio ejus, quousque sui ipsius nomen posset lapidi inscribere : et concessum est ei."

De Ursulæ vero sponso Etherio, quem "vixisse annos quinque et viginti fideles" titulus sepulchralis indicabat, atque ejus parentibus, ab angelo Domini, qui ipsam visitare consuevit, ista se didicisse eadem affirmat monialis : "Cum reverteretur Roma exercitus beatarum virginum ; in ipsa nocte qua sexti diei iter consummatum erat, Etherius rex qui erat manens in Britannia angelicam per visionem a Domino admonitus est, ut matrem suam Demetriadem hortaretur fieri Christianam (nam pater ejus, cui nomen erat Agrippinus, in primo anno quo ipse baptismatis susceperat gratiam, a vita discesserat :) simulque annunciatum est ei, quod egressurus esset de terra sua, et venturus in occursum sponsæ suæ quæ jam erat Roma regrediens ; quodque in urbe Colonia cum ea passurus esset, et inmarcescibilem coronam a Deo accepturus. Qui confestim divinæ admonitioni acquiescens, matrem suam exhortationi ejus consentientem regenerari fecit in Christo : assumptaque ea et parvula sorore sua Florentina etiam Christiana, properavit in occursum beatissimæ sponsæ suæ ; et factus est ei socius in passione et gloria cœlesti."

Ab angelo quoque de Constantia regina, quæ matris nomine etiam Firmundina dicta fuerit, ejusque patre Dorotheo rege Constantinopolis e Sicilia oriundo, edoctam se addit : et de sancta Gerasina, virginum omnium ductrice, a S. Nicolao (ni fallor) ejusmodi responsum accepisse. "S. Gerasina, de qua interrogas, fuit regina Siciliæ, et vere erat de fidei radice Aaron ; et habebat spiritum Domini abundanter. Virum suum Quintianum regem, cum esset primo tyrannus crudelissimus, convertit, et quasi de lupo agnum mitissimum fecit. Hic eam sumpserat de Britannia : et erat soror sancti Mauritii episcopi, et Dariæ matris sanctæ Ursulæ reginæ. Tres habebat filios, et filias sex : et erat minimus in eis sanctus Adrianus martyr. Frater ejus senior erat Dorotheus rex Græciæ, qui erat pater sanctæ Constantiæ quæ ad vos delata est. Eo autem tempore quo

beata Ursula de sancto proposito suo cum patre suo occulte tractabat, pater ejus magnam habens sollicitudinem illius negotii, direxit epistolam ad beatam Gerasinam, aperuitque ei voluntatem filiae suae et revelationes quas divinitus ei detexit: et quærebat audire consilium ejus, quia sciebat eam esse magnæ sapientiæ mulierem. Illa autem divina virtute inspirata, et intelligens verbum exisse a Domino, iter aggressa est cum quatuor filiabus suis, Babila, Juliana, Victoria et Aurea, et parvulo filio suo Adriano, quia amore sororum suarum ultro se ingessit peregrinationi: et relicto regno in manu filii sui et duarum filiarum, usque ad Britanniam navigavit. Ejus itaque consiliis totus ille sacer exercitus virginum collectus et ordinatus est: et erat ductrix omnium in cunctis viis peregrinationis earum, per consiliorum suorum gubernationem; et ad ultimum cum eis martyrium passa est.”

Tum ad Verenam iterum conversa, de persecutionis auctoribus consulendam eam censuit: “Quodam, inquit, tempore a beata Verena, cum ad videndum mihi se præsentasset, sciscitata sum, sicut mihi a quodam fratre suggestum est, quisnam fuerit actor martyrii beati illius exercitus? nam secundum considerationem narrationis quæ de præfato papa in præcedentibus facta est, nequaquam (sicut æstimant nonnulli<sup>2</sup>) Attila rex Hunnorum illius persecutionis actor extitit; sed multorum annorum spatio postea ejus persecutio subsequuta est. Cui interrogationi ita respondit. Cum essemus Romæ, fuerunt ibidem eo tempore duo principes iniqui, quorum nomina erant Maximus et Africanus: qui videntes magnam esse multitudinem nostram, et multos confluere ad nos et nobis associari, indignati sunt vehementer adversum nos; et metuebant ne forte per nos multum crescere et roborari deberet religio Christiana. Unde cum explorassent iter nostrum quo perrecturæ eramus, miserunt cum festinatione legatos ad quendam cognatum suum nomine Julium, qui erat princeps gentis Hunnorum; hortantes eum ut educto exercitu suo persecutionem nobis inferret; ac deleret nos. Qui cito acquiescens voluntati eorum, cum armata multitudine egrediens

<sup>2</sup> Otto Frisingens. chronic. lib. 4. cap. 38.

irruit super nos cum venissemus Coloniam, ibique effudit sanguinem nostrum.”

Nempe ex consideratione quæ de Cyriaco papa in præcedentibus facta est, ad annum quo Anterus ab eo in pontificatu substitutus fuisse fingitur passionem virginum consequenter referendam fuisse observaverat vel Elizabetha vel subdolos potius, cujus opera in revelationibus istis concinnandis illa usa est, monachus: sive frater ipsius Egbertus<sup>a</sup> ille fuerat, S. Florini cœnobii apud Schonaugiam abbas; sive Rogerus Cisterciensis<sup>b</sup>, Fordani, monasterii apud Anglos cœnobita. Cumque in libro ponticali, qui Damaso tribuitur, Anterus temporibus Maximini et Africani consulum sedisse, et a Maximo præfecto martyrio coronatus fuisse diceretur: inde Maximi et Africani suasu virginum cædem a Julio Hunnorum principe factam tradidit. Occupavit tunc Romanum imperium Julius Maximinus Thrax, patre Gotho, matre Alana genitus: cujus tempore Ursulam cum suis passam etiam Johannes Leidensis<sup>c</sup> asserit. Coloniensis Jesuita ex Vincentio Bellovacensi, Antonino, Johanne Magno historiæ Gothicæ scriptore, et historia antiqua Coloniæ impressa, ad annum a Christo nato CCXXXVII. virginum mortem refert: verum in Tuitiensi sepulchralium titulorum catalogo annum CCXXXVIII. distincte expressum fuisse subjicit: quo etiam anno Maximianum Augustum et Africanum consules fuisse censuit Baronius: licet CCXXXVI. æræ Christianæ anno eorum consulatum convenire verior nos doceat chronologia.

Hisce vero Elizabethæ somniis, et specioso sepulchralium epigrapharum titulo, delusus Jesuita, gloriari non dubitat, “Reliquias Colonienses inter certissimas merito a nobis habendas esse: quippe quarum nomina, status, conditio, cum intra triduum a SS. virginum cæde ab eo qui interfuit conscripta atque intra ipsos sarcophagos, ut separari non potuerint, una cum ipsis corporibus asservata,

<sup>a</sup> Vision. Elizabeth. lib. 1. cap. 1. et lib. 4. cap. 6. Jo. Trithem. chronic. Hirsaugiens. ann. 1165.

<sup>b</sup> Jo. Balæ. scriptor. Britann. centur. 3. cap. 23.

<sup>c</sup> Jo. Gerbrand. chronic. Belgic. lib. 1. cap. 4.

atque Deo tandem revelante anno MCLVI. inventa fuerint :” indeque etiam Robertus<sup>d</sup>, cœnobii S. Mariani apud Antissiodorenses monachus, quum ex historia Britonum, vel Sigebertini potius chronici interpolatore, Ursulanarum tragœdiam recitavisset; ad revelationum Elizabethæ normam narrationem illam corrigi oportere, ita lectores suos admonendos esse censuit: “ Veruntamen de beato collegio ac sacro martyrio undecim millium virginum aliter sentiendum, venerabilis sanctimonialis Elizabeth nomine in sua revelatione dignissime manifestat: quæ jam in nostro seculo, anno videlicet incarnati Verbi MCLVI. divinitus mirabiliter meruit edoceri, non solum quo tempore prædictæ passæ sint virgines, verum etiam quis pater Ursulæ, quæ cognatio ejus; quantis religiosis personis tam laicis quam ecclesiasticis collegium virginum fretum fuerit, et qui et quomodo etiam ipsi pro Christo cum sacris virginibus martyrium pertulerunt. Dicit enim quod quidam papa urbis Romæ Quiriacus nomine, decimus nonus post Petrum, cum illis passus sit: fuit siquidem iste Pontiani papæ successor, et rexit ecclesiam annum unum et menses decem et sic in loco suo virum sanctum, qui Anterus dictus est, ordinavit: et cum undecim millibus virginum discedens, sedem suam reliquit. Nam et ipse de Britannia natus, plures consanguineas in sanctarum numero puellarum asseritur habuisse: et quia sedem apostolicam invito clero reliquit, nomen ipsius catalogo Romanorum pontificum idem clerus erasit.”

Hæc etiam de Quiriaco vel Cyriaco fabella, ut res certa producitur in glossa quadam sexti<sup>e</sup> libri decretalium: quæ in antiquioribus editionibus (nam e nova Romana expuncta ea est) ita pridem legebatur: “ Datur certum exemplum de Cyriaco papa: de quo legitur, quod cum Ursula et undecim millibus virginum martyrizatus est. Scribitur enim de ipso quod sibi quondam revelatum est, quod esset cum illis virginibus palmam martyrii recepturus. Tunc congregatis clero et cardinalibus, omnibus invitis et præcipue cardinalibus, coram ipsis renunciavit dignitati et officio. Sed iste Cy-

<sup>d</sup> Chronolog. Altissiodor. ad ann. 453.

<sup>e</sup> Lib. 1. tit. 7. De renunciatione, cap. 1. Quoniam.

riacus in catalogo Romanorum pontificum non denominatur: quia creditum fuit per cardinales, quod non propter devotionem, sed propter oblectamenta virginum papatum dimisisset."

Eodem vero tempore quo Pseudo-Cyriaci istius et aliorum Ursulæ comitum nomina per Elizabetham primum mundo sunt patefacta, in Anglia summa cum potestate claudit Henricus<sup>f</sup> Wintoniensis episcopus; qui Glastoniensi cœnobio, cui abbas præfuit, corpora sanctarum virginum Ursulæ et Dariæ donavisse memoratur. Id enim in Glastoniensium reliquiarum indiculo legimus: hac quoque notatione addita: "In feretro S. Ursulæ virginis continentur reliquiæ ejusdem satis plene. Item in eodem feretro continentur reliquiæ sanctæ Dariæ virginis, pro tertia parte: de dono Domini Henrici episcopi Wintoniæ:" nam virginis titulum hic obtinet Daria, quæ in Elizabethæ visionibus S. Ursulæ mater fuisse traditur: licet ejus matrem Jacobus Philippus Bergomensis<sup>h</sup> Demetrium fuisse dicat; quæ in illa Elizabethæ ἀποκαλύψει sponsi Ursulæ Etherii genitrix constituitur.

A Dariæ autem "istius reliquiis in Hiberniam importatis, comitatum illius gentis primum et Lageniæ caput Kildariam vocatum," eadem auctoritate statuit Dempsterus<sup>i</sup>, qua exhortationum ad castitatem librum unum scriptum ab ea fuisse asserit: quanquam et aliam S. Dariam virginem fuisse agnoscat, S. Brigidæ Scotæ, primæ Kildariæ conditricis, æqualem; non quidem, ut ille<sup>k</sup> scribit, a Cogitoso Nepote, sed a Johanne Tinmuthensi, et aliis vitæ Brigidæ scriptoribus commemoratam: quorum unus visum ab ea Dariæ huic collatum simul et ablatum, inter alia<sup>l</sup> huic thaumaturgæ admodum familiaria miracula, sic recenset: "Quodam<sup>m</sup> tempore sanctissima Bri-

<sup>f</sup> Martin. Polon. in chronico pontific. ann. 238.

<sup>g</sup> De quo supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 145.

<sup>h</sup> Philip. Bergom. de claris mulierib. cap. 134.

<sup>i</sup> Dempster. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 4. num. 385.

<sup>k</sup> Id. ibid. num. 387.

<sup>l</sup> "Brigida qualis erat pandit conversio furum. Muti vox, regis jus, reditusque coci." Alexander Essebiensis, in libro festivali.

<sup>m</sup> Vitæ S. Brigidæ MS. lib. 2. cap. 68.

gida et alia sancta virgo nomine Daria, colloquentes invicem de Christo, non senserunt noctem. Ubi enim Sol justitiæ Christus præsens fuit, nihil tenebrosum erat. Sed S. Daria oculis a nativitate orbata erat: quæ ait ad S. Brigidam, Domina, benedic oculos meos; ut valeam mundum videre, sicut desidero. Tunc S. Brigida oculos ejus benedixit, et statim aperti sunt; et respexit mundum. Et ait S. Daria ad beatam Brigidam: Iterum, mater, reclude oculos meos, quanto enim mundo absentior fuerit homo, tanto præsentior Deo erit. Et signans S. Brigida oculos ejus; reclusi sunt, sicut ipsa rogavit."

Verum nominis Kildariæ originem neque ab hac neque ab Ursulana illa Daria, sed a quercu vel robore (quod lingua Scotorum, sive Hibernorum, Dear appellari etiam a Beda<sup>n</sup> est notatum) anonymus ille repetit: de Brigidæ adventu in patriam suam, Lageniæ nempe provinciam, in qua a patre Dubtacho genita est (natam enim illam "in villa Fachayrd, quæ est in provincia Ultonum et regione quæ dicitur Conayll Murthemni," idem<sup>o</sup> jam dixerat) ita scribens: "Dum<sup>p</sup> venisset gloriosissima virgo Brigida ad patriam suam; cum magno honore et totius provinciæ gaudio suscepta est. Et cella assignata est ei illico, in qua ipsa Dei sancta mirabilem vitam deinde duxit. Ibi magnum monasterium plurimarum construxit virginum: ibique maxima civitas postea in honore beatissimæ Brigidæ crevit, quæ est hodie metropolis Laginensium. Illa jam cella Scotice dicitur Cyll-dara: quod sonat Latine, cella quercus. Quercus enim altissima ibi erat, quam multum sancta Brigida diligebat:" indeque ab alio vitæ ejusdem scriptore civitatem S. Brigidæ nominatam Cellam roboris invenimus.

Sed Glastoniensibus Dariæ suæ, sive virginis sive viduæ, reliquiarum tertiam partem relinquamus: num Ursulæ vèro corpus satis plene illi habuerint, Colonienses viderint; qui in Ursulana ecclesia et caput (quod Bergomenses<sup>q</sup> etiam in Augustinianorum suorum eremitarum

<sup>n</sup> Bed. histor. lib. 3. cap. 4.

<sup>o</sup> Vit. Brigid. lib. 1. cap. 6.

<sup>p</sup> Vit. Brigid. lib. 2. cap. 1.

<sup>q</sup> Jacob. Philip. Bergom. in supplement. chronicor. lib. 9. ann. 453.

conventu habere se credunt) et corpus ejus adhuc penes se superesse jactitant: siquidem hic "asservantur in tribus argenteis deauratis gemmisque pretiose vestitis ac summo altari incorporatis tumbis tria corpora; videlicet S. Cyriaci pontificis, S. Ursulæ, et S. Conani ejus sponsi quem alii Etherium nominari volunt: quorum capita, mediis argenteis statuis inclusa, in aurea camera seorsim, cum multis aliis primariis capitibus, reverenter sub firma clausura custodiuntur." Refert hoc in sacrario suo Agrippinæ Erhardus Winheimius: de aliis quoque ejusdem generis *κειμηλοισ* in aurea illa camera a se conspectis porro adjiciens: "Vidi in hac camera, revera aurea, telum<sup>r</sup> quo S. Ursula transfixa fuit. Item anulum aureum simplici opere, quo eadem sancta a sponso suo subarrata fuit. Item eburneas affabre factas cistulas, in quibus reliquiæ quas Roma secum attulit, et quæ ad regalem muliebrem mundum pertinent, ipsaque in itinere usa fuit, continentur. Bibi etiam inibi ex una hydria, in qua Christus in Cana Galilææ aquam in vinum convertit:" de qua tamen, an metretas<sup>s</sup> illa caperet binas vel ternas, unice securum fuisse arbitrator.

Addantur his et belli isti versiculi, qui<sup>t</sup> ad Ursulani templi leguntur introitum:

Hæc est basilica excellens honore,  
Ubi gens Hunica magno cum furore  
Virgineos stravit choros.

Et intra ædem consimiles, ad Cyriacum pontificem:

Clemens Ciriace papatum renuis;  
Ad nutum Ursulæ decedens strenuus  
Tiremibus ad Ubios.

Et ad sponsum Ursulæ Etherium:

Dive Etherie digne fers anulum;  
Nobilis Ursulæ optans connubium,  
Consummatum Agrippinæ.

Quibus omnibus Elizabethæ<sup>u</sup> abbatissæ Sconaugiensis,

<sup>r</sup> Sagittæ ictu interiisse seipsa affirmat Ursula: si quæ fides revelationibus Elizabethæ et Richardi Præmonstratensis sit adhibenda.

<sup>s</sup> Johan. cap. 2. ver. 6.

<sup>t</sup> Petr. Crætepol. in Coloniensium archiepiscop. catalogo, num. 4.



ceu canonizatæ virginis, revelationes eam conciliarunt fidem : ut hanc ipsam ecclesiam non alio quam revelationum titulo inde insignitam fuisse, vulgari sermone perhibeatur.

Quam nihili vero et Elizabethæ, quantumvis canonizatæ, revelationes et Coloniensium traditiones hæc Cæsar Baronius fecerit ; ex censura illa apparet, quam secundo ecclesiasticorum suorum annalium tomo inseruit : “ Non ” audiendi penitus recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quendam Romanum pontificem, cujus nulla prorsus extat mentio in serie Romanorum pontificum a Latinis descripta (uti in libro de Romanis pontificibus, vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum, aut Cresconium, aliosve indices Vaticanos) nec apud Græcos, ut Eusebium, Nicephorum chronographum, vel alios : adeo ut ne digna quidem sit quæ pluribus confutetur sententia ; quippe quæ nulla penitus nitatur ratione, vel testimonio antiquorum, ex commentitiis tantum actis martyrii sanctarum Ursulæ et sociarum petita :” pluribus etiam figmenta ista Gobelinus Persona, decanus Bilefeldensis, ante annos ducentos refutavit ; præter libri pontificalis et Eusebii altissimum de Cyriaco silentium, his etiam productis argumentis.

“ Illi qui dicunt istum Cyriacum cum virginibus profectum, dicunt quod pater B. Ursulæ fuerit rex Britanniæ, et pater sponsi ejus fuit rex Angliæ<sup>x</sup>. Sed regnum Angliæ nondum ortum erat : nec etiam Sicilia adhuc regnum erat, nec erat aliqua civitas adhuc Constantinopolis nominata ; de quibus omnibus prædicti fabulantes aliquos homines vel fœminas in virginum prædictarum comitatu fuisse asseverant. Et finaliter, non est verisimile Christianos illis temporibus ita publice urbem Romanam potuisse visitasse in tanta comitiva : cum necdum solitum erat ean-

<sup>u</sup> Vid. Winheim. sacrar. Agripp. num. 9. pag. 85.

<sup>w</sup> Baron. ann. 237. sec. 11. Vid. et notat. in Roman. martyrolog. Januar. 3. c.

<sup>x</sup> Id primus, ni fallor, dixit Vincentius in speculo historial. lib. 20. cap. 40. et post eum Jacobus Januensis, in legenda aurea, cap. 154. Antoninus in chronic. tit. 11. cap. 8. sec. 7. et Petrus Equilin. lib. 9. cap. 17.

dem urbem, paucas adhuc habentem ecclesias, pro indulgentiis visitari; nec etiam aliquis imperator fidem Christi adhuc susceperat. Sed error iste surrexit, ut dicitur, de quadam fœmina, nescio an inclusa vel monacha, quæ erat apud Sconowgiam temporibus Friderici primi, circa annum Domini MCLVI. quæ asseruit talia et multa alia sibi revelationibus divinis patefacta: cujusmodi revelationes assertas ego perlegi, et in multis contrariantur libris chronicis et historiis. Unde quædam ad impugnandum, seu verius ad elucidari provocandum, hujusmodi erroris caliginem collegi; quæ Coloniam examinanda destinavi. Et licet plures viri solennes et magnæ reputationis illa perlegerunt; tamen solutionem eorum, quæ contra supradictas assertas revelationes, in quantum historiam virginum prædictarum contingunt, allegavi, obtinere non valebam." Hæc ille, in Cosmodromii sui capite decimo quarto, de Antero etiam statim subjiciens: "Antherus natione Græcus, sedit mensem unum dies viginti et quinque. Et eo tempore Maximus et Africanus Romæ consules fuerunt: ut patet in epistola sua, quam<sup>y</sup> ipse Antherus Toletanæ provinciæ episcopis direxit. Et in assertis revelationibus prædictis fœmina supradicta dicit, quod Maximus et Africanus consules supradicti scripserunt ad quendam Julium cognatum suum, tunc principem Hunnorum, ut undecim millia virginum morti traderent, quando ad partes Germaniæ redirent. Sed consules illi habuissent potestatem virgines illas Romæ occidisse, cum eo tempore persecutio fervebat in urbe; ita quod ipse Antherus papa pro fide Christi occisus est, ut scribit Damasus papa in libro suo: nec etiam gens Hunnorum adhuc cognita fuit partibus Germaniæ vel Italiæ."

Jacobus Philippus Bergomensis Maximum et Africanum Romanæ militiæ principes fuisse ait: et licet in aliis Elizabetham fere sequatur, in temporis tamen ratione ab ea discedendum sibi putavit, Attilæ militibus virginum cædem attribuens: "Ursulam virginem et martyrem," inquit ille<sup>z</sup>,

<sup>y</sup> Hæc Anteri epistola in libris editis nullam habet *ἰστογραφίαν*, sed successoris Fabiani habetur alia, data Kalend. Jul. Maximino et Africano consulib.

<sup>z</sup> Philip. Bergom. de claris mulierib. cap. 134.

“ illustrissimæ originis et celebris ingenii fœminam Britannicam, in anno Domini quinto et quinquagesimo supra quadringentesimum, cum undecim millibus promiscui sexus Christianis, qui omnes virginum nomine appellantur, apud Coloniam insignem Germaniæ urbem, ab Hunnis Scythisque impurissimis, scelestissimis, sylvestribus populis, sub Attila rege militantibus, gloriosissimum martyrium pro Christi nomine pertulisse compertum est:” et post: “ De hujus sanctæ virginis sociarumque passionis temporibus, quædam fuit apud illustres historiarum scriptores ambiguitas: cum sint qui dicant illam passam fuisse temporibus Alexandri Romanorum principis; qui desiit regnare in anno salutis nostræ sexto et trigesimo supra ducentesimo. Sed ratio non patitur, ut tali tempore passa fuerit beata Ursula; quum tunc Sicilia regni titulum non haberet, neque Byzantium: sed verius, eam passam tempore supra præmisso.”

Similiter et Jacobus de Voragine, Januensis sive Genuensis episcopus: pro quo, ne ejus nomine, quod aureæ legendæ prodigiosa figmenta infame fecerant, notationes suas in martyrologium pollueret, Claudium de Rota Baronius<sup>a</sup> nominare maluit: “ Passæ<sup>b</sup> sunt anno Domini CCXXXVIII. Ratio autem temporis, ut quibusdam placet, non sustinet quod hæc tali tempore sint peracta. Sicilia enim tunc non erat regnum, nec Constantinopolis: cum hic fuisse dicatur cum virginibus harum reginas. Verius creditur, quod diu post Constantinum imperatorem, cum Hunni et Gothi sæviebant, tale sit martyrium celebratum: tempore scilicet Marciani imperatoris, ut in quadam chronica legitur, qui regnavit anno Domini CCCCLII.” Et Antonius Bonfinius<sup>c</sup>, “ Sedente Anthero pontifice maximo, et imperante Maximino, quamvis hæc gesta annales quidam referunt; ratio tamen temporum

<sup>a</sup> Baron. notat. in Roman. martyrolog. Octob. 21. et eum secuti Petr. Ribadeneira in vitis sanctorum Hispanice edit. et Thom. Dempsterus, histor. ecclesiast. Scotor. lib. 19. pag. 654.

<sup>b</sup> Jacob. Januens. legend. aur. cap. 154. cura Claudii de Rota edit. ann. 1536.

<sup>c</sup> Hungariæ historiæ decad. 1. lib. 5.

nullo modo constare potest. Multo rectius sensere illi qui, quum diu post Constantinum Unni Gothique sævierint, hæc imperante Marciano et anno salutis CCCCLII. accidisse tradiderunt." Petrus Equilinus<sup>d</sup> virgines illas "passas sub Hunnorum principe Juliano circa annum Domini CCCCL." affirmat. Ad annum CCCCLI. earum passionem refert Carolus Sigonius<sup>e</sup>; ad CCCCLIII. Sigbertini chronici interpolator; ad CCCCLIV. Dempsterus<sup>f</sup>; ad CCCCLXVI. Petrus Merssæus Cratepolius<sup>g</sup>; ad CCCCLXII. Alphensus Garsias<sup>h</sup>, in concilio Basileensi adversus oratores regis Angliæ ex legenda aurea ita disputans: "Ut legitur in legenda undecim millium virginum, rex Angliæ erat paganus, et petebat in uxorem pro suo filio Ursulam virginem Catholicam filiam regis Britannia: et hoc fuit anno Domini quater centesimo quadragesimo secundo. Et sic longe post Hispaniam cepit Anglia fidem Catholicam."

Anno post excessum Elizabethæ. Schonaugiensis undecimesimo novas visiones Richardus Præmonstratensis in lucem protulit; quibus priorum illarum defectus, et virginis Deiparæ et Ursulæ ipsius monitu, luculenter a se suppletos fuisse planus ille prodidit. Sic enim ille in epistola ad virgines Christi universas revelationi huic novæ præfixa: "Anno Domini MCLXXXIII. inspirante Domino, piaque ipsius genitrice cooperante cunctorum regina, novam undecim millium virginum historiam describentes; ammonitione persuasi sumus divina hanc vestræ charitati dedicare et sanctificare. Hæc enim sunt verba cælorum reginæ, dicentis. Tu communi utilitati universorum providere disponis, hoc opus virginibus dedicando: igitur eis ex parte meriti<sup>i</sup> scribas, atque eis dicas quatenus illas et castitate imitentur et sanctitate": et in narrationis suæ exordio: "Evidentius in virginis cujusdam, memoriæ

<sup>d</sup> Petr. de natalib. lib. 9. cap. 87.

<sup>e</sup> Sigon. de imper. occident. lib. 13.

<sup>f</sup> Dempst. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 1. num. 22. 39. 41. lib. 2. num. 126.

<sup>g</sup> Petr. Cratepol. catalog. archiepisc. Colon. num. 4.

<sup>h</sup> De quo supra, cap. 2. op. tom. 5. pag. 39.

<sup>i</sup> Mei.

felicis, Elizabeth visione nobilis earum perfectio, et magnificentia passionis, habetur conscripta. Præterea et Dominus, ipsarum sponsus et amator, ampliori eas volens adhuc gloria clarificare, nuper anno MCLXXXIII. quæ hucusque super earum peregrinatione latebant et gestis dignatur revelare. In exordio itaque narrationis hujus, juxta ejusdem beatæ Ursulæ admonitionem quæ cæterarum ductrix extitit virginum et magistra, passionis earum seriem tangemus; et quæ vel unde fuerint, atque genus et patriam ostendemus. De diversis siquidem partibus erant, videlicet Anglorum, Britonum, Wallionum, Scotorum, atque de aliis adhuc pluribus regnis et regionibus fuerunt oriundæ.”

Ita vero earum aciem instructam fuisse narrat, ut universo exercitui virgines præessent quinque; sub iis vero constituerentur undecim aliæ, quarum unam quamque mille fœminarum agmen sequeretur. Primariamur quinque, nomina recensentur ista: I. Ursula, regis filia; quæ omnium erat caput et princeps. II. Pinnosa, filia Ludrenci illustris ducis, patri Ursulæ. III. Cordula, filia Quirini comitis et Adwigis, filia comitis Harderici matris S. Ursulæ avunculi. IV. Eleutheria, filia Eusebii ducis, et Josippæ amitæ B. Ursulæ. V. Florentia, filia regis Ægidii, qui consobrinus fuit patris Ursulæ. Chiliarcharum hæc. 1. Jota, filia Lucii regis. 2. Benigna, cujusdam illustrissimi ducis filia. 3. Clementia, filia potentissimi comitis. 4. Sapientia, filia Herwici principis, patri S. Ursulæ. 5. Carpophora, regis cujusdam filia. 6. Columba, Aniti regis filia. 7. Benedicta, filia cujusdam principis. 8. Odilia, comitis cujusdam filia. 9. Chelindris, quæ patrem comitem quendam habuit, matrem patris Ursulæ materteram. 10. Sibia, Firani regis filia. 11. Lucia, regis filia, et sponsi S. Ursulæ cognata.

Ex Anglia vel Britannia quinque episcopi secuti esse dicuntur. I. Willelmus, proprio nomine vocatus Michael; consobrinus regis S. Ursulæ patris, et frater S. Jacobi ac B. Gerasinæ. II. Columbanus; filius S. Alexandriæ illustris ducissæ, sororis Ursulæ matris. III. Ywanus, vir grandævus; avunculus matris Ursulæ. IV.

Eleutherius; frater Eustachii comitis. V. Lotharius, consobrinus sponsi Ursulæ. Inter episcopos qui postea in itinere sese illis adjunxerunt, numeratur Cæsarius Meldensis episcopus; et Donatus, qui "Romæ factus papa nomine mutato dictus est Cyriacus: qui etiam occubuit, relicto papatu easdem virgines secutus, cum illis interemptus." Et "quia contra voluntatem cardinalium Romanique senatus consilium illinc discedens proficiscitur, de catalogo Romanorum pontificum nomen ipsius deletur:" ita de eo Richardus: de clero etiam Romano eum subsecuto insuper etiam adjiciens, "B. Cyriacum duo sequuntur cardinales, Pontius et Petrus: quorum unus Petrus Vincentius dicebatur; quia binominis erat. Sequuntur et illos diaconi duo, Kalixtus et Kilianus. Horum prior filius erat sororis Cyriaci papæ, et alter cognatus. Proficiscuntur cum eis subdiaconi tres: Ambrosius, Justinus atque Christianus. Sequebatur similiter eum B. Florentius, ecclesiæ Romanæ archidiaconus; qui et ipse cognatus fuit ejusdem apostolici."

Reges etiam undecim enumerat idem, qui se virginibus comites adjunxerunt; catalogo eorum brevi hoc præfixo præmio: "Nunc de regum quorundam serie quæ nuper sunt cœlitus revelata narremus;" et parili hoc subjecto epilogo: "Nos itaque veritatem diligentes, puræ veritatis tramitem incedentes, revelata scribimus; falsitatis ambaginem prorsus detestantes. Erant enim regum regna modica: sicut in libro regum legitur (eorum quos nos habemus certe nullo,) quia triginta duo reges contra tres ad bellum venerant præparati:" Ursulanorum horum regum I. Olofernes nominatur, sponsus ipsius Ursulæ. "Hoc autem nomen Olofernes," inquit sapientissimus auctor, "nequaquam illi est proprium; sed propter virtutem animi multam et corporis pulchritudinem ita est cognominatus: quem domina Elizabeth Etherium vocat." II. Oliverus, per sponsam suam virginem Olivam conversus; quæ magni regis Cleopatri erat filia, qui patruus extitit Ursulæ patris. III. Crophorus, regis Pinnosi filius, Ursulæ cognatus. IV. Lucius, pater Jotæ virginis, Ursulæ cognatus. V. Clodoneus; per filiam Eugeniæ ducissam et maritum

ipsius ducem Alexandrum conversus. VI. Canutus; qui regnum uni filiorum suorum Carolo relinquens, peregre profectus est. VII. Pipinus, Ursulæ consanguineus. VIII. Odulphus, dicti regis Pipini filius. IX. Anitus; filias duas secutus, Columbam et Cordulam. X. Firanus: filiam Sibiliam et tres illius sorores secutus. XI. Refridus rex Danorum; per uxorem Olivam filiam ducis Saxoniae conversus.

Præter hos etiam, ut scribit Richardus: "Rex Bonifacius jam ante paganus cum filia Bonifacia virgine religiosissima aderat. Rex etiam Laurentius, jam ante paganus atque Christianorum inimicus, sævus tyrannus, postea nutu Dei correptus mirabiliterque conversus ex lupo agnus efficitur. Qui sponsam suam sequitur Resiudem virginem beatissimam, regis Corchaniæ filiam de Hibernia. Denique et ipsam reginam Resiudem sponsæ suæ matrem, cum duabus reginis Eustora et Magmora, secum ducebat; quarum una erat soror ipsius. Affuerunt adhuc plures tam de Hibernia quam de cæteris regnis principum filiae, regum et ducissarum et comitissarum." Quin et parvulas lactentes fere ad quingentas adfuisse refert: de virorum etiam numero addens: "Audemus sane confirmare, uti paulo ante divinitus est revelatum, plusquam trecentos esse viros in illarum comitatu: quorum ducenti et pauci plures cum eis voluntarie martyrii palmam subierunt. Præ numerositate vero virginum multarum nulla in passione illarum fit mentio matronarum aut virorum." Et post, "Personarum sublimium atque virorum qui in earundem beatissimarum fuerunt virginum societate interempti numerus erat aliquantulum plus quam ducentorum: sic enim duobus constat cœlitus esse revelatum. Fuerunt etiam inter eas matronæ, quæ de virginum illarum non erant numero, plus quam ducentæ." Ita Richardus Præmonstratensis: non multo plures quam duodecies mille omnis generis in universa turba hac ratione dinumerans.

Verum "in vita S. Achabii et sociorum ejus (XXII. Junii, in postrema Surii recognitione typis excusa) ex antiqua Coloniensium traditione refertur, in hoc sacro cœtu facile quatuordecim millia SS. martyrum utriusque sexus ac

promiscuæ multitudinis extitisse:" ut in Ursulana sua historia monuit Coloniensis Jesuita. At Guilielmus Caxtonus, vel quicumque fuit legendæ aureæ anno MDXII. Londini excusæ Anglicanus interpres, Coloniae accepisse se ait, cum undecies mille virginibus etiam quindecies mille viros passos fuisse: ita ut martyres in universum viginti sex millia numerarentur. Nam vulgarem illum virginum numerum ita religiose retinendum censuit Guilielmus, ut quum ultra undecim millia virginum nobilium, ex infima gente creatis, in Britannica<sup>k</sup> quidem Galfridi historia sexaginta, in Malmesburiensis vero monachi eulogio<sup>l</sup> octo chiliadas numeratas invenisset; ipse inferioris generis octo, nobilioris autem tria tantum millia in Anglicano suo chronico reponere minime dubitaverit. Sed ne ipsum quidem undecim millium numerum breviarii et martyrologii Romani emendatores exprimendum putaverunt; ut tantæ virginum multitudinis mentio prorsus omitteretur, consultius esse rati. Indeque ad Octobris diem vigesimum primum ubi prius legebatur; "In Colonia Agrippinensi natale sanctarum undecim millium virginum, quæ pro virginitatis constantia martyrio vitam consummaverunt;" jam in Romano martyrologio legimus, "Apud Coloniam Agrippinam natalis sanctarum Ursulæ et sociarum ejus: quæ pro Christiana religione et virginitatis constantia ab Hunnis interfectæ, martyrio vitam consummaverunt, et plurima earum corpora Coloniae condita fuerunt."

Eadem prudentia virginum numerum silentio involvendum censuit etiam Hector Boethius: qui<sup>m</sup>, earum historia temporibus Attilæ reservata, de Athireonis (eujus ante Ursulana hæc proxime ex eo meminimus) filio Findoco rege narrare pergit: "Floriano<sup>n</sup> imperante Romanis occisum cum esse, atque in agro haud procul ab Euonio, Christianorum sepulturæ sacro, conditum, parentalibus sacris Christiano more rite peractis:" Floriani vero hi-

<sup>k</sup> Supra, cap. 8. ut et apud Matth. Florilegum, ann. 302.

<sup>l</sup> Eulog. historiar. lib. 5.

<sup>m</sup> Boeth. Scotor. histor. lib. 7. fol. 123. a.

<sup>n</sup> Id. lib. 6. fol. 91. b.



mestre tantum fuit imperium, et quidem anno æræ nostræ CCLXXVI. peractum: licet Hector, in Scotorum regum catalogo, anno CCLXIII. Findocum interiisse velit. Quæ apud suos religionis facies tunc extiterit, idem hunc in modum explicat: “ Cœpere<sup>o</sup> nostri eo temporis Christi dogma accuratissime amplexari: monachorum quorundam ductu et adhortatione, qui quod sedulo prædicationi vacarent, essentque frequentes in oratione, ab incolis cultores Dei sunt appellati. Invaluit id nomen apud vulgus in tantum, ut sacerdotes omnes ad nostra pene tempora vulgo Culdei, id est, cultores Dei, sine discrimine vocarentur. Pontificem inter se communi suffragio deligebant, penes quem divinarum rerum esset potestas. In multos deinceps annos Scotorum episcopus, uti nostris traditur annalibus, est appellatus.”

Hos Dempsterus a scriptoribus ecclesiasticis Θεραπευτὰς<sup>p</sup>, a Diogene Laertio Σεμνοθέους<sup>q</sup> vocatos existimat: de eorum monachatu sententiam suam ita adjiciens: “ Cum<sup>r</sup> eo tempore nulli<sup>s</sup> adhuc in occidente monachi legantur, nec vero esse potuerint, monastica regula diu postea tantum formata; sequitur ut canonici regulares omnes ii fuerint: qui ab apostolicis orti temporibus, magna sanctitatis et literaturæ fama, majore in ecclesia merito et autoritate, a basilica sua Romæ, Lateranenses, demum a S. Augustino reformatore appellati, inter ecclesiasticos Scotiæ ordines mire splenduerunt.” Sed et extra Scotiam horum nomen auditum esse docet Giraldus Cambrensis: suo tempore Enhly<sup>t</sup> sive Berdseyam insulam “ a<sup>u</sup> monachis inhabitam religiosissimis, quos Cœlibes vel Colideos vocant;” et apud Momonienses, in “ Insula<sup>w</sup> Viventium quæ vocatur, paucos cœlibes, quos Cœlicolas vel Colideos vocant, capellæ devote deservisse,” referens.

<sup>o</sup> Boeth. Scotor. histor. lib. 6. fol. 92. b.

<sup>p</sup> Dempst. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 1. num. 45.

<sup>q</sup> Id. in apparat. ad. histor. Scotic. lib. 1. cap. 13. pag. 54.

<sup>r</sup> Id. ibid. pag. 146.

<sup>s</sup> Vid. supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 136. 156.

<sup>t</sup> Girald. Itinerar. Cambriæ, lib. 2. cap. 6. Vid. supra, cap. 14. pag. 44.

<sup>u</sup> Id. in topograph. Hiberniæ, distinct. 2. cap. 4.

<sup>w</sup> Inch nambeodh Tipperariensium.

In majoribus certe Ultoniensium ecclesiis, ut in metropolitana Armachana, et in ecclesia de Cluan-ynish Clochorensis dioceseos, ad nostram usque memoriam, presbyteros qui choro inservientes divina celebrabant officia Colideos, eorumque præsidem priorem Colideorum appellatum esse novimus. Indeque a Johanne Meyo archiepiscopo Armachano, “*ex* probatissimorum testium testimonio, et, quod magis est, (regesti verba sunt) sanctorum patrum antiquis chronicis et prædecessorum libris annalibus scrutatis et perlectis,” anno MCCCCXLV. sententiam latam invenimus; quod “*Prioris seu cujusque Colideatus officium curatum nullatenus sentiatur, teneatur, vel alias reputetur: quin quilibet beneficium curatum simul et semel cum prioratus ac Colideatus officio possit et valeat libite et licite retinere; dummodo in ecclesia Armachana debitam fecerit residentiam,*” &c. et quod “*Priori Colideorum locus primus in mensa, et in exequendis ac regendis divinis officiis, ut in loco præcentoris, a Colideis cæteris reverentia congrua debeatur:*” Et a Nicolao V. Romano pontifice aliam<sup>2</sup>: quod “*Prioratus collegii secularium presbyterorum Colideorum vulgariter nuncupatorum Armachanensium simplex officium et sine cura existat:*” ut in rescripto ipsius videre est, dato Romæ apud S. Petrum, anno MCCCCXLVII. pontificatus anno I.

De veteribus autem Scotiæ Culdeis notavit ista Buchananus: “*Scoti<sup>a</sup> liberati curis externis, nihil prius habuerunt, quam ut religionem Christianam promoverent; occasione illinc orta, quod multi ex Brittonibus Christiani sævitiam Diocletiani timentes, ad eos confugerant: e quibus complures, doctrina et vitæ integritate clari, in Scotia substiterunt, vitamque solitariam tanta sanctitatis opinione apud omnes vixerunt, ut vita functorum cellæ in templa commutarentur. Ex eoque consuetudo mansit apud posteros, ut prisci Scoti templa cellas vocent. Hoc genus monachorum Culdeos appellabant: mansitque nomen et institutum, donec monachorum genus recentius, in plures divisum sectas, eos expulit; tanto doctrina et pietate illis inferius, quanto divi-*

<sup>1</sup> Ex registro Johannis Mey. fol. 12.

<sup>2</sup> Ibid. fol. 2.

<sup>3</sup> Buchanan. rer. Scoticar. lib. 4. in rege XXXV.

tiis et ceremoniis cæteroque cultu externo, quibus oculos capiunt et animos infatuant, sunt superiores.”

Sæviente vero per Britannias Maximiani persecutione S. Nicolaum, ex horum Culdeorum ordine episcopum effectum, martyrio vitam finiisse Dempsterus ait : “ S. Nicolaus Culdeus,” inquit<sup>b</sup>, “ atque unus ex primis Scoticæ ecclesiæ episcopis, sæviente per Britannias Maximiani persecutione martyrio affectus : in urnam lapideam sacrosanctæ reliquiæ corporis frustatim concisi et truncati repositæ, atque una cum cruce quadam venerabili in terram defossæ, postea effossæ hac inscriptione venerationem meruerunt ; S. NICOLAI EPISCOPI : quibus deinde rex Alexander III. rogatu Glasconensis episcopi magnificam ecclesiam apud Plebes (vel Pebles potius) construxit ; quæ, stante apud nostrates pietate, miraculorum gloria erat illustris, et concursu mirabili frequentabatur. An aliquid hic primus episcopus, ut puto, in Scotia martyr scripserit non deprehendi. Passus est martyrium anno CCXCVI. Repertum sacrum corpus, ex inscriptione agnitum, et cum cruce exaltatum septimo Idus Maii, anno MCCLXII. qui fuit decimus et tertius Alexandri III. regis ; ut pluribus in Scotichronico extat, libro decimo quarto, capite decimo sexto.”

At neque Culdeum neque Scoticæ ecclesiæ episcopum fuisse martyrem illum Scotichronici scriptor prodidit : neque locus ille in quo reliquiæ repertæ sunt, temporibus Maximiani pars ulla Scotiæ fuit. Verba vero auctoris illius, si quis ea requirat, in libro meo hæc sunt : “ Septimo Idus mensis Maii, anno Domini MCCLXI. et regni regis Alexandri decimo tertio, inventa est quædam magnifica crux et venerabilis apud Pebles, astantibus honestis [viris,] presbyteris, clericis et burgensibus : sed quoto anno, vel a quibus personis, ibidem abscondita fuerat penitus ignoratur. Creditur tamen, quod sæviente Maximiani persecutione in Britannia, per quosdam fideles abscondebatur circa annum Domini CCXCVI. Inde vero non longe postea ibidem reperta est una urna lapidea, quasi tribus vel quatuor passibus

<sup>b</sup> Dempster. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 13. num. 952.

a loco quo illa gloriosa crux fuerat inventa, cineres et ossa continens cujusdam corporis humani quasi membratim decurtati. Cujus autem sunt reliquiæ, nondum scitur ab aliquo. Quidam tamen autumant illius esse reliquias, cujus nomen inventum est scriptum in ipsa petra, in qua illa crux jacebat. Sculpebatur in ipsa petra forinsecus; Locus sancti Nicholai episcopi. In ipso quoque loco ubi crux inveniebatur per ipsam crucem crebra fiebant et fiunt miracula: atque populi catervatim ibidem confluerunt et confluent, oblationes et vota sua Deo devote portantes. Unde rex de consilio episcopi Glasguensis ecclesiam ibidem honestam in honorem Dei et sanctæ crucis fieri fecit<sup>c</sup>.”

Hæc ille: cum quibus et interpolatoris Ninii de Hierosolymitana regis Arthuri peregrinatione narrationem conjungas licet: “Octavum,” inquebat Ninius, “fuit bellum in castello Guinnon; in quo Arthur portavit imaginem sanctæ Mariæ semper virginis super humeros suos: et pagani versi sunt in fugam in illo die, et multi ceciderunt; plagaque magna super eos venit, per virtutem Domini nostri Jesu Christi sanctæque suæ genitricis:” Hujus fabellæ rationem redditurus scholiastes, eam nova cumulandam censebat fabula: “Nam Arthur,” ait ille, “Hierosolymam perrexit; et ibi crucem ad quantitatem salutiferæ crucis fecit: et ibi consecrata est. Et per tres continuos dies jejunavit, vigilavit et oravit coram cruce Dominica, ut ei Dominus victoriam daret per hoc signum de paganis: quod et factum est, atque secum imaginem sanctæ Mariæ detulit: cujus fracturæ adhuc apud Wedal servantur in magna veneratione. Wedal Anglice, Vallis doloris Latine. Wedal villa est in provincia Lodonesiæ, nunc vero juris episcopi sancti Andreæ Scotiæ, sex milliaria, ab occidentali parte, ab illo quondam nobili monasterio de Melfes:” vel, ut habet codex, qui in publica Cantabrigiensis academiæ bibliotheca asservatur, “nobili et eximio monasterio de Meilros.”

Erat autem Meilrosense monasterium in ripa Twedæ<sup>d</sup>

<sup>c</sup> Hunc Samuelis, discipuli Elbodi episcopi nomine, citat hic Jo. Lelandus, in assertionem Arturii fol. 11.

<sup>d</sup> Bed. ecclesiast. histor. lib. 4. cap. 27. et lib. 5. cap. 13.

fluminis situm, in regiunculæ Twedal sive Peblis, ad Twedam item fluvium, in Lodonesiæ sive Laudoniæ provincia positæ, vicinia. Ut ad eundem locum utraque narratio omnino pertinere videatur: quarum alteram illam, ad Alexandri III. tempora spectantem, etiam Hector Boethius<sup>e</sup> sic exposuit: “Referunt monachum quendam à Melros ea tempestate in somno, uti dicebat, ab Angelo edoctum crucem reperisse, haud longe ab oppidulo Laudoniæ nomine Pepilis, capsæ, cui titulus inscriptus erat Sancti Nicolai episcopi, inclusam. Nec multo diverso loco urnam repertam lapideam summo artificio factam, atque in ea inventa ossa in bysso involuta; sed cujus ea fuerint incertum fuisse. Verum protinus aperta cruce multa facta miracula. Alexander rei novitate ac religione motus, templum in quo loco crux ipsa reperta erat magnificum extruxit: idque nunc monachi sanctissimæ Trinitatis inhabitant.”

Crathlintum Scotorum regem “Dei cultores (sive Cudeos) ob Diocletiani et Constantii tyrannidem ex Britannia profugos comiter et benigne accepisse,” narrat Johannes Leslæus<sup>f</sup>: Hectorem Boethium hic secutus, de Constantio Constantini Magni patre ita scribentem: “Viris fama, alioqui optimi, labefactata ad posteros quod, Diocletiani more, in Britannia Christianæ religioni fuerit insidiatus: unde magnus piorum numerus persequentium sævitiam declinare cupiens, ad Scotos et Pictos concessit. Hos Crathlintus rex ad se confugientes benevolò affectu suscepit, et ut in Mona insula considerent, sacra ibidem æde ipsius opera Servatoris nomine erecta eversis Gentilium templis, Druidibusque et eorum ritibus exterminatis, qui ad id tempus illic, ut Veremundus memoriæ prodidit, perduraverant, concessit. Amphibalus Brito, vir insigni virtute, primus antistes ibi creatus, Christi dogma per Scotorum Pictorumque regiones propalando, multa contra Gentilium religionem dicendo scribendoque gloriosum et

<sup>e</sup> Hect. Boeth. Scotor. histor. lib. 13.

<sup>f</sup> Leslæ. de reb. gest. Scotor. lib. 3. in rege XXXIV.

<sup>g</sup> Boeth. Scotor. histor. lib. 6.

Christiano viro plane dignum, multa senectute vivendo fessus, felicemque sortitus est finem. Sed et Crathlintus rex sacram antistitis ædem muneribus ornavit amplissimis; calicibus, patenis, candelabris aliisque similibus ad sacrorum usum commodis ex argento auroque fabrefactis: altarique cupro et ære clauso, proventus ad ea ex agris in sacrae ædis vicinia constituit. Fuit id templum omnium primum, Christiano ritu, ubi pontifex sacerque magistratus sedem haberet primariam, inter Scotos, cujus nostri meminere scriptores, dedicatum. Nunc vocant Sodorense fanum; cujus nominis rationem, sicut aliorum complurium rerum et locorum, vetustas ad posteros obfusavit. Crathlintus demum urbanis atque religiosis operibus insigne nomen ad posteritatem adeptus, vicesimo quarto sui principatus anno fato concessit."

In qua narratione illud inprimis displicet, quod a Constantio Christianæ religioni structæ dicantur insidiæ: quum a persecutione illum prorsus abstinuisse, et Christianis impense favisse, sub finem septimi capituli<sup>b</sup> locupletissimorum auctorum testimonio docuerimus: quibus etiam præter<sup>d</sup> actorum Metrophanis et Alexandri scriptorem (qui se vidisse Constantinum ait inter ephebos merentem in Palæstina sub Diocletiano cum Ægyptiis bellum gerente) ex minorum gentium historicis testem adungere possumus Johannem Zonaram<sup>k</sup>, Nicephorum Callistum<sup>l</sup> et Alexandrum monachum; in libro de inventione crucis, sub magni Constantis nomine, Constantii mores hunc in modum describentem: " Συμβασίλευσε δὲ αὐτοῖς κατὰ τὴν Βρετανίαν Κώνστας ὁ μέγας, ὁ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου πατὴρ, ἀνὴρ τὰ πάντα γαληνότατος καὶ πραότατος, εὐσέβειαν ἀσπαζόμενος, καὶ εἶδωλα μυσσατόμενος, καὶ λίαν τοὺς Χριστιανοὺς ἀποδεχόμενος. Regnavit cum ipsis in Britannia Constans Magnus, Constantini Magni pater: vir per omnia placidissimus ac humanissimus, pietatem amplectens, et idola detestans, Christianos quoque præ cæteris charos habens."

<sup>b</sup> Supra, op. tom. 5. pag. 208, 209.

<sup>d</sup> In biblioth. Photii num. 256.

<sup>k</sup> Zonar. annal. tom. 2. sub. fin.

<sup>l</sup> Niceph. histor. eccles. lib. 7. cap. 18, 19.

Neque illud etiam placet, quod Monam Cæsaris, Sodo-  
rensis episcopi sedem, quam Manniam appellamus, cum  
Taciti Mona, antiqua Druidum sede, Mon Britannis, An-  
gleseia Anglis hodie dicta, confundat: quem errorem  
erudita Humfredi Lhuidi epistola, quam in geographico  
suo theatro spectandum nobis exhibuit Abrahamus Or-  
telius, jamdudum luculenter coarguit et profligavit. So-  
dorensem vero illam, Mevaniam appellat Paulus Orosius<sup>m</sup>,  
et æque ac Hiberniam a Scotorum gentibus habitatam  
suo tempore fuisse confirmat: licet, qui illi æqualis fuisse  
fingitur, Flavius Lucius Dexter Hispanus<sup>n</sup> scribat, ex  
insula sua Mevania, quæ nunc Isla-gruesa esse putatur,  
prope Carthaginem novam sive Spartariam profectos, “in-  
coluisse quandam insulam a se dictam Mevaniam, prope  
insulam non longe dissitam a Britannia.”

Deinde quod Manniam hanc Crathlinti regis opera a  
gentilitia superstitione purgatam, atque sede episcopali or-  
natam, ex Veremundo refert Boethius, et Hibernorum nos-  
trorum et ipsorum Manniensium traditioni repugnat; quæ  
laudem hanc magno nostro Patricio totam attribuit. Sic  
enim in chronico Manniæ inedito legimus: “Multi a tem-  
pore B. Patricii, qui primus fidem Catholicam prædicasse  
fertur Mannensibus, in Mannia extiterunt episcopi.” Et  
in vita Patricii, a Jocelino descripta: “Renavigans<sup>o</sup> Hi-  
berniam, ad insulas maris convertendas divertit: e quibus  
Euboniam, id est Manniam, tunc quidem Britanniæ sub-  
jectam, salutari prædicatione ac signorum exhibitione ad  
Christum convertit. Inter quæ signa, illuc insigne claruit:  
quod quidam maleficus Melinus dictus, instar Simonis  
Magi se Deum asserens ac æthera volatu diabolico petens,  
precibus ejus e sublimi præcipitatus, corruit confractus-  
que interiit. Quendam discipulorum ejus virum sanctum  
et sapientem, Germanum nominatum, in episcopum pro-  
motum illius gentis ecclesiæ novellæ regendæ præposuit:  
et in quodam promontorio quod adhuc insula Patricii dici-  
tur, eo quod ipse ibidem aliquantulum demorabatur, epis-

<sup>m</sup> Oros. lib. 1. cap. 2.

<sup>n</sup> Pseudo-dexter in chron. ad annum Christi 100.

<sup>o</sup> Jocelin. vit. Patr. cap. 92.

copalem sedem posuit. Aliis autem insulis ad fidem Christi conversis, singulis singulos aut etiam plures præfecit præsules de discipulis suis, sicque Hiberniam repetiit."

In Mona quoque insula a Sodorensi episcopo cujus, "sicut aliorum complurium, vetustate nominis memoria periit," S. Brigidan ætatis decimo quarto anno<sup>p</sup> vix superato perpetuæ virginitati addictam fuisse, nescio quem auctorem hic secutus, affirmat Hector Boethius<sup>q</sup>: quum ex vitæ illius scriptoribus, vel a Macca episcopo, ut eum appellat Cogitosus, sive, ut alii, Machilla S. Patricii discipulo, velatam illam in Hibernia fuisse appareat; vel, illo saltem interveniente, a sancto Mel episcopo: quod a vetere biographo, quem ex Cottoniano codice exscribendum curavi, ita traditum invenio: "Sancta Brigida, acceptis secum tribus puellis, perrexit ad fines nepotum Neil ad duos episcopos Mel et Melchu: qui discipuli sancti Patricii erant, et in opidis Midi habitaverunt. Et habebant quendam discipulum, nomine Macca: qui dixit ad Mel, Ecce virgines sanctæ foris sunt; quæ volunt velamen virginitatis de manu tua accipere. Tunc introduxit eas ante episcopum," &c.

Ab ipso B. Patricio velatam illam fuisse affirmat Johannes Brampton<sup>r</sup> et Henricus Marleburgensis<sup>s</sup>; a duobus sanctis episcopis discipulis S. Patricii, vetus scriptor Actorum Brigidæ, qui in historiarum sanctorum collectione Lovanii anno MCCCCLXXXV. edita legitur. Tirechanus Patricium ecclesiam ædificavisse notat in "capite Carmelli in campo Teloch: in qua sancta Brigida pallium cepit sub manibus filii Cuille in Huisniuch Midi." Et quia in Mannia insula ejusdem nominis episcopum a Patricii discipulis ordinatum vitæ Patricianæ scriptores narant: inde opinio hæc de S. Brigida a Sodorensi episcopo velata videri posset traxisse originem. Mac-Cuill enim Manniensis iste episcopus Maccutheno dicitur: qui tripartiti de Patricio operis authori Magail, Probo Macfil, Jocelino Maguil et Machaldus appellatur. De eo Probus, libro secundo vitæ Patricii: "Cum esset super mare

<sup>p</sup> Circa annum Christi CCCCLXVII.

<sup>q</sup> Boeth. hist. Scot. lib. 9. fol. 158.

<sup>r</sup> Hist. Joranalens. ad ann. 1185.

<sup>s</sup> Marleburg. chronic. ad ann. 493.



in navi pellea, aspirante aquilone, projectus est in insulam Euoniam nomine: quo cum divino gubernaculo pervenisset, invenit ibi duos viros mirabiles valde in fide et doctrina fulgentes, qui primi docuerunt verbum Dei et baptismum in Euonia; et per eos conversi sunt homines insulæ ad Catholicam fidem. Sancti ergo prædicatores Christi, quos præfati sumus, quorum nomina sunt Coniudrus et Romulus, cum vidissent virum hujus habitus; mirati ac miserti ejus, elevaverunt eum de mari, suscipientes poenitentiam illius cum gaudio. Igitur Mac-fil ubi susceptus est ab eis, ad regulam eorum corpus et animam, suam exercitavit; et totum vitæ tempus apud illos duos sanctos episcopos exegit, usque dum successor eorum in eodem episcopatu, Deo cooperante, fieri promeruit."

Jocelinus vero duos istos episcopos Germano, atque illis Maguil sive Machaldum hunc successisse confirmat; ita rem gestam narrans: "Lembum<sup>t</sup> ingressus sub protectione Dei cæli freto se commisit, ac eo gubernante ad insulam Euboniam, quæ Mannia dicitur, applicuit. Erant enim ibi duo episcopi sancti, Connidrius et Romulus vocati; quos ipse Patricius consecraverat et illuc destinaverat, ad populum insulæ illius regendum et erudiendum in fide Christi, post obitum sancti Germani primi ejusdem insulæ episcopi. Hi videntes hominem, mirati et miserati sunt super miseriam ejus, &c. Qui postmodum in magna sanctitate excrescens, post decessum sanctorum episcoporum prædictorum episcopalem gradum promeruit; ac signis et virtutibus clarus, ibidem requievit. Habebaturque in illa insula civitas quondam non exigua, cujus murorum adhuc cernuntur residua, ex ejus nomine cognominata." Atque hæc sunt, quæ de primorum Manniæ episcoporum successione tradita reperimus.

Posterioribus temporibus, Norwegis Manniam et Hebridis occupantibus, unus et hujus et reliquarum insularum constitutus est episcopus: quorum primus Wermundus sive Wimundus fuisse videatur. Sic enim in Anglorum et Normannorum chronicis legimus, ad annum MCLI.

<sup>t</sup> Jocelin. vit. Patricii, cap. 152.

“Johannes<sup>u</sup> monachus Sagiensis fit episcopus secundus insulæ maris quæ est inter Angliam et Hiberniam, propinquior tamen Angliæ quam Hiberniæ: unde et episcopus ejus subjacet archiepiscopo Eboracensi. Primus ibi fuerat episcopus Wermundus monachus Savignensis: sed propter crudelitatem expulsus fuit, et privatus oculis.” Et ad annum MCLXV. “Venerunt ad Henricum II. regem Angliæ, Guilielmus rex Scotiæ, et episcopus insularum Man et aliarum XXXI. quæ sunt inter Scotiam et Hiberniam et Angliam. Illas XXXII. insulas tenet rex insularum tali tributo de rege Norwegiæ; quod quando rex innovatur, rex insularum dat ei decem marcas auri: nec aliquid facit ei in tota vita sua, nisi iterum alius rex ordinetur in Norwegia.” Episcopum vero a Norwegorum metropolitano Nidrosiensi archiepiscopo consecrari consuevisse, ex Manniæ chronico liquet: in quo ad annum MCCXLVII. annotatum invenimus: “Obiit Simon Sodorensis episcopus pridie Calendas Martii apud ecclesiam S. Michaelis Archangeli; sepultusque est in insula S. Patricii, in ecclesia S. Germani<sup>x</sup> quam ipse ædificare cœperat: mortuusque est anno pontificatus sui decimo octavo in senectute bona. Quo mortuo, communi assensu et consilio totius Mannensis capituli Laurentius quidam, qui tunc archidiaconus fuit in Mannia, in episcopum electus est: qui statim ad Norwegiam profectus est, ut se Haraldo regi et Nidrosiensi archiepiscopo, a quo consecrari debuerat, præsentaret. Sed Haraldus, propter quasdam literas quæ contra illum de Mannia transmissæ fuerant, nullatenus electioni ejus assensum præbere voluit, donec iterum cum ipso rediret ad Manniam, et ipso præsentate ab omni clero et populo eligeretur.”

Et licet anno MCCLXVI. “translatum regnum Manniæ et insularum ad Alexandrum regem Scotorum” ibidem legamus: quia tamen archiepiscopis Scotia tum carebat, episcopus Sodorensis a Nidrosiensi metropolitano, more solito, confirmationem et consecrationem obtinebat.

<sup>u</sup> Matth. Paris. in hist. majore. Hist. Normannic. script. ab Andr. du Chesnio edit. pag. 986.

<sup>w</sup> Hist. Normann. pag. 1000.

<sup>x</sup> Primi Mannensis episcopi: de quo supra Jocelinus.

Unde rex Alexander Marcum Gallovidianum electum Manniæ episcopum anno MCCLXXV. "destinavit usque ad Norwagiam, ad metropolitanum suum Nidrosiensem archiepiscopum, ut consecraretur. Sed quid inde factum sit, nondum scitur:" inquit Furnesiani cœnobii monachus, qui ad illum usque annum historiæ Guilielmi Neubrigensis continuationem perduxit. Hinc vero et Marcum et quatuor illius successores consecrationem accepisse, ex Manniensis chronici continuatore didicimus: cujus ad annum MCCCXLVIII. verba sunt ista: "Anno Domini MCCCXLVIII. Guilielmus Russell natione Mannicus, abbas monasterii B. Mariæ de Russin, electus est per cœrum insulæ Manniæ in pastorem ecclesiæ Sodorensis in ecclesia cathedrali S. Germani in Man in Holmo: et consecratus est Avinione a papa Clemente VI. qui primus electus Sodorensis fuit consecratus per sedem apostolicam et confirmatus. Nam omnes sui antecessores ab archiepiscopo Nidrosiensi, videlicet metropolitano, confirmari et consecrari consueverunt." Posterioribus tamen temporibus, Mannia ab Anglis occupata, ex uno Sodorenses episcopi facti sunt duo; unius hic, alterius reliquarum insularum nomine in Iona sive S. Columbæ insula sede collocata: quorum hunc Glasceusis in Scotia, illum Eboracensis archiepiscopi in Anglia ditioni ecclesiasticæ jam subjectum cernimus.

Amphibalo, quem primum Manniæ antistitem constituent fabulæ, ne solus incedat, complures adjunguntur comites: "Inter nostrates," inquit Boethius<sup>3</sup>, "eadem fuere tempestate, sacra doctrina pollentes, Amphibalus antistes, Modocus Priscus, Calanus, Ferranus, Ambianus et Carnocus Dei cultores, Culdei prisca nostra vulgari lingua dicti: Christi servatoris doctrinam omnes per Scotorum regiones concionando multis piisque sudoribus seminantes. Fuere tunc et alii permulti: sed hi, quorum nomina ad posteros delata, præcipui:" ubi ex uno Amphibalo duos nobis Dempsterus fabricat. I. S. Amphibalum<sup>4</sup>, primum in Mona insula episcopum; qui contra Paganorum super-

<sup>3</sup> Hect. Boeth. Scot. hist. lib. 6.

<sup>4</sup> Dempster. hist. ecclesiast. Scot. num. 16.

stitiones, librum unum. Ordinationes ecclesiae Sodorensis, librum unum. Conciones, librum unum. II. S. Amphibalum<sup>a</sup> alterum, a Boethio item memoratum: cum ille unius tantum inemerit qui in omnes Pauli epistolas, librum unum scripserit; et ad fidem S. Albanum perduxerit. Eidem quoque Modocus Priscus, cujus memoriam apud Scotos loco qui ab eo Kil-modok nomen obtinuit, pridie Calendas Februarias celebratum fuisse ferunt, tres pariter scriptores suppeditat. I. S. Medothum<sup>b</sup>; qui Contra idolorum vanitatem, librum unum. De contemptu falsorum Deorum, librum unum. Homiliarum, librum unum, et Pro Ecclesia ad Crathlintum regem, librum unum. II. S. Modocum<sup>c</sup>; qui Contra idolorum cultores, librum unum. III. S. Priscum<sup>d</sup>; qui librum item unum, contra Ethnicorum superstitiones composuerit.

Idem quoque S. Calanum<sup>e</sup> scripsisse fingit, Homiliarum de Sanctis, librum unum, et Concionum ad populum, librum unum. S. Ferranum<sup>f</sup>, Sermonum piorum, librum unum. S. Ambianum<sup>g</sup>, De sanctorum memoria, librum unum. Hortum spiritualem, librum unum, et Divini officii recitandi rationem, librum unum. Nam "S. Carnoci<sup>h</sup> scripta interiisse temporis injuria" affirmat: ac si reliquorum illa superessent adhuc, et illorum titulos commentus ipse non fuisset. His insuper et S. Marnokum<sup>i</sup> addit: quem anno CCCXXII. obiisse ait; "sepultum in Kilmornak (vel Kilmarnock potius) in provincia Cuningamia, sub abbate Kilwinini;" atque scripsisse De locis sanctis, librum unum, et Pro vera pietate et Dei cultu contra Gentiles alterum. Nam "et ipsum, ex Culdeorum ordine ad episcopatum destinatum, strenuam operam paganis ritibus extirpandis navavisse;" adeoque illius et caeterorum "Culdeorum<sup>k</sup> opera, ea tempestate penitus Scotia eliminatos" Ethnicos fuisse perhibet.

Atqui post hoc tempus, imo et post Saxonum adventum,

<sup>a</sup> Dempster. hist. eccles. num. 24.

<sup>c</sup> Ib. num. 933.

<sup>e</sup> Ib. num. 270.

<sup>g</sup> Ib. num. 75.

<sup>i</sup> Ib. num. 860.

<sup>b</sup> Ib. num. 850.

<sup>d</sup> Ib. num. 1017.

<sup>f</sup> Ib. num. 534.

<sup>h</sup> Ib. num. 271.

<sup>k</sup> Ib. num. 1017.

Scoti ipsi fidem Christianam se primum suscepisse significant: in apologia libello ab Edvardo I. ad Bonifacium VIII. anno MCCC. transmissa opposita, primam Christianismi sui originem ita explicantes: “Quinimo per venerandas reliquias B. Andreae apostoli, divina revelatione navigio de Græcia delatas in Scotiam, Hungo rege tunc regnante ibidem, de Saxonibus ipsis, impugnantibus tunc Scotiam hostiliter, maxima Scotis a Deo concessa victoria ad ostium Tini fluminis, ut habet historia, Scoti ipsi primo susceperunt fidem Christi; prius quam Saxones vel Anglici, Scotis non contigui vel vicini, per annos quadringentos:” qui annorum numerus consistere non potest: quum inter Saxonum et Augustini in Angliam adventum, ne centum quidem et quinquaginta anni intercesserint. Eum tamen numerum auget etiam Baldredus Bysatus; in processu contra figmenta regis Angliæ, ut appellat, eidem Bonifacio exhibito, sic ad suos calculos ista revocans: “Ad id facit præcedens ad fidem Catholicam Scotorum conversio; qui fidem ipsam susceperant ante conversionem Anglicanæ gentis per quingentos annos: et triginta sex reges Catholici, antequam converterentur Anglici, in regno Scotiæ libere regnaverunt:” licet ab ipsius Donaldi primi Scotorum, ut ab altissimis temporibus rationes ineamus, usque ad Ethelberti Cantuariorum regis conversionem, reges non plures quam viginti tres, annos non plures quam CCCC. etiam in novissimis Scotorum annalibus numerando percensitos inveniamus.

Quicquid vero de ratione temporis statuatur: Bonifacius ille VIII. in bulla sua, anno MCCXCIX. data, Edvardum I. Anglorum regem commonefaciendum putavit; “qualiter regnum ipsum Scotiæ per B. Andreae<sup>1</sup> apostoli venerandas reliquias, non sine superni numinis grandi dono, acquisitum et conversum extitit ad fidei Catholicæ unitatem.” Addit Dempsterus<sup>m</sup>, in Scotia “Ordinem equi-

<sup>1</sup> Ita in MSS. recte habetur, et in Matthæo Westmonasteriensi, anno 1301. pag. 422. edit. Londin. licet ibidem, pag. 418. ut etiam apud Thomam Walsinghamium in histor. Edv. I. ann. 1302. et Hypodigm. Neustriæ, ann. 1301. Petri nomen perperam irrepperit.

<sup>m</sup> Dempster. apparat. ad histor. Scotie. lib. 2. cap. 22. sec. 4.

tum S. Andreae institutum, cum reliquiae ejus a S. Regulo in Albionem illatae, circa annum CCCLXII. aut paulo post:" quam reliquiarum importationem " etsi Florentius Wigorniensis," inquit ille, " Westmonasteriensis et Malmesburiensis taceant, et ejusdem sancti apostoli reliquias magno cum apparatu receptas, ac claruisse Constantino- poli doceant, quasi mendacii Scotos et impiae falsitatis arguentes: tamen S. Bedae extat opus de vita et actibus S. Andreae, et miraculis apud Scotos perpetratis; ut in catalogo scriptorum Britanniae apud Wionem, libro quinto, Ligni vitae capite centesimo primo, quod indignabundus Joannes Pitseus<sup>n</sup> elementis dissonis, et quasi expungendum scripserat."

Sed ut vanissimam illam de tempore institutionis ordinis equestris opinionem, et ridiculum tum de antiquiorum chronographorum Anglicorum malevolentia, qui quod de Andreae reliquiis honorifice Constantinopoli depositis retulerunt, ex Mariani Scoti et B. Hieronymi chronico translulerunt, et Johannis Pitsei stomacho, cui nihil minus in mentem venerat, quam expungenda ea fuisse quae dissonis elementis a typographo sunt expressa, suspicionem praetermittam: de Bedae illo opere tenendum est, non alium catalogi scriptorum Britanniae auctorem ab Arnaldo Wione et, quem ille ob oculos habuisse videtur, Johanne Molano<sup>o</sup> intellectum, quam Balaeum nostrum; qui inter Bedae opera, de<sup>p</sup> Andreae memoria apud Scotos librum unum commemorat. Ejus enim nomine insignitum libellum in novi monasterii apud Wintonienses bibliotheca aliquando extitisse notaverat in suo scriptorum catalogo Bostonus Buriensis; " Qualiter contigit, quod memoria Andreae sit in Scotia." Eadem etiam de re scripsisse Giraldum in chronica sua, refert Eulogii auctor; ad ea respiciens, quae ex Giraldo Cambrensi libro primo polychronici sui, capite trigesimo septimo, Ranulphus Cestrensis inseruit. Ejusdem argumenti commentariolum in manibus habeo, ab Andrea-politano quodam Culdeo exaratum, quem eundem cum illo

<sup>n</sup> Aetate 9. pag. 136.

<sup>o</sup> Molan. annotat. in martyrolog. Usuardi, Novemb. 30.

<sup>p</sup> Balae. scriptor. Britann. centur. 2. cap. 1.

qui falso Bedæ titulo venditatus est fuisse suspicor ; illum ipsum certe fuisse, ex quo sua descripsit Giraldus, res ipsa indicat. Eum, quia una cum fabulis nonnulla ad Andrea-politanæ ecclesiæ antiquitatem et dignitatem spectantia admixta habet, quæ alibi non reperias ; integrum hic, ne vetustatis monumentum qualecunque hoc intereat, proponere libuit.

“ Andreas, qui interpretatur secundum Hebræam etymologiam decorus sive respondens, sermone enim Græco a viro virilis interpretatur, germanus B. Petri apostoli secundum carnem, cohæres autem ejus gratia ; secundum Johannem<sup>a</sup> evangelistam primus apostolus a Christo Jesu Domino nostro electus, secundum vero Matthæum Marcumque secundus. Hic sorte prædicationis aquilonales regiones, id est, Scythas Pictonesque, postremo Achaïas ipsamque civitatem nomine Patras accepit ; in qua etiam cruci suspensus est pridie Calendarum Decembrium, ibique occubuit. Et ibi custodita sunt ossa ejus, usque ad tempus Constantini Magni filii Helenæ, filiorumque ejus Constantii Constantini cum Constante, quasi spatio ducentorum septuaginta trium annorum : in quorum regno a Constantinopolitanis civibus miro famosoque ductu inde suscepta atque translata sunt Constantinopolim ; et cum magna gloria et maximo honore recondita sunt, usque ad tempus Theodosii Christiani imperatoris, spatio scilicet centum et decem annorum.”

“ Tunc, non fortuito sed divino instinctu, rex Pictorum nomine Ungus filius Uргуist cum magno exercitu consurgens, Britannicas nationes dextram<sup>r</sup> illius insulæ partem inhabitantes crudelissima vastatione interficiens, postremo pervenit usque ad campum Merciæ, et ibi hyemavit. Eo tempore omnes pene totius insulæ gentes unanimo impetu venientes circumdederunt eum ; volentes eum cum omni exercitu suo penitus delere. Altera autem die evenit regi prædicto cum septem comitibus amicissimis ambulare, et circumfulsit eos divina lux : et proni in facies suas, eam non valentes sustinere, ceciderunt in terram. Et ecce vox

<sup>a</sup> Johan. cap. 1. ver. 40, 41. Math. cap. 4. ver. 18. Marc. cap. 1. ver. 16.

<sup>r</sup> Id est, australem. Vide supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 103.

de cœlo audita est: Ungus, Ungus; audi me apostolum Christi, Andream nomine, qui missus sum ad te defendendum atque custodiendum. Surge, vide signum crucis Christi qui stat in aere, atque te præcedet contra inimicos tuos. Veruntamen decimam hæreditatis tuæ partem in eleemosynam Deo omnipotenti et in honorem sancti Andree apostoli ejus offer."

"Tertia enim die, divina voce admonitus, suum exercitum in tredecim turmas divisit: et signum crucis unamquamque partem præcedebat; lux autem divina de uniuscujusque signo fulgebat. Tunc victores facti, Deo omnipotenti atque sancto Andree apostolo gratias egerunt. Patriam autem venientes incolumes, decimam suæ hæreditatis partem Deo et S. Andree apostolo venerabili volentes offerre: implendo quod scriptum est; *Date<sup>s</sup> eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*: incertum vero habebant in quo loco specialiter vectigalem Deo principalemque civitatem S. Andree apostolo ordinarent. Tunc inito consilio, binis ternis quatruiduanisque diebus jejunantes, atque Dei omnipotentis misericordiam postulantes: unus custodientium corpus S. Andree apostoli Constantinopoli, divina jussione admonitus atque instructus est dicente; *Exi<sup>t</sup> de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui; et vade in terram quam monstravero tibi*; tunc Angelo comitante atque viam illius custodiente, prospere pervenit ad verticem montis regis, id est, Rithmunt<sup>u</sup>."

"Eadem autem hora, qua illic lassus sederat cum suis septem comitibus, lux divina circumfulsit regem Pictorum venientem cum suo exercitu ad specialem locum qui dicitur Carthenam<sup>w</sup>. Et claritatem non ferentes, ceciderunt in facies suas: et sanati sunt claudi et cæci, numero septem. Et unus cæcorum, a nativitate cæcus, illuminatus est oculis; et inde vidit locum plenum visitatione angelorum; et tunc voce magna clamavit, dicens; En locum plenum visitatione angelorum video. Postremo Dei ordinatione rex cum suo exercitu venit ad locum quem Dominus illi cæco qui illuminatus fuerat ostendit. Regulus vero monachus a Con-

<sup>s</sup> Luc. cap. 11. ver. 41.

<sup>w</sup> Girald. *Regmund.*

<sup>t</sup> Genes. cap. 12. ver. 1.

<sup>w</sup> Girald. *Carrenan*



stantinopolitana urbe regi obviavit, cum reliquiis S. Andreae apostoli quas secum adduxerat; ad portam quae dicitur Martha, id est, Mordurus: salutaveruntque se invicem cives et hospites, atque tentoria ibi fixerunt ubi nunc est aula regis. Rex vero Ungus locum hunc et hanc civitatem omnipotenti Deo sanctoque Andreae apostolo ea semper libertate dedit, ut sit caput et mater omnium ecclesiarum quae sunt in regno Scottorum.”

“ Ad istam enim civitatem conveniunt peregrini, Palmarii de Jerusalem, Romani, Graeci, Armeni, Theutonici, Alamani, Saxones, Dani, Galli, Britones, Angli: viri et foeminae, divites et pauperes, sani corpore et aegri. Claudii et caeci in equis et curribus debiles huc deferuntur; atque per Dei misericordiam, ad honorem et gloriam sui summi sancti Andreae apostoli, manifestissime curantur. Virtutes et signa ac innumerabilia prodigia quae per suum sanctum apostolum Andream Dominus hic fecit, et facit, et jugiter facturum est, hic nunc non possunt scribi. Regulus vero monachus, abbas sanctus, cum suis caris comitibus habitavit in loco isto, in monachica vita, serviens Deo diem atque noctem in sanctitate et justitia, cunctis diebus vitae suae: quorum corpora hic requiescunt. Plantaverunt autem hortos olerum ubi nunc est domus magistri Samuelis et antecessorum successorumque illius. Molendinum autem fecerunt, laborantes manibus suis: et omnia quae ad monachos pertinent, honorifice et honeste aedificaverunt.”

“ Sed tota insula Britannia Christianitatem erat docta, antequam Picti et Scotti illam intrarent. Maximum autem fidei augmentum factum est omnibus fidelibus Christianis illius insulae; quod Dominus dignatus est talem ac tantum illis mittere pastorem sanctum videlicet Andream apostolum praecceptorem, primum Domini nostri Jesu Christi discipulum. Ex hac itaque civitate archiepiscopatus esse debet totius Scotiae, ubi apostolica sedes est: nec absque consilio seniorum istius loci ullus episcopus in Scotia debet ordinari. Haec est Roma secunda a prima; haec est civitas refugii praecipua: haec est civitas civitatum Scotiae. Cui Dominus has columnas dedit ad auxiliandum: id est, Giricium archiepiscopum, Ma-

chethad, et Gregorium cum aliis fratribus suis. Precor Deum ut semper sim cum istis particeps regni cœlorum. Amen.”

Jam, ut cum aliorum narrationibus istam contendamus : ubi Ungus rex Pictorum Andreapolitanæ ecclesiæ privilegium hoc contulisse dicitur, ut esset “caput et mater omnium ecclesiarum quæ sunt in regno Scotorum ;” librarii vitio, Scotorum nomen pro Pictorum irrepsisse, tum ex Giraldo, tum ex schedis antiquis quibus hic usus est Camdenus<sup>x</sup>, intelligimus. Quia vero Picti<sup>y</sup> a Scythis originem duxisse perhibentur, quibus Andreas evangelium primus prædicavisse creditur : factum inde, ut idem apostolus Pictorum etiam habitus sit patronus. Philippo quidem, cum provincias mundi prædicationis causa inter se partirentur apostoli, non solum Galliam (de qua jam ante<sup>z</sup> a nobis dictum) sed etiam Scythiam contigisse, scriptum habetur in Pseudo-dextri<sup>a</sup> chronico. Et omnem illum pene Scythiam ad fidem Christi convertisse, in martyrologio et breviario Romano, necnon in Bedæ, Usuardi, Notkeri et Adonis martyrologiis, ad Calendas Maias, legimus. Unde de eo, vel Fortunatus vel Walafridus Strabus<sup>b</sup> :

Barbara qui docnit doctrinis agmina sacris,  
Credere per Scythiam salvantem secula Christum.

Et Ingulphus, in monasterii Croylandensis historia : “Beatus Christi apostolus Philippus, cum Scythis verbum Dei prædicasset, et plurimos eorum ad fidem Christi convertisset ; rediens in Asiam, per Sicambros viam fecit, ac illis Christi nomen prius annunciavit. De quibus exentes Franci, ut plures eorum hierochronographi testantur, B. Philippum apostolum suum specialem protodoctorem et neoapostolum adhuc tenent.”

<sup>x</sup> Camden. in Scotia, pag. 703.

<sup>y</sup> Jo. Fordon. Scotichronic. lib. 2. cap. 46. Vid. supra, pag. 102.

<sup>z</sup> Supra, cap. 2. op. tom. 5. pag. 28.

<sup>a</sup> Dext. chron. ad ann. Christ. 34. Vid. Metelli Quirinalia, ad calcem tom. 1. antiqu. lect. Hen. Canisii, pag. 61.

<sup>b</sup> Tom. 6. antiqu. lect. H. Canisii, pag. 664, 667. Habetur etiam inter Alcuini poemata, col. 1680. E.

Andreae autem apostolo Scythiam Europae, ad Christi fidem disseminandam, obtigisse, in eodem habetur Romano breviario: Scythiamque illi assignant non Latinorum solum martyrologia, Romanum, Bedae, Usuardi, Rabani, Adonis, ad trigesimum diem Novembris, una cum Isidoro<sup>c</sup>, et Freculpho<sup>d</sup>, sed etiam Graecorum Menologium, ad eundem diem, ac praeterea Origenes<sup>e</sup>, atque eum secutus Eusebius<sup>f</sup>, Sophronius in catalogo, Dorotheus in synopsi, et Nicephorus Callistus<sup>g</sup> in historia ecclesiastica; "Patris in Achaia custodita fuisse ossa ejus usque ad tempora Constantini Magni, spatio CCLXXII. annorum, et tunc translata fuisse Constantinopolim," Giraldus refert. Et quidem a Constantino imperatore reliquias ejus eo translatas fuisse, contra Vigilantium scribens Hieronymus et Georgius Cedrenus in chronico significant: anno videlicet imperii ipsius penultimo, Christi CCCXXXVI. si verum dixit antiquus consularium fastorum auctor, a Johanne Cuspiniano in suo ad Cassiodori consules commentario citatus: "Nepotiano et Facundo consulibus introierunt in urbem Constantinopolim Lucas et Andreas." Inde dinumerati centum anni et decem, post quos Andreae reliquias, Theodosii imperatoris et Ungi Pictorum regis temporibus, a Regulo Constantinopolitano monacho in Britanniam advectas cum Andrearopolitano illo scriptore sensit Giraldus, in annum cadent tertio Actii consulatu insignem; quo Britanniam a Pictis et Scotis, Theodosio juniore imperante, miserrime afflictam fuisse, declaravimus<sup>h</sup>.

Verum sub Constantio Constantini Magni filio, Constantinopolim reliquias illas primum fuisse perductas, communior est sententia: anno nimirum Constantii vicesimo, sicut in scriptorum catalogo (in Luca) et emendationibus chronici exemplaribus ipse indicat Hieronymus; sive tertio Maii mensis die, Constantio Augusto IX. ex Juliano Caesare II. consulibus ut in fastis Idatianis a Sirmondo, et

<sup>c</sup> Isidor. de Patrib. utriusque testam. cap. 71.

<sup>d</sup> Freculph. tom. 2. chron. lib. 2. cap. 4.

<sup>e</sup> Origen. tom. 3. commentar. in Genesis.

<sup>f</sup> Euseb. hist. ecclesiast. lib. 3. cap. 1.

<sup>g</sup> Nicephor. histor. lib. 2. cap. 39.

<sup>h</sup> Supra, cap. 12. op. tom. 5. pag. 424.

annalibus Constantinopolitanis sub chronici Alexandrini nomine a Radero editis, explicate consignatum invenimus. Annus erat hic Christianæ nostræ epochæ CCCLVII. cui centum illi et decem si adderentur, in eo anno desinerent quem Anthemii Augusti primum, Leonis vero senioris imperatoris, pariter et Hengisti, qui Saxonum primus in Anglia regnavit, undecimum numeramus. Atqui post ista tempora Justiniano imperatore magnam apostolorum basilicam Constantinopoli restaurante, Andreae, Lucae et Timothei corpora refossa fuisse docet nos Procopius, Ἀθηλαῖ τε καὶ ἄλωϛ κρυφαῖα τὰ πρότερον ὄντα. Quod, ne Andreae hasce reliquias ex urbe Constantinopolitana vel Theodosii junioris vel Leonis senioris temporibus regulum in Scotiam adduxisse existimemus, assensum nostrum cohibet. Ut quod de Andreae brachio per Gregorium magnum, cum Romanæ ecclesiæ esset diaconus, Constantinopoli postea Roman delato in Vaticanæ<sup>k</sup> bibliothecæ monimentis memoratur, prætermittam.

Et quidem aliter longe rem totam in Scotichronico suo narrat Johannes Fordonus. Regulum, non Constantinopolitanum sed Patrensem cœnobitam, ipso anno Constantii vicesimo divinitus admonitum, partem reliquiarum Andreae e sarcophago, cujus custos erat, sublatam seposuisse, et imperatorem post biduum cum exercitu supervenientem, Patris direptis ossium partem residuam secum Constantinopolim devenisse, referens: quanquam Græci scriptores imperatorem nihil hostile adversus Patrenses gessisse memorent (quid enim fuit necesse? quum Achaïæ provinciam pacatissimam ille obtineret) neque ipsum præsentem, sed Artemii<sup>l</sup> præfecti Augustalis vicaria hic usum opera, lipsana hæc ex Achaïa deduxisse confirmant. Annis deinde aliquot elapsis, Regulum quas reservaverat reliquiarum Andreae particulas in Albaniam detulisse tradit

<sup>i</sup> Procop. Cæsariens. de Justiniani ædificiis, lib. 1. pag. 8. edit. Græc. Augustan.

<sup>k</sup> Abb. Paul. de Angelis. Descript. Basilicæ S. Mariæ majoris, lib. 7. fin. cap. 5. Vid. Baron. ann. 586. sec. 25.

<sup>l</sup> Simeon Metaphrast. sub. fin. vitæ S. Lucæ, Octob. 18. et in Actis Artemii, Octob. 20. Jo. Zonaras, annal. tom. 3. et Nicephor. Callist. hist. ecclesiast. lib. 10. cap. 11.

Fordonus : non Ungo Urgusti, sed Urgusto Fergusii filio apud Pictos tum regnante. Ungum enim illum, qui decimam terræ partem ad ecclesiasticorum usum est largitus, post octingentesimum demum Christi annum de Æthelstano Æthelwulphi occidentalium Saxonum regis filio improvisam illam victoriam obtinuisse asserit: ab Anglo-Saxonicorum annalium ea in re discedens fide; ut ad hujus capituli finem sumus ostensuri. Interim totam hanc translationis reliquiarum Andreæ fabulam ipsius Fordoni, qui lucem hactenus non aspexit, verbis expressam, quo commodius cum illa Andreapolitani scriptoris altera conferri queat, non abs re visum est lectorum oculis hic subjicere.

Constantio igitur anno imperii sui vigesimo exercitum in expeditionem adversus Patrenses educente, visionem angelicam abbati Regulo sic ille factam narrat: "Accidit<sup>m</sup> ut divino nutu, tertia nocte priusquam imperator civitatem est ingressus, angelus Domini cuidam sancto viro timenti Deum abbati nomine Regulo reliquiarum appareret custodi, dicens: Applica tibi fratres idoneos; et pergens ad sarcophagum quo beati Andreæ apostoli recondita sunt ossa, tolles inde dextræ manus tres digitos, et os brachii dependens ab humero, dentem unum et genu patellam: ac ubi monstravero, caute custodias donec redeam. Qui mox electis fratribus accersitis, omnia velut sibi præceptum est ossa secum deferens, in secretiore loco per angelum condidit assignato. Veniens igitur expeditis legionibus imperator post biduum, civitatem opibus evacuando captivat: et acceptum in quo condebantur reliquiæ scrinium decenti veneratione Constantinopolim afferri jussit; seipso pariter cum exercitu comitante."

"Transcursis demum annis aliquot, angelus iterato cœlestis ad abbatem reversus Regulum, hoc illi mandatum multum seriose quod sequitur in omnipotentis Dei nomine tradidit, et his verbis: Resumptis, inquit, beati Andreæ Deo dilecti quas me nuper docente reservasti reliquias, sanctorum tecum laudabilem assumens comitivam, occiduas partes sub Circio mundi finem adire non differas: et

<sup>m</sup> Jo. Fordon. Scotichron. lib. 2. cap. 46, 47, 48.

quocunque locorum, qua transverberis carina, Deo volente, naufragio periclitetur, te tamen et sociis in incolumitate persistentibus, ibidem tui laboris excursus, aut longioris saltem itineris, scias feliciter consummatum. Caveas igitur, ne hujusmodi sis mandati negligens aut immemor: quin et eodem loco divini nominis ad honorem, et apostoli sui sancti perpetuæ venerationis laudem, firmiter ecclesiæ fundamina jacias; quia futurum est, ut sicut ejus vivæ prædicationis sonitu, quod non ignoscis<sup>n</sup>, dudum oriens, ita reliquiarum ejus scias veraciter signis fiendis et totum occidens perpetuo decorari. Erit enim locus ille electus a Deo sempiterna sedes apostolica firma siquidem fidei petra, nec immerito: quia beati Petri fratris, cui dixit Dominus; Tu es Petrus, &c. Itaque regni quo situm habeat, immobilis erit et tenax anchora: cunctisque fidelibus, præcipue regibus et cæteris terræ potentibus, ob devotionem apostoli percelebris; quorum prædiis abunde ditabitur et muneribus. Venientium igitur ibidem peregre diversis ex mundi finibus, ut corporis salutem et animæ recipiant, catervæ crebro fidelium, adeptis mirifice petitis ad propria gaudentes redient, et Deum in apostolo, qui semper in suis gloriosus est sanctis, voce magna collaudantes. Et his dictis, Angelus ab eo disparuit; et ejus ad exequenda mandata beatus Regulus se convertit."

" Igitur divinis volens obtemperare præceptis, prudentibus viris ac religiosis ad se vocatis, scientia et moribus præclaris, quos et pridem angelica singillatim exhortatio præmonuit suæ peregrinationis fieri participes, secum ad navem sacras deferens reliquias, mare petiit; partes adire paratus circiales. Hæc autem hujus comitivæ sanctorum sunt nomina quæ sequuntur: videlicet sanctus abbas Regulus, sanctus Damianus presbyter, Gelasius et Thubaculus diaconi, Merinacus frater sancti Damiani, Nerius et Elrisenius de Creta; Mirenus, Machabæus et Silvius frater ejus: Eremitæ quidem octo; videlicet Felix, Sajanus, Matthæus, Mauricius, Madius, Philippus, Lucius

<sup>n</sup> Id est, ignoras.

et Eugenius : ac virgines sanctæ tres de Colosia : videlicet Triduana, Potentia et Emeria.”

“ Hi quoque viri sanctissimi cum virginibus refertam quibusque necessariis ingressi naviculam, æquoreo tramite mediterraneos fines Europæ circumeunt; quousque sitas oceano multis fatigati laboribus venirent ad insulas sub occasu. Cumque spatio duorum pene fuissent annorum, ut aura duci contigerat, freto non cognito vagantes, ignari quid agerent, ab oriente subito ventus vehemens et solito validior in velum irruit: cujus impetu regno Pictorum inter scopulos Albionis insulæ, velut ab Angelo prædictum fuerat, ratis impulsa conquassatur. Confortatus tamen a Deo beatus Regulus, incolumis ad terram cum sociis quarto Calendas Octobris, Dominicæ crucis prælato signaculo, gaudens aggreditur: et ibidem in nemore porcorum, quod patria lingua Muc-ros dicitur, ad honorem apostoli basilicam postea dedicavit. In quo loco reliquiarum attactu multa fiebant, etiam hactenus stupenda fiunt, miracula; qualia post fidei susceptionem in insulis visa nequaquam eatenus vel audita sunt: utpote cæcis ab utero daretur visus, mutis sermo, gressus claudis, et omnibus pie suffragium apostoli petentibus, a quacunque tenebantur infirmitate medela protinus Deo miserante largiretur.”

“ Crebrescentibus hujusmodi quotidie miraculis, occurrunt undique nationum populi cum muneribus, immensas Deo laudes complois manibus de tanto patrono suppliciter extollentes. Illius autem eo tempore regionis rex Hurgust filius Ferguso, loci delectatus sanctitudine, suum ibi palatium juxta basilicam ædificans, beato Regulo suisque fratribus terras quasdam pro seminandis frugibus in elemosynam perpetuam excolendas concessit. Cujus exemplo posterii reges, ut suæ devotionis dictabat affectus, quamvis in modico possessio tamen augebatur; usquequo rex Hungus, qui post annum octingentesimum incarnationis Dominicæ Pictos rexit, decimam regni partem beato Andreae tradidit, ob opem mirabilem in expeditione sibi collatam contra Saxones. In forma quoque monasteriali fundata cellula, deputatisque reliquiarum custodibus, beati viri prædicando per patrias exire, non equites sed ut dudum

apostoli per binos et binos cum nonnullis interpretibus verbum Dei gentibus ubique seminando, innumera signa miraculose facientes. Cum igitur has in fide gentes doctrinis cœlestibus imbuissent, et signis confirmassent variis: beatissimus abbas Regulus post annos triginta duos postquam naufragus in Albionis venerat insula, quibus evangelicum opus exercens mirifice Deo complacuit, apud Kilremont a Muc-ros per regem mutato nomine, plenus dierum obiit et grandævus.”

Alterius Mucrosiæ, in Cambria ad ripam Vagæ fluminis positæ supra<sup>o</sup> meminimus; quam Oudoceo et ejus in sede Landavensi successoribus a Mourico rege donatam fuisse, in ecclesiæ illius regesto legimus. Hæc vero ea est, quæ sancti Andreae urbis nomine hodie nota est, prius Regmund, Reymonth et Remunt, id est, Mons regis, non Mons Reguli, et voce decomposita Kil-re-mont et Cen-ri-munt<sup>p</sup> appellata: de qua poeta quidam peregrinus olim, in votiva tabula hic suspensa:

Hic sinus iste maris, male fertile litus, opima  
Transcendit patriæ fertilitate loca.  
Hic regio prius orba viret; paupercula pridem,  
Nunc dives; dudum sæda, decora modo.  
Huc etenim veniunt orare, remota tenentes  
Castra viri: patrio turba profecta solo:  
Francus magniloquus, belli Normannus amator,  
Textor Flandrensis, Theutoniscusque rudis,  
Anglicus, Almanus, Hollandus. Pictavus expers  
Velleris, et cædis Andegavensis amans;  
Qui Rhenum Rhodanumque bibunt Tiberimque potentem,  
Andreae veniunt huc adhibere preces.  
Nos quoque, si tantos inter modo nomen habemus,  
Venimus huc vecti prosperiore rota.

Annum, quo Andreae reliquiæ a Regulo ex Achaia huc dicuntur deportatæ, virginei partus CCCLXIX. qui post vicesimum Constantii tertius decimus fuit, numerat Boethius<sup>q</sup>: qui et Regulo cognomentum Albati dat, ex abbatis titulo illi attributo ut id opinaretur fortasse inductus (nam

<sup>o</sup> Supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 510.

<sup>p</sup> Ædmer. histor. Novor. lib. 5. pag. 132. Florent. Wigorniens. et Rog. Hoveden, in eadem anni 1109. historia.

<sup>q</sup> Hect. Boeth. Scotor. hist. lib. 6.



pro duplici *b* in manuscriptis *lb* exaratum allquoties deprehendimus) et de donariis illi et loco huic ab Heirgusto Pictorum rege tunc collatis subdit ista: "Ubi sacra Christiano more, cujus ipse Hiergustus erat observantissimus, erant peraeta; regium palatium amplis structuris, uti ea patiebatur ætas, ornatum, divo Andreae, Regulo ac sacerdotibus ibidem deinceps optimo maximo Deo famulaturis libere erogavit. Struxit et haud procul a palatio sacram ædem divo apostolo dicatam. Ferunt eam esse, quam hodie omnibus venerabilem cernimus in medio agro canonicorum sepulturae sacro, monumentis prisco more celebribus, ut est videre, sine tamen nominibus refertam. Hanc prior ætas Kilkevil, (sive, ut alibi apud eundem rectius habetur scriptum, Kil-ruil) hoc est templum Reguli aut Regulo potius suadente structum, recentior vero vetus Andreae templum appellat. Ornavit et id templum donariis amplissimis, pateris, scyphis, calicibus, pelvibus, lavacris ex argento auroque ac alia preciosa suppellectili in sacrorum usum quaesita: sacerdotibus ad divina perpetuo exequenda ibidem constitutis. Heirgusti exemplum longa regum series primo Pictorum, deinde Scotorum, qui deletis Pictis ea loca tenuerunt, religiose est sequuta; divum Andream pro numine habentes tutelari."

Fuisse hic primum sacerdotes, Dei cultores vulgo appellatos, subjungit idem. De quibus intelligendi Scotorum chronographi, quum Constantinum III. Ethii filium anno DCCCCXLIII. "regno dimisso, in habitu religionis Deo serviisse" scribunt, "Keldeorum vel Killideorum sancti Andreae abbatem factum." Quo referendus et locus ille Dunelmensis chronici: "Anno ab incarnatione Domini MCVIII. tempore regis Malcolmi et sanctae Margaretae, electus fuit Turgotus prior Dunelmensis in episcopum sancti Andreae; consecratusque est Eboraci tertio Kalendas Augusti, et stetit per annos septem. In diebus illis totum jus Keledeorum per totum regnum Scotiae transivit in episcopatum sancti Andreae." Meminit etiam circa annum MCCLXXII. Keldeorum sancti Andreae Henricus Sile-

<sup>r</sup> Vid. supra, pag. 173, 174.

<sup>s</sup> Sedit.

gravius, in domuum religiosarum Britanniae catalogo. Anno vero MCCXCVII. cum in locum Guilielmi Feasar defuncti a canonicis tertio Nonas Novembris episcopus Andreapolitanus electus fuisset Guilielmus Lambertonus, et electioni reclamarent Keldei: eorum praepositus Auminus Romam appellans, "eo se contulit, sed incassum: nam non modo electus approbatus a pontifice, sed omne jus deinceps Keldeis abrogatum:" quemadmodum ex Scotichronici libro sexto retulit Thomas Dempsterus<sup>1</sup>: ac deinde Keldeorum sive Colideorum horum locum Augustiniani instituti canonici regulares apud Andreapolitanos obtinuerunt: quorum priori is honor est delatus, ut praecederet quoscumque abbates aliorum ordinum in toto regno Scotiae; quod non a Scoticarum solum rerum scriptoribus, sed etiam ab Augustino Ticinensi est notatum, in Christianarum religionum (sive ordinum religiosorum) elucidario.

De Regulo et sociis quod addamus nihil superest; nisi forte Utopicorum quos illi scripserint librorum titulos ex Dempsteri bibliotheca quis cupiat cognoscere. Regulum enim scripsisse<sup>2</sup> multa, ex patriis annalibus, quos sibi habere solet obsequentissimos, ille refert: "sed extare tantum ait, epistolam ad Patrenses, sive, ut Johannes Campus Bellus vult, monita divina de transferendis S. Andreae reliquiis in Albionem." Similiter et S. Damianum<sup>3</sup> scripsisse fingit, de reliquiarum S. Andreae in Britanniam advectione librum unum. III. S. Gelasii<sup>4</sup> scriptorum nihil extare, praeter homiliam de nativitate Christi; cujus meminisse Fordanum libro secundo historiae Scotorum illis se facile persuadere posse putavit, quos authorem consulere non potuisse noverat. IV. S. Thebaculum<sup>5</sup> scripsisse conciones ad populum, et epistolas ad ecclesias patrias. V. S. Merinatum<sup>6</sup> diaconum, Damiani presbyteri fratrem, contra errores Gentilium opus praecelarum edidisse; quod et Boethio non ignotum, et Joanni Molano

<sup>1</sup> Dempster. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 1. num. 45.

<sup>2</sup> Id. lib. 16. num. 1037.

<sup>3</sup> Id. num. 410.

<sup>4</sup> Id. num. 323.

<sup>5</sup> Id. num. 1131.

<sup>6</sup> Id. num. 908.

Burgensi laudatum affirmare non erubescit. VI. S. Nerium<sup>a</sup> monachum, incertum cujus instituti, scripsisse de divina gratia librum unum cujus et Johannem Majorem meminisse, eadem fronte innuit. VII. S. Eusebium<sup>b</sup> monachum (ita enim Hector Boethius appellat, quem nos ex Fordono Elrisenium exhibuimus) translationem S. Andreae, et in sacras Scripturas aliquid etiam fortasse scripsisse. VIII. S. Merinum<sup>c</sup> (sive Mirenum) homilias de Sanctis. IX. In S. Macchabæo, majorem adhuc assumens fingendi licentiam, "Scripsit<sup>d</sup> primus," inquit, "quod sciam apud nostrates, laudes B. Mariæ semper virginis versu, Veremundo autore; et panegyricum in laudem S. Andreae, qui est in bibliotheca Jacobi Bongarsii MS." X. De S. Sylvenio denique qui in Scotchronico, libro primo, capite quadragesimo septimo, Silvius est Macchabæi frater, Dempsterus<sup>e</sup> ex ejusdem Scotchronici libro decimo, capite secundo, ubi nihil omnino de eo legitur, scripsisse refert, in omnes Psalmos libros novem præter meditationum libellum alium.

Iisdem quoque temporibus, anno nimirum CCCLXIV. "S. Marnok Dubh (ab habitu corporis sic dictum, quasi Marnocum Nigrum) Eremitam Scotum in occidentali regni ora claruisse" Dempsterus<sup>f</sup> ait. Fuit is "Marnoci Culdeij<sup>g</sup> discipulus: ut in vita ejus, quam Veremundus scripsit, apparet:" si huic, auctorem quem nunquam vidit producenti, fidem adhibere libeat. Sed et "S. Finianum Scotum<sup>h</sup> abbatem ex Keldeorum (seu Culdeorum) genere ortum scribit Veremundus apud Joannem Sinclarum," si eidem credimus; de suo præterea adjicienti, floruisse eum, anno CCCCII. et præter alia librum unum scripsisse de vita S. Eusebii: illius, ni fallor, quem Reguli sociorum unum ex Hectore Boethio prius constituerat.

Verum, figmentis prætermisissis, neque a Regulo neque ab ejus sociis Andreapolitanos et reliquos aus-

<sup>a</sup> Dempster. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 16. num. 958.

<sup>b</sup> Id. num. 471.

<sup>c</sup> Id. num. 909.

<sup>d</sup> Id. num. 907.

<sup>e</sup> Id. num. 1050.

<sup>f</sup> Id. num. 886.

<sup>g</sup> De quò idem, num. 860

<sup>h</sup> Id. num. 521.

trales Pictos eis Grampium montem positos, sed a Ninia sive Niniano, quem Paschasius<sup>l</sup> Ninum, Scotorum vulgus Ringen nominat, Honorio et Arcadio imperantibus fide Christiana primum imbutos fuisse, verior nos docet historia. Qua de re ita Beda, in ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum libro tertio, capite quarto, “Australis Picti, qui intra montes habent sedes, multo ante tempore (ut perhibent) relicto errore idololatriæ fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Nynia episcopo reverentissimo et sanctissimo viro de natione Britonum; qui erat Romæ regulariter fidem et mysteria veritatis edoctus: cujus sedem episcopatus sancti Martini episcopi nomine et ecclesia insignem, ubi ipse etiam corpore, una cum pluribus sanctis, requiescit, jam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad provinciam Berniciorum pertinens, vulgo vocatur Ad Candidam Casam; eo quod ibi ecclesiam de lapide, insolito Britonibus more, fecerit:” non autem, ut Bedæ mentem hic pervertit Dempsterus<sup>k</sup>, quod “solum illud in Scotia templum more Britonum ex candido esset lapide<sup>l</sup>.”

Post Bedam audiatur et Guilielmus Malmesburiensis, de gestis pontificum Anglorum libro tertio. “Candida Casa vocatur locus in extremis Angliæ juxta Scotiam finibus; ubi beatus confessor Ninia requiescit, natione Brito, qui primus ibidem Christi prædicationem evangelizavit. Nomen loco ex opere inditum: quod ecclesiam ibi ex lapide polito Brittonibus miraculum fecerit. Sanctum hunc Niniam præclarum virtutibus experta est antiquitas.” Et Johannes Tinmuthensis, in Niniani vita: “Elegit sibi sedem in loco qui nunc Witerna dicitur, in litore maris. Ipso pelago clauditur: a parte tantum aquilonari via ingredi volentibus aperitur. Ibi de lapide ecclesiam construxit:

<sup>l</sup> Paschas. de corp. et sangu. Dom. cap. 14.

<sup>k</sup> Dempster. apparatus. ad histor. Scotie. lib. 1. cap. 14.

<sup>l</sup> “Hujus postea corpus mansit in cœnobio abbatis Kerani, Cluynmac-Nois dicto: sed caput, eodem abbate mandante, delatum ad suam in Gallovidia ecclesiam per discipulos ejusdem Niniani.” Ita habet vita Niniani quæ apud Hibernos legitur, cujus auctoritatem Bedæ hic locus non parum elevat. Ut hinc haud satis firmum argumentum Stephanus Vitus (contra sequentium authorum consensum) mihi ducere videatur Ninianum æqualem S. Kerano abbati Clonensi fuisse: Et hac ratione, circa annum 549. obiisse: ex chronologia infra.

antequam nullam in Britannia de lapide dicunt esse constructam. Et quoniam jam sanctum Martinum, quem miro semper venerabatur affectu, a terris ad cœlos migrasse dixerat; ipsam ecclesiam in ejus honore dedicavit. Fuit in eadem regione rex quidam (nam tota insula diversis regionibus divisa subjacuit) Tudwaldus nomine, dives et elatus, monita viri Dei contemnens," &c.

De eodem Johannes Fordonus, in *Scotichronici* sui libro tertio: "Imperatoris Theodosii junioris temporibus sanctum obisse ferunt Ninianum pontificem. Ipsum namque secundum historiarum scripta, sub imperio sui patris Arcadii et Honorii patrum scimus veraciter floruisse. Nam eorum anno quinto beatus Martinus Turonensis episcopus obiit; cujus adhuc in carne viventis alloquio sanctus meruit Ninianus saluberrimo consolari. Hic vir Dei sibi sedem in loco qui nunc Wyterna et Candida Casa dicitur elegit: in quo, jussu ejus, cementarii quos secum a B. Martino adduxerat ecclesiam construunt, antequam ullam in Britannia de lapidibus fecerunt fabricam. Australium quoque regni partium ultra fretum Scoticum prædicavit gentibus, quæ nondum cum aquilonalibus Scotis Christi legem suscipere meruerunt." Et Hector Boethius, *Scotorum historiae* libro septimo: "Ninianus episcopus sanctitate et miraculis clarissimus, ac Casæ Candidæ pontificalis in Galdia sedis primus institutor: ubi et ædem condidit D. Martino suo avunculo sacram. Scotorum videlicet, Pictorum Britonumque doctor et pædonomus non vulgaris; et eo nomine omnibus qui Albionem incolunt vel hac nostra ætate in multa veneratione habitus."

Sed ut B. Martini nepotem Ninianum fuisse in nemine antiquiorum invenio: ita an Scotorum doctor agnoscendus ille fuerit Johannes Major etiam quærendum putat, ex collecta illa quæ in ejus officio olim recitari consuevit: "Deus, qui populos Pictorum et Britonum per doctrinam sancti Niniani episcopi et confessoris docuisti:" Scotorum enim nullam hic mentionem factam observat Johannes. "Sed jam," inquit<sup>m</sup>, "a multis annis post Pictorum regnum

<sup>m</sup> Jo. Major, de gest. Scotor. lib. 2. cap. 2.

eversum locum et sanctum corpus Scoti habent. Laudoniam et partes illas ultra fretum Scoticum (ad austrum scilicet) et meliorem portionem et fertiliorem borealis partis crebro Picti possederunt : tum quia ante Scotos in insulam descenderunt, tum quia numero et viribus (ut auguror) Scotis erant paulo superiores : quod ex eo convincitur, quod terras a Britonibus receptas (licet Scoti cum eis confœderati essent) occuparunt : quod quendam prudentiam majorem vel superioritatem denotat :” Hæc ille.

Neque vero hic audiendus est Ranulphus Cestrensis<sup>n</sup>, qui Pictos australes a Niniano conversos eam insulæ partem incoluisse opinatur, quæ “ a muro Romani operis transverso usque ad mare Scoticum protensa, Galwediam et Lodoneiam” (sive Laudoniam) in se continebat. Totus enim ille tractus, Romanis Valentia<sup>o</sup> nomine cognitus, Niniani tempore a Britonibus, Bedæ vero ætate ab illis simul et Anglis Nordanhumbri<sup>s</sup> possidebatur. Nam primis Anglo-Saxonum temporibus Oetha et Ebusa “ sæpenu-mero cum provincialibus congressi, profligatisque qui resistendum putaverant, reliquos in fidem acceptos placidæ quietis gratia mulcebant :” ut habet in primo libro de gestis regum Anglorum, capite tertio, Guilielmus Malmesburiensis. Postea vero Cedwalla<sup>p</sup> rex Britonum, anno DCXXXIII. cæso Nordanhumbrorum rege Æthelfrido, civibus suis libertatem restituit : quam sequente anno, Cedwalla<sup>q</sup> ab Oswaldo Æthelfridi filio interempto, statim amiserunt ; atque anno DCLXXXV. occiso<sup>r</sup> in terra Pictorum a fratruale suo Birdeo (sive Brideo) rege Pictorum, ut habet continuator Ninii, Ecgfrido, ex parte denuo recuperatam ad annum DCCXXXI. retinuerunt, quo ecclesiasticam suam historiam Beda terminans de Britonum horum studiis ista retulit : “ Arridente<sup>s</sup> pace ac serenitate temporum, plures in gente Nordanhumbrorum tam nobiles quam privati se suosque liberos, depositis armis, satagunt magis accepta tonsura monasterialibus adscribere votis

<sup>n</sup> Polychronic. lib. 1. cap. 58.

<sup>o</sup> Supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 121.

<sup>p</sup> Bed. histor. lib. 2. cap. 20.

<sup>r</sup> Id. lib. 4. cap. 26.

<sup>q</sup> Id. lib. 3. cap. 1. cum lib. 2. cap. 5.

<sup>s</sup> Id. lib. 5. cap. 24.

quam bellicis exercere studiis. Quæ res quem sit habitura finem, posterior ætas videbit."

Ut autem Romanos intra vallum Severi habitavisse, "ad plagam meridianam;" ita eos "ulteriores Britanniae partes jure dominandi possedisse," idem Beda commonet: per ulteriores Britanniae partes terras, ni fallor, inter vallum illud et Caledoniam positas intelligens: quas a Britannis Mæatis insessas Dio significat in Severo. Ita enim in eclogis legimus, quæ tribuuntur Theodosio: "In Britannia, tam propter eam causam quod Caledonii promissis non insisterent, parati ad defendendos Mæatas, quam quod Severus id temporis finitimo bello intentus esset; coactus fuit Lupus (Virius Lupus Ulpiano<sup>a</sup> is est, Britanniae præses) a Mæatis magna pecunia pacem redimere, paucis quibusdam captivis receptis:" et in Xiphilini excerptis plenius: "Britannorum duæ sunt nationes amplissimæ, Caledonii et Mæatæ: nam cæterorum nomina ad hos fere referuntur. Habitant Mæatæ juxta eum murum, qui insulam in duas partes dividit: Caledonii post illos sunt. Incolunt utrique montes asperos et inaquosos; itemque campos desertos, plenosque paludibus:" Quo respexit et Jornandes<sup>w</sup>; de Britannis, a Romanorum adhuc convictu et societate alienis, ita scribens: "Inculti omnes æque populi, regesque populorum; cunctos tamen in Calidoniorum Mæatarumque concessisse nomina (ita enim ex emendatioribus exemplaribus restituendus locus est, qui in vulgatis corruptissime legitur) author est Dio celeberrimus scriptor annalium."

Cambrensis quoque regni limites constituit, in vita Kentigerni, Johannes Tinnuthensis, "a muro illo famoso ad arcendum hostes a Britonibus a mari ad mare quondam constructo usque ad flumen Fordense, id est, ad mare Scoticum:" indidemque (non e Venedotia, ut Balæus<sup>x</sup> censuit) Niniani originem scriptor vitæ ipsius ita repetit: "In Britannia majori regali ex prosapia beatus Ninianus extitit

<sup>a</sup> Bed. hist. lib. 1. cap. 11.

<sup>w</sup> Digest. lib. 28. tit. 6. leg. 2. sec. 4. prius autem.

<sup>w</sup> Jornand. de reb. Getic. cap. 2.

<sup>x</sup> Balæ. scriptor. Britann. centur. 1. cap. 43.

oriundus, in ea, ut putatur, regione quæ in occiduis ipsius insulæ partibus, ubi oceanus quasi brachium porrigens, et ex utraque parte quasi duos angulos faciens, Scotorum nunc et Anglorum regna dividit, constituta, usque ad novissima Anglorum (Saxonum videlicet) tempora proprium habuisse regem, non solum historiâ fide sed et quorundam quoque memoria comprobatur.”

Et quidem regni Cumbrorum, quos eosdem cum Cambriis, sive veteribus Britannis, fuisse docet Camdenus<sup>7</sup>, in Anglorum annalibus crebra occurrit mentio. In quibus etiam annotatum reperitur, anno<sup>8</sup> DCCCCXLVI. regem Edmundum seniore, “adjutorio Leolini regis Demetiæ fretum, Cumbriam totam cunctis opibus spoliavisse: ac duobus filiis Dunmail ejus provinciæ regis oculorum luce privatis, regnum illud Malcolmō I. Scotorum regi de se tenendum concessisse; ut aquilonares Angliæ partes terra marique ab hostium adventantium incursione tueretur:” Et Anglo-Saxonum novissimis temporibus, Siwardum Nordanhumborum ducem jussu Edwardi regis et confessoris Malcolmum III. filium<sup>a</sup> regis Cumbrorum, profligato Macbetho, regem Scotorum constituisse, quanquam illis temporibus Cumbrensis regni longe alios fuisse terminos, quam qui Cambrensi in vita Kentigerni sunt assignati, animadvertere liceat. Neque enim Northumbriæ comitatus, a Tinæ ad Twedæ ostia ultra Severi vallum protensus, ad Cumbriæ reges pertinebat, sed ad Nordanhumborum duces sive consules, ut Richardus prior Hagustaldensis<sup>b</sup> eos appellat: et cis vallum ad Cumbrorum reges ea saltem pars Cumbriæ spectabat, quæ ad fluminis Dervationis ostium pertingit et fontes Tesis, e saxeto Stanemoriæ

<sup>7</sup> Camden. in Cumberland, pag. 630. et 648.

<sup>8</sup> Matth. Florileg. ad illum annum. Vid. Guil. Malmesbur. de gest. reg. lib. 2. cap. 7. Henr. Huntingdon. histor. lib. 5. Florent. Wigorn. et Rog. Hoveden. ad annum 945.

<sup>a</sup> Guil. Malmesbur. de gest. reg. lib. 2. cap. 13. Florent. Wigorn. Rog. Hoveden. et Matth. Florileg. ad annum 1054. Edwardus I. in literis ad Bonifacium P. apud Matth. Westmonaster. Et Thomam Walsingham ann. 1301. in Hypodigm. Neustriæ.

<sup>b</sup> Richard. in prologo libri de statu Hagustaldensis ecclesiæ.



scaturientis ; quousque Malcolmi illius III. terminos pertigisse, ex Scotorum historicis retulimus<sup>c</sup>.

Illud interim certum est, inter Britannos suos sedem episcopalem constituisse Ninianum, in loco olim Candida Casa, hodie, a candido quoque colore appellatione retenta, Whit-herne nominato. Unde ad ecclesiam Glascuensem, in Glottæ sive Cluidæ fluvii, qui ditionis Romanorum et relictorum ab eis Britonum extremus erat terminus, ripa sitam, a Kentigerno translata fuisse videtur. Glascuensem enim diœcesim eo tempore eosdem cum Cambrensi illo regno limites habuisse, et ad murum illum celebratissimum protensum fuisse, et, quod hinc est consequens, Candidam Casam complexu suo continuisse, in Kentigerni vita pariter legimus. Ulterius etiam, “ ejus versus austrum episcopatus tunc temporis ultimum finem fuisse ad crucem regiam infra Stanemore<sup>d</sup>,” in Scotichronico traditum invenimus.

Quod autem Hector Boethius<sup>e</sup> Candidam Casam sub Mordaci Scotorum regis ditione fuisse vult, quem anno DCCXXXI. in quo ecclesiasticam suam historiam terminavit Beda, defunctum fuisse notat ; tam verum est, quam quod de Beda statim subdit : “ Beda locum Pictiminiam vocat, Actamque antistitem, qui sub id tempus sacræ sedi Candida in Casa præfuit ; eumque virum primum post D. Ninianum ibidem gessisse episcopatum :” nam neque ita locum hunc uspiam vocavit Beda, neque illum loci ejus nominavit antistitem : et in Anglorum non in Scotorum potestate Candidam Casam eo tempore fuisse clarissime confirmat. Anno enim illo DCCXXXI. præsulatum tenuisse scribit<sup>f</sup> “ Accam in Hagustaldensi ecclesia, Pecthelmum in ea quæ Candida Casa vocatur ; quæ nuper, inquit, multiplicatis fidelium plebibus, in sedem pontificatus addita, ipsum primum habet antistitem.” Hanc vero “ jam tunc Anglorum gentem obtinuisse, et ad provinciam Berniciorum pertinuisse,” et ipse apertissimis verbis antea<sup>g</sup>

<sup>c</sup> Supra, pag. 107.

<sup>d</sup> Vid. supra, cap. 14. pag. 91. et quoque pag. 107.

<sup>e</sup> Boeth. Scotor. histor. lib. 9. fol. 181. b.

<sup>f</sup> Bed. lib. 5. cap. 24.

<sup>g</sup> 1d. lib. 3. cap. 4.

scripserat, et Johannes Major<sup>h</sup> ingenue agnoscit; “ pro tempore suo et non futuro Bedam scripsisse” simul admonens. Quo magis Thomæ Dempsteri confidentiam et temeritatem demirari liceat, tam audacter asseverantis “ hoc certo liquere; Candidæ Casæ episcopatum semper ditionis fuisse Scotiæ, nec unquam Anglico juri subjectum.”

Ut igitur apud Britones primus Candidæ Casæ episcopus erat Ninianus, ita Anglorum primus in ea sede antistes erat Pecthelmus: ad quem popularis sui Bonifacii Moguntini archiepiscopi undecimi data legitur epistola. Pecthelmo, ut in Florentii Wigorniensis habetur chronico, anno DCCXXXV. defuncto successit Frithwaldus; eique anno DCCLXIII. Nonis Maii ex hac vita decedenti successor decimo sexto Calendas Augusti datus est Pectwinus: eo vero anno DCCLXXVII. mortuo, sequente anno Eboraci decimo septimo Calendas Julii episcopus ordinatus est Æthelbertus: cui anno DCCXCI. substitutus est Beadvulfus: “ Nec præterea,” inquit Guilielmus Malmesburiensis<sup>k</sup>, “ plures alicubi reperio; quod cito defecerit episcopatus, qui extrema Anglorum in ora est et Scotorum vel Pictorum depopulationi opportuna:” in antiquissimo tamen Anglo-Saxonicorum episcoporum indiculo, huic etiam Heathoredum successisse inveno: post cujus tempora regio illa a Scotis sive Hibernis occupata, Gallwalliæ<sup>l</sup> et Gallovidiæ ab eis nomen accepit. Deinceps vero in Scotiis<sup>m</sup> proditum habetur annalibus, “ Gallovidiam ac vicinas regiones Sodorensi episcopo, cui in Mona insula sedes erat sacra, usque ad Malcolmi tertii tempora in rebus paruisse divinis:” a quo Gallovidiæ Candida Casa, ut hodie manet, episcopalis sedes est constituta.

Post occisum anno DCCXCIV. Æthelredum Nordanhumbrorum regem, “ cessante rectore per triginta tres annos, provinciam illam risui et prædæ finitimis fuisse” scribit Guilielmus Malmesburiensis<sup>n</sup>. Et hujus ἀναρχίας

<sup>h</sup> Major. de gest. Scotor. lib. 1. cap. 2.

<sup>l</sup> Dempster. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 15. num. 1026.

<sup>k</sup> Malmesbur. de gest. pontific. Anglor. lib. 3.

<sup>l</sup> Camden. in Scotia, pag. 692.

<sup>m</sup> Hecl. Boeth. Scotor. histor. lib. 9. fol. 181. b.

<sup>n</sup> Malmesbur. de gest. regum Angl. lib. 1. cap. 3.

tempore, ut Hibernos Gallovidiam, ita etiam Pictos Laudoniam occupavisse dicendum est; si verum sit eam Pictlandiam, quasi Pictorum terram, aliquando fuisse appellatum: qua de re ita Hector Boethius, in Scotiae regionum nominibus: "Pithlandia Laudonia nunc, continebat antiquitus nonnullos agros vicinos. Montes quidem Pithland-hillis vulgari vocabulo, et Pithland-law eadem in regione hodie eodem nomine hujus rei fidem faciunt." Verum Penthanticos montes (ita enim vulgo nominantur) a Pentho potius quam a Picto derivandos; et "nomina hæc posterioribus temporibus ab Anglis, aut certe Scotis Anglicum sermonem usurpantibus indita fuisse," credit Georgius Buchananus: "eorum<sup>o</sup> enim apud priscos Scotos nec intellectum, nec usum esse ullum." Quibus accedit quod longe post eversum Pictorum dominatum, circa annum demum DCCCCLX. Edenburgum Laudoniae metropolim Angli amiserint; apud Scotos "Indulpho regnante, oppido Eden (ut author<sup>p</sup> libelli de Scotiae divisione loquitur) vacuato, et relicto Scotis usque in hodiernum diem:" et circa annum DCCCCLXXV. Ædgarus Anglorum rex reliquam Laudoniam Kennetho III. Scotorum regi concesserit; dans ei, ut apud Mathæum Florilegum habetur, "terram totam quæ Laudian patria lingua nuncupatur, hac conditione, ut annis singulis in festivitatis præcipuis, quando rex et ejus successores diadema portarent, venirent ad curiam et cum cæteris regni principibus festum cum lætitia celebrarent."

Neque in Laudonia igitur neque in Gallovidia australes illi Picti sunt quærendi, quos Ninianus fide Christiana imbut; sed in regionibus potius inter Bodotriam vel Fortham fluvium et Grampium montem positis. Hic vero, ut in vita ejus legimus, "ordinavit presbyteros, episcopos consecravit, et totam terram per certas parochias divisit; confirmatisque in fide omnibus, ad ecclesiam suam est regressus." Nec desunt tamen, qui unum tantum in universo Pictorum regno episcopum fuisse volunt; qui Abernethii in Strathernia conederit: "His enim temporibus

<sup>o</sup> Buchanan. rer. Scot. lib. 2.

<sup>p</sup> De quo supra, pag. 147. Vide Camden. in Scotia, pag. 689.

fuit locus ille sedes principalis regalis et pontificalis totius regni Pictorum, quando non fuit nisi unus solus in regno episcopus:" quemadmodum in Scotichronico traditum invenimus. At quum Oswius Nordanhumbrorum rex "Pictorum<sup>q</sup> atque Scotorum gentes, quæ septentrionales Britanniae fines tenebant, maxima ex parte perdomuisset ac tributarias fecisset:" Wilfridus Eboracensis archiepiscopus non<sup>r</sup> solum "omnium Nordanhumbrorum sed etiam Pictorum, quousque rex Oswius imperium protendere poterat," episcopatum administravit.

Anno deinde DCLXX.<sup>s</sup> defuncto Oswio successit filius Egfridus: qui mox<sup>t</sup> post patris obitum deficientes Pictos denuo subegit. Indeque factum, ut anno DCLXXXI. triennio<sup>u</sup> post pulsum a sede Eboracensi Wilfridum, Theodorus Cantuariensis archiepiscopus Trumwinum antistitem ordinaverit "ad provinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio subjecta." Qui quidem Trumwinus synodo<sup>v</sup> Theodori ad Twifordiam juxta fluvium Alne, in comitatu Northumbriae, anno DCLXXXIV. habitæ interfuit; et chartæ<sup>x</sup> donationis, ab Egfrido rege sequente anno (non autem DCXIX. ut D. Camdeno<sup>y</sup> per errorem excidit) concessæ, ita nomen suum apposuit: "Ego Trumwine Pictorum episcopus subscripsi." Eodem autem anno, Egfrido<sup>z</sup> rege in Pictorum provincia extincto, "Picti terram possessionis suæ quam tenuerunt Angli recuperarunt; et Trumwinus, qui in eos episcopatum acceperat, recessit cum suis qui erant in monasterio Abercurnig<sup>a</sup> posito quidem in regione Anglorum, sed in vicinia freti quod Anglorum terras Pictorumque disternat." Sicque deinceps Picti, libertate recepta, proprios antistites delegerunt: inter quos S. Tarnanum archiepiscopum postremum fuisse, ea videlicet tempestate, qua Pictica gens et regnum funditus excisa, florescentem, in decimo octavo ecclesiasticæ suæ historiæ libro significat Thomas Demp-

<sup>q</sup> Bed. hist. lib. 2. cap. 5.

<sup>r</sup> Id. lib. 4. cap. 3.

<sup>s</sup> Id. lib. 4. cap. 5.

<sup>t</sup> Guil. Malmes. de gest. pontif. Anglor. lib. 3. fol. 149.

<sup>u</sup> Bed. histor. lib. 4. cap. 12.

<sup>v</sup> Id. ibid. cap. 28.

<sup>x</sup> MS. in bibliotheca Cottonian.

<sup>y</sup> Camden. in Cumberland, pag. 641.

<sup>z</sup> Bed. hist. lib. 4. cap. 26.

<sup>a</sup> Vide supra, pag. 132.

sterus; natalem quoque illius, ex breviario Scotico, ad Julii Calendas referens: ad quem tamen diem, in catalogo generali sanctorum, qui in martyrologio Romano non sunt, a Philippo Ferrario (ad hunc ipsum Dempsteri locum in notis suis hic respiciente) concinnato, in Hibernia S. Tarnani episcopi Lismorensis memoriam annotatam invenimus.

Vitam S. Niniani, ut ad eum jam redeamus, ab Ælredo Rhievallensi abbate conscriptam in bibliothecis Angliæ vidimus. Carminis etiam de virtutibus illius ad se missi meminit Alcuinus, in inedita ad fratres Fani Niniani epistola; cujus hoc initium: “Venerandæ dilectionis fratribus in loco Deo servientibus qui dicitur Candida Casa, Alchuine diaconus salutem. Deprecor vestræ pietatis unanimi-  
tatem, ut nostri nominis habeatis memoriam, et intercedere pro mea parvitate dignemini in ecclesia sanctissimi patris vestri Nynia episcopi, qui multis claruit virtutibus: sicut mihi nuper delatum est per carmina metricæ artis, quæ nobis per fideles nostros discipulos Eboracensis ecclesiæ scholasticos directa sunt: in quibus et facientis agnovi cruditionem, et ejus perficientis miracula sanctitatem, per ea quæ ibi legebam.” Extat et apud Hibernos nostros ejusdem Niniani vita; in qua, ob importunam tum a matre tum a consanguineis frequentatam visitationem, deserta Candida Casa, ut sibi et suæ quieti cum discipulis vacaret, Hiberniam petiisse atque ibi impetrato a rege loco apto et amæno, Cluayn-Concr dicto, cœnobium magnum constituisse, ibidemque post multos in Hibernia annos transactos obiisse traditur. Fratrem etiam habuisse sanctum Plebeiam nomine, in vita ejus apud Johannem Tinmuthensem legimus. Ipse quoque Ninianus, “ne<sup>b</sup> videretur omnino posterorum immemor, in affectato sed utili exarabat stylo, Psalterii meditationes, librum unum, et Ex sententiis sanctorum, librum unum, si Johanni Balæo credimus: qui et obiisse illum notat, anno salutis nostræ CCCXXXII. sub Theodosio juniore.

Eodem illo anno B. Patricium Hiberniam ingressum

<sup>b</sup> Balæ. script. Britann. centur. I. cap. 43.

esse, postquam Palladius, superiore anno a Romano pontifice Celestino episcopus eo missus, conversione insulæ frustra tentata in Albaniam, quæ hodierna Scotia est, concessisset, in sequente capite sumus ostensuri: ubi de Palladio pluribus erit agendum. Scribit vero Johannes Fordon<sup>s</sup>, in Scotiam advenisse Palladium, cum “ magna cleri comitiva (ut ille loquitur) Scotorum regis Eugenii regnationis anno undecimo,” qui juxta illius rationes anno salutis CCCXXIX. vel CCCXXX. respondet: eique “ regem mansionis locum apud Fordon in le Mernes, ubi petierat, gratis dedisse” subjicit: quum tamen anno CCCXXXI. ad Scotos sive Hibernos missum fuisse Palladium, ex Prosper<sup>i</sup> chronico liqueat: et Merniæ provinciam, in qua Fordonum est positum, ipsius hujus historici Johann<sup>s</sup> patria, non Scotorum sed Pictorum reges eo tempore tenuisse constet.

Sub Eugenio etiam hoc, magni Fergusii filio, Palladium episcopum a Celestino missum huc fuisse, “ ut Pelagianam hæresim, quæ jam magnam Britanniæ partem infece- rat, a Scotorum gente arceret populumque ad veram pietatem, a qua continua bellorum atrocitate paulum aber- raverat, rite reduceret;” sub finem septimi Scotticæ suæ historiæ libri affirmat Hector Boethius: de Dongardi fra- tris et successoris Eugenii pietate, in sequente libro ista quoque adjiciens: “ Christi sacerdotes divum præsertim Palladium vitæ innocentia referentes, sacri instituti ab eo et iis qui cum eo ab Italia venerant conditi cultores, variis in regni locis, prædiis, agris, cæterisque rebus ad vitæ necessitatem accommodatis, affluenter donatos, magna ubi- que reverentia omnibus esse voluit; militiaeque vacationem eisdem tribuit: locaque omnia Christo sacra per universas Scotiæ regiones asyla effecit, et ad ea confugientes, servos fugitivos, sotes, quovis crimine reos, ne judicium subire publica cogentur autoritate, dum illic se continerent, regio vetat edicto. Nec tantum illis, sed et aliis prope

\* Scotichronic. lib. 3. cap. 8.

<sup>d</sup> Vide supra, cap. 11. op. tom. 5. pag. 367.

\* Qui alius est a Johanne de Forda, Fordensis cænobii apud Devonienses ab- bate, vitæ Wolfrici presbyteri scriptore: de quo Vossius historic. Latin. lib. 2. cap. 56.

innumeris privilegiis Christo initiatos, ut eorum templa, cœnobia, et alia loca sacra augustiora haberentur et essent donavit."

Etiam ad Constantini, quem Dongardo fratri anno CCCCLVII. in regno successisse notat Fordonus, ætatem Palladium pervenisse, Polydorus Vergilius auctor est; in tertio Anglicæ suæ historiæ libro, hæc de illo scribens: "Palladius homo bonus, gratus, pius, et plenus officii, dum apud Scotos erat, omnibus precibus dehortatus est Constantinum regem, ut ne vellet Anglos Saxones gentem impiam armis juvare contra Britannos homines Christianos; quando posset certo scire eorum calamitatem cum sua aliquando fore conjunctam, cum satis constaret illos non Scotorum, non Pictorum amicitiam, sed totius insulæ imperium quærere: neve alienorum nomine, se atque suos toties opponere periculo belli, cujus exitu nihil incertius esset. Ea admonitio ita Constantinum movit, ut jam tum pollicitus sit, se nunquam amplius cum Anglis staturum: quod et fecit."

Atqui non longe post missionem suam vita functum esse Palladium, et post illius mortem in Hiberniam a Celestino legatum esse Patricium; Ninius, Maccuthenus, Probus, Jocelinus, et alii vitæ Patricii descriptores confirmant: quomodo et in officii<sup>f</sup> ejus lectione quinta habetur traditum, "eo illum venisse, postquam Palladius inde recessisset, et exiguo prædicationis fructu mortem obiisset in finibus Pictorum." Unde colligere promptum est, Palladium CCCXXXII. Christi annum vivendo nequaquam transcendisse: quem in Fordonensi demum oppido, in quo conederat (ubi hodieque contracto sancti Pad nomine ab incolis appellari audio) mortem obiisse, ita narrat Hector Boethius, "Forduni<sup>g</sup> (vico in Mernia nomen est) beatissimum hujus vitæ exitum sortitus, fatis concessit. Ubi sacræ ejus reliquiæ in multo habitæ honore a multis illuc religionis causa confluentibus, vel hac nostra ætate venerandæ ostenduntur. Has Willelmus Schewes

<sup>f</sup> Offic. Patric. edit. Paris. anno 1620. pag. 12.

<sup>g</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 7. fol. 128. b.

santi Andreæ olim archiepiscopus, vir undiquaque eruditus, effossas humo multis piis precationibus, solennique apparatu, in capsulam argenteam honorifice locavit, quarto anno post Christi adventum in carnem supra nonagesimum millesimum quater centesimum.”

Palladium *συλλειτουργόν* sibi adscivisse S. Servanum Johannes Fordonus<sup>b</sup> indicat: “Prædicationis,” inquit, “et sacramentorum ministracionis consortem sanctissimum virum Servanum habuit; quem ordinatum episcopum, quia tantæ genti ministeria solus impendere pastoralia non suffecerat, ad orthodoxam populo fidem docendam ac opus sollicitè perficiendum evangelii dignum per omnia suum effecit coadjutorem.” Et antiquior scriptor vitæ Kentignî, apud eundem: “Palladius Scotiam adveniens, sanctum ibidem invenit Servanum: et eum, ut in vinea Domini Sabaoth operaretur, invitans; doctrina postmodum ecclesiastica sufficienter imbutum, in omni Scotorum gente suum constituit suffraganeum.” Eum ad Orcades insulas ab illo missum addunt recentiores: in quibus Johannes Major<sup>i</sup>: “Servanum episcopum Palladius ordinat; et eum ad Orchades insulas, ut genti evangelizaret, misit. Ex isto patet, quod episcopus in necessitate ab uno episcopo consecratur; et non est de episcopi essentia, quod a tribus ordinetur.” Et Polydorus Vergilius<sup>k</sup>, de eodem agens Palladio: “Fecit Servanum virum singulari bonitate ac modestia præditum episcopum; quem postea in Orchades misit, qui insulanos Christianæ religionis cultum doceret: quod ille studiose fecit.” Et Hector Boethius<sup>l</sup>: “Palladius Servanum episcopum ad Orcadas insulas missum, ut populum rudem Christiana pietate institueret, creavit. Et Tervanum, quem infantem lustrico laverat fonte, Pictorum archiepiscopum constituit.” Ubi pro certo sumit, quod vetustiorum scriptorum sententiæ repugnare jam ostendimus; tam diu hic commotum esse Palladium, ut quem infantulum baptizaverat, eundem postea archiepiscopum ordinare potuerit.

<sup>b</sup> Fordon. Scotichronic. lib. 3. cap. 9.

<sup>i</sup> Major, de gest. Scotor. lib. 3. cap. 2.

<sup>k</sup> Polydor, Anglic. hist. lib. 3.

<sup>l</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 7. fol. 128. b.



De utroque etiam illo Johannes Leslæus<sup>m</sup>: “Palladius Servanum episcopatus auctoritate cumulatam, ad Orchades insulas, ut gentem ibi rudem et barbaram fide Christiana imbueret, allegavit; et Tervanum quoque Pictorum archiepiscopum creavit. In quibus locis ii duo tanto religionis pietatisque proferendæ studio officii sui partes cumulate explerunt, partim hæresim Pelagianam ex insulanorum animis evellendo, partim religionis puritatem illorum jam purgatis animis instillando; ut merito hic Pictorum, ille Orchadum apostolus postea censeretur.” Addit Thomas Dempsterus<sup>n</sup>, S. Tervanum, non solum Pictos “Idolorum ea adhuc ætate cultui deditos incredibili studio morumque sanctimonia ad veram religionem convertisse;” sed etiam Exhortationes ad Pictos, Contra Pelagianos librum unum et Homilias ex sacra Scriptura conscripsisse: Abernethiæ denique, quæ Pictorum regia, obiisse; ibidemque et reliquias ejus conditas esse, et templum cathedrale ei dicatum.

Eodem etiam cum illo tempore, anno videlicet CCCXXI. S. Servanum<sup>o</sup> floruisse dicit: a quo et Orcadum episcopatum fundatum, et epistolarum ad Orcadianos quidem librum unum, ad ecclesias vero Scoticas alterum, scriptum fuisse ait. Sed ante hunc, anno<sup>p</sup> CCXCIII. S. Serfum claruisse asserit: qui “ex Culdeorum grege episcopus electus, aliquid magni animo agitans, Orcades nondum adhuc fidei luce illustratas adierit, et verbum vitæ rudibus illis gentibus indefessus nunciaverit,” similiterque scripserit,

“Conciones ad Orcadianos, librum unum.

De religionis Christianæ mysteriis, librum unum.

Epistolas ad Scoticas ecclesias, librum unum.

Ut hic primus Orcadum apostolus, S. Servanus secundus dici possit:” quanquam diversos illos fuisse homines, ego profecto ægre persuaderi mihi patior. Ut enim Ninia, Ninius et Ninianus unum idemque est nomen: ita etiam et Serfa, Serfus atque Serfanus sive Servanus. Vau enim, ut Latini etiam hanc consonam appellant, et F sive di-

<sup>m</sup> Leslæ. de reb. gest. Scot. lib. 4. in rege XLI.

<sup>n</sup> Dempster. hist. ecclesiast. Scot. lib. 18. num. 1107.

<sup>o</sup> Id. lib. 17. num. 1030.

<sup>p</sup> Id. ibid. num. 1032.

gamma Æolicum ejusdem propemodum esse potestatis, et in se transire mutuo, grammaticis<sup>9</sup> satis notum est.

Habetur vita S. Servani MS. stultissimorum mendaciorum portentis undique referta. In ea, regem terræ Chanaan Obeth filium Eliud ex Alpia filia regis Arabiæ natos geminos, Generacium et Malachiam sive Servanum, suscepisse legimus. Obetho post septennium defuncto, Servanum fratri regnum reliquisse, et Alexandria per tredecim annos divino studio et artibus discendis vacavisse. Post triginta annos ab Alexandrino episcopo ad sacerdotii gradum promotum, in patriam rediisse, et a Cananæis episcopum electum per viginti annos munus illud obiisse. Hierosolymitanum deinde patriarcham septem annis extitisse: atque ea civitate relicta, Constantinopoli per tres annos commoratum, Romam perrexisse tunc pontifice destitutum ibique concordia cleri et populi voluntate administrationem illam adeptum, in cathedra Petri septem annis consedissee. Neque magis fortasse arrisura sunt aliis, quæ in extremo vitæ illius actu gesta refert Johannes Tinmuthensis; quemadmodum discipulus et alumnus ejus Kentiger-nus a contubernio ipsius discesserit, sic exponens:

“ Clam<sup>r</sup> recedens, ad Mallenam fluvium venit: qui ex maris reumate influente alveum suum excedens omnem transeundi spem penitus ademit. Dominus autem qui mare rubrum divisit, et populum Israel siccis pedibus per medium ejus quondam eduxit, ipse Mallenam fluvium ser-vo suo divisit: erantque quasi muri a dextris et a sinistris ejus. Deinde brachiolum marinum per pontem transiens; repentino impetu aquas alveum implere et transitum cuilibet negare vidit. Locus autem ille in posterum intrans-meabilis fuit; et pons aquis maris deinceps contactus nulli ulterius transeundi præbuit facultatem. Mallena etiam fluvius cursum suum relinquens, in Ledonis fluvii alveum deinceps se retorsit: sicque duo fluvii usque tunc divisi a die illa commixti sunt. Et ecce sanctus Servanus seniles artus baculo regente fugientem secutus, supra ripam stetit;

<sup>9</sup> Priscan. lib. 1. cap. de numero literar. Diomed. lib. 2. et Donat. cap. de litera, Johann. Passerat. de literarum cognat. ac permutat. pag. 69.

<sup>r</sup> Jo. Tinmuth. in vita Kentiger-ni.

et ejulando clamans dixit, Heu mi fili charissime, lumen oculorum meorum, baculus senectutis meæ: quare me deseris? cur me derelinquis? Recogita, quæso, quomodo ex materno profusum utero te suscepi, nutriti, docui, usque in hanc horam educavi: noli derelinquere canos meos. Sanctus vero in lachrymas resolutus dixit, Vides, pater, divinum esse quod agitur: nec consilium altissimi immutare, aut voluntati non obtemperare valemus. Rogo, inquit Servanus, ut sicut ante fecisti prece tua salum divides, denudes solum: ut solus pertransiens per sicum perveniam ad te. Efficiat enim tibi de patre filius, de doctore discipulus, et usque ad finem vitæ comes individuus. Tunc sanctus multo fletu madefactus ait: Regredere, quæso, pater mi: et discipulos tuos doctrina et exemplo instrue, et disciplina corrige. Retributor omnium bonorum retribuat tibi pro universis beneficiis quæ mihi exhibuisti. Bonum enim certamen certasti, cursumque jam consummasti. Ego autem pergam quo me misit ille qui me segregavit ex utero matris meæ. Et sic mutua data benedictione, ab invicem discesserunt. Sanctus autem Servanus in senectute bona cito migravit ad Dominum."

In qua narratione illud scriptorem fugit, Malinæ et Ledonis vocabulis, non ejus nominis fluvios aliquos, sed crescentes et decrescentes oceani æstus denotari: "qui<sup>a</sup> alternante per septenos octonosque dies successu, mensem inter se quemque quadriformi suæ mutationis varietate dispersiunt." Minores enim æstus Ledones sunt dicti: qui "a<sup>b</sup> quinta luna, similiter et a vicesima incipiunt; et quot horis accedunt, tot recedunt. Malinæ sunt majores: quæ a tertiadecima et vicesimæ octava luna incipiunt, et sex diebus et quindecim horis durant; et sunt citiores in accedendo, tardiores in recedendo." Ita venerabilis Beda. Et ante eum, author librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ: "Quotidiana" inundatio bis in die, a tempore ad tempus,

<sup>a</sup> Bed. de temporum ratione, cap. 27.

<sup>b</sup> Id. in lib. de mundi constitutione: et in lib. de natura rerum, cap. 39.

<sup>c</sup> Lib. 1. de Mirabilib. scriptur. cap. 7. app. tom. 3. oper. Augustini. Ledo, maris æstuatione. Gloss. Isidori.

per horas viginti quatuor semper peragitur : et per alternatas hebdomadas Ledonis et Malinæ vicissitudo comitatur. Sed Ledo sex horas inundationis et totidem recessus habet: Malina vero grandis per quinque horas ebullit, et per septem horas littorum dorsa reteggit:” Ledonis etiam (sive Lidunæ) et Malinæ meminerunt Marcellus Empiricus, qui<sup>w</sup> Valentiniani imperatoris temporibus claruit, Wilibaldus<sup>x</sup> in fine vitæ Bonifacii, actorum Rumoldi<sup>y</sup> et Gummari scriptores ; et Rogerus Hovedenus, Lindim Northumbriæ fluviolum ita describens: “ Lindis<sup>z</sup> dicitur flumen quod in mare excurrit, duorum pedum latitudinem habens, quando Ledon fuerit, id est minor æstus, et videri potest : quando vero Malina fuerit, id est major æstus maris, tunc nequit Lindis videri.”

De Gilda Albanio, in capite decimotertio a nobis annotata sunt aliqua : quibus et hic nonnulla alia veniunt adjungenda. Sic igitur, a nobilitate generis et studiis adolescentiæ, vitam Gildæ orditur Caradocus Lancarvanensis : “ Nau fuit rex Scotorum, nobilissimus regum aquilonalium : qui viginti et quatuor filios habuit, victores, bellicosos, quorum unus nominabatur Gildas ; quem parentes sui commiserunt studio literarum. Puer bonæ indolis et studiosus floruit ingenio : quicquid audiebat a magistro, commemorabat diligentissime, nec lædebat oblivio. Studuit studiosus assidue inter suates in artibus septem, donec pervenit ad juventutem:” In Caradoci codice quo usus est Johannes Balæus<sup>a</sup>, pater illius Naurus rex Pictorum ; in Johannis Tinnuthensis legenda, Can rex Albaniam nuncupatur. Anonymus vitæ scriptor, quem ex Floriacensi bibliotheca Johannes a Bosco divulgavit, patrem Caunum, patriam Areclutam nominat ; quam nos Argatheliam esse arbitramur, ad Glottam<sup>b</sup> sive Cluidam fluvium positam. B. Gildas, inquit ille, “ Arecluta fertilissima regione oriundus,

<sup>w</sup> Vid. Jos. Scaligeri append. ad conjectanea in lib. 4. Varronis de ling. Lat. et lib. 2. ejusdem de emendat. temp. c. De Cyclo Lunari veterum Saxonum.

<sup>x</sup> Tom. 4. antiqu. lect. II. Canisii, part. 2. pag. 385.

<sup>y</sup> Jo. Molan. natal. sanctor. Belgii, Jul. 1. in Rumoldo.

<sup>z</sup> Hoveden. annal. part. 1. ad annum 793.

<sup>a</sup> Balæ. Script. Britann. centur. 2. cap. 87.

<sup>b</sup> Vid. supra, pag. 205.

patre Cauno nobilissimo et Catholico viro genitus, ab ipso puerili ævo toto mentis affectu Christum studuit sequi. Arecluta autem regio cum sit Britanniae pars, vocabulum sumpsit a quodam flumine quod Clut nuncupatur; a quo plerunque illa irrigatur."

Idem author Cauno, præter Gildam, quatuor tantum tribuit filios: de quibus ista memorat: "Caunus ejus genitor, et alios quatuor fertur habuisse filios: Cuillum videlicet valde strenuum in armis virum, qui post mortem patris ei in regno successit. Mailocum quoque qui a patre sacris literis traditus et in eis bene edoctus, relicto patre, atque rebus paternis abrenunciatis, venit Lyuhes in pago Elnail; ibique monasterium ædificans, in quo in hymnis et orationibus, jejuniis et vigiliis instanter serviens Deo, clarus virtutibus et miraculis, in pace quievit. Egreas vero cum Allæco fratre et Peteona sorore Deo sacrata virgine, similiter et ipsi relictis rebus paternis, et secularibus abrenunciatis pompis, in extrema parte regionis illius secedentes, non longe a se invicem distantia singula sua construxere oratoria; mediam statuentes sororem."

Filiorum natu maximus, qui hic Cuillus, rectius apud Johannem Tinmuthensem et Capgravium Howelus, ab aliis Hoel, Huel et Huelinus appellatur: de quo, in magno Glastoniensis monasterii regesto quod secretum domini abbatis dicitur, annotatum legimus: "In historiis Britonum invenitur, quod rex Arthurus regem Scotiae interfecit in bello (et præcipue in vita sancti Gildæ, capitulo secundo, qui Gildas Britonum historiographus magnus fuit et præcipuus, et frater Hoelis regis Scotiae quem occidit rex Arthurus:) et Scotia subjugata rediit cum triumpho:" Quæ de fratre hoc Gildæ, ab Arthuro rege interfecto, apud Giraldum Cambrensem et in Britonum monumentis aliis sunt tradita, in postremo defensionis historiae Britannicæ capitulo profert dominus Johannes Prisæus: addens etiam, "extare adhuc locum in Venedotia, qui cædis hujus memoriam adhuc retinet, lapidemque ingentem nomen hujus Huelini præferentem habet erectum, ut mos erat antiquis, ad hujusmodi rerum emoriam perpetuandam:" Cum quibus et istam Caradoci Lancarvanensis narrationem lector conferre poterit.

“Contemporaneus<sup>c</sup> Gildas vir sanctissimus fuit Arthuri regis totius majoris Britanniae, quem diligendum diligebat; cui semper cupiebat obedire. Confratres tamen viginti tres resistebant regi rebelli praedicto, nolentes pati dominum: sed crebro fugabant et expellebant a saltu et bello. Huel major natu, belliger assiduus et miles famosissimus, nulli regi obedivit nec etiam Arthurio. Affligebat eundem, commovebat inter utrumque maximum furorem. A Scotia veniebat saepissime; incendia ponebat, praedas ducebat, cum victoria ac laude. Unde rex universalis Britanniae, audiens magnanimum juvenem<sup>d</sup> talia fecisse et aequalia facere, persecutus est victoriosissimum juvenem, et optimum (ut aiebant et sperabant indigenae) futurum regem. In persecutione autem hostili et in conventu bellico, in insula Mynau interfecit inimicum praedatorem. Post illam interfectionem Arthurus victor remavit; gaudens maxime quod superaverat suum fortissimum hostem.”

Deinde ubi Gildam, audita fratris nece, ex Hibernia in Britanniam venisse declarasset; subjungit: “Auditore adventu Gildae sapientis ab Arthuro rege et primatibus totius Britanniae, episcopis et abbatibus; convenerunt innumerabiles ex clero et populo, ut Arthurum pacificarent ex supradicto homicidio. At ille (sicut primitus fecerat, cogito rumore de obitu fratris) indulsit inimico; veniam postulanti osculum dedit, et benignissimo animo benedixit osculanti. Hoc peracto, rex Arthurus dolens et lacrymans accepit ab episcopis astantibus poenitentiam: et emendavit in quantum potuit, donec consumnavit vitam.”

Neque hic praetermittenda, quae de fide Christiana inter gentes Britanniae aquilonares a Gilda propagata, in libro Floriacensi hisce verbis memoriae mandata comperimus: “Cum<sup>f</sup> ad sacros ordines promotus esset, et presbyteri

<sup>c</sup> Caradoc. in vita Gildae, cap. 9.

<sup>d</sup> Cum major ille natu fuerit quam Gildas, quem circa annum 425. in lucem editum collegimus; indeque ad annum 508. quo Arthurium regnum iniisse supposuimus, annorum 83. intersitium intercesserit: tot annorum senex, juvenis haberi non potuit.

<sup>e</sup> Caradoc. in vita Gildae, cap. 12.

<sup>f</sup> Vit. Gildae, ex MS. Floriacens. edit. cap. 8.

fungeretur officio ; audiens quod gentes quæ aquilonalem plagam Britanniae insulae incolebant adhuc gentili errore detinerentur, et quod hi etiam, qui videbantur inter eas Christiani, non Catholici essent, sed diversis hæreticorum fraudibus irretirentur : accipiens juxta apostoli præceptum *armaturam<sup>e</sup> Dei, ut posset resistere in die malo et in omnibus perfectus stare*, de Christi adjutorio confidens, cœpit illuc pergere. Stans autem succinctus lumbos mentis inter paganos atque hæreticos, indutus lorica justitiæ, et calceatus pedes in præparationem evangelii pacis : in omnibus periculis sumebat scutum fidei, in quo posset omnia tela nequissimorum dæmoniorum extinguere ; galeamque salutis et gladium spiritus, quod est verbum Dei. His itaque armis munitus Gildas Christi miles præclarus, prædicabat nomen Christi gentilibus ; multis ex divina lege approbationibus ostendens, nihil esse quod ab eis excolebatur. Hæreticos autem, verbum salutis opponens, ad viam veritatis adduxit ; a cunctis eos quoque revocans erroribus. Namque ei tantam dederat Dominus noster Jesus Christus gratiam etiam sanitarum ; ut ejus orationibus cæci illuminarentur, surdis auditus redderetur et claudis debilibusque gressus, dæmoniacy curarentur, leprosi mundarentur et infirmi quique sanarentur.”

“ Pergebat igitur Gildas beatissimus evangelium Christi prædicando, docens veram fidem per universas provincias : gentemque suam ad veram Catholicamque fidem convertebat. Hæc et his similia agente beato Gilda, omnis gens aquilonalis plagæ ad ejus prædicationis doctrinam cœpit undique confluere : quatenus derelicto gentili errore, et percepta ejus admonitione sanctæ Trinitatis fide, in gremio collocaretur sanctæ matris Ecclesiæ ; ut vocaretur Christi sponsa et probaretur esse. Destruebantur itaque idola ab eis qui ea fabricaverant, cum templis suis ; et ecclesiæ ædificabantur per congrua loca : baptizabantur viri nobiles, cum uxoribus et filiis atque familiis. Cum<sup>h</sup> autem videret heatus Gildas fœcundam prolem Christianitatis et sanctæ religionis ubique pullulare ; inenarrabili gaudio repletus,

<sup>e</sup> Ephes. cap. 6. ver. 13.

<sup>h</sup> Vit. Gildæ. cap. 9.

sic ait Domino, Gratias tibi ago Domine Jesu Christe, qui populum hunc diutim errantem sancti tui nominis gratia misericorditer illuminare dignatus es, et ad cognitionem tuam pervenire fecisti: et qui hactenus infelices et hebetes erravimus in regione umbræ mortis, tandem lux tuæ justitiæ illuxit nobis, et pax perpetua jam regnat in nobis."

Ad Gildæ scripta quod attinet: præter commentarios evangeliorum et historica nonnulla, versus etiam vaticiniorum Balæus<sup>1</sup> illi tribuit; de quibus Buchananus<sup>2</sup> rectissime pronunciavit: "Vaticinia, quæ nomine ejus circumferuntur, ita et sententiis sunt ridicula, et verbis totoque compositionis genere informia et inculta, ut ea nemo sanus Gildæ esse sit crediturus." Eorum specimen in unico hoc epigrammate, quum alia quoque multo adhuc ineptiora, essent ad manum, præbere lectori placuit.

Fata ducis celebris super omnia Scotia flebit,  
 Qui loca septa salo junget ubique sibi.  
 Principe magnifico tellus viduata vacabit  
 Annis bis ternis mensibus atque novem.  
 Antiquos reges, justos, fortes, locupletes,  
 Largos, famosos, Scotia mæsta luget.  
 Ut Merlinus ait; post reges victoriosos  
 Regis more carens regia sceptrâ reget.  
 Væ canet Albania tantis præsağa ruinis;  
 Totaque gens propria fraude perempta jacet.  
 Serviet Angligenæ regi per tempora quædam  
 (Proh dolor!) Albania, fraude subacta sua.  
 Quod respirabit post funus regis avari,  
 Versibus antiquis prisca Sibylla canit.  
 Candidus Albanus, patriotis causa ruinæ,  
 Traditione sua Scotica regna teret.  
 Rex borealis enim, numerosa classe potitus,  
 Affliget Scotos ense, furore, fame.  
 Extera gens tandem sociorum fraude peribit;  
 In bello princeps Noricus ense cadet.  
 Gallica quem gignet, qui gazis regna replebit,  
 O dolor! o gemitus! fratris ab ense cadet.  
 Tristia cessabunt, quæ prospera sine sequentur;  
 Pacis et adveniet tempore grata quies.  
 Historiæ veteris Gildas luculentus arator  
 Hæc retulit parvo carmine plura notans.

<sup>1</sup> Balæus, scriptor. Britann. centur. I. cap. 50.

<sup>2</sup> Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. in rege XLIV.



Ab Hectore Boethio floruisse dicuntur hac tempestate, “ Colmanus Priscus<sup>l</sup>, Medanus, Modanus, et Euchinus episcopi, Christi dogmatis per Scotorum et Pictorum agros pii concionatores :” licet alibi etiam “ Modanus<sup>m</sup> Medanus-que germani, monasticæ vitæ addicti,” sive iidem fuerint, sive diversi, Caroli Magni temporibus apud Scotos “ imitandæ virtutis se ad posteros præbuisse exemplaria” ab eodem memorentur. Colmannum vero Priscum appellat, ut eo epitheto a posteriore Colmanno, Finani in Lindisfarnensi episcopatu successore, distingueret : quos Dempsterus inter se confundens<sup>n</sup>, alium<sup>o</sup> nobis Priscum<sup>p</sup> est commentus; quem Homiliarum de sanctis librum unum scripsisse fingit. Qua eadem licentia ab Euchino<sup>q</sup> quoque Concionum piarum librum unum, et Statutorum ecclesiasticorum alterum : a Medano<sup>r</sup> Laudum monasticæ vitæ librum unum, a Modano<sup>s</sup> ipsius fratre De episcopi officio libros tres, et a Modoco<sup>t</sup> altero, quem horum æqualem fuisse ait, Homiliarum librum unum scriptos fuisse somniat.

His addi possunt abbates etiam illi duo, Odannanus et Convallanus : quorum prioris in Scotichronico suo Johannes Fordonus meminit ; de freti Edenburgici insula Inche-keth dicta, in qua urbs illa Guidi a Beda<sup>u</sup> commemorata sita fuisse existimatur, ita scribens : “ In ea quondam præfuit sanctus Odomnanus abbas suis monachis, quando honorifice recepit sanctum Servanum cum suis sociis in ipsa insula ad primum suum adventum in Scotia ; et cui tunc delegavit insulam de Lewyn ad inhabitandum : quia uterque insulanus miles pro Christo esse contendebat :” Posteriorem in Arthuri tempora pervenisse refert Hector Boethius, et monachorum Ionæ insulæ abbatem extitisse : etsi illius loci abbates aliquos ante S. Columbam haud facile admiserim ; a quo et Ionæ nomen huic insulæ demum

<sup>l</sup> Boeth. Scotor. histor. lib. 8. fol. 151. b.

<sup>m</sup> Id. lib. 10. fol. 191. a.

<sup>n</sup> Dempster. histor. ecclesiast. Scotor. num. 239.

<sup>o</sup> Vid. supra, pag. 184.

<sup>q</sup> Id. num. 461.

<sup>r</sup> Id. num. 869.

<sup>s</sup> Supra, pag. 122.

<sup>p</sup> Dempster. num. 1004.

<sup>r</sup> Id. num. 844.

<sup>t</sup> Id. num. 871.

fuisse inditum, suo loco indicabitur. Verba vero Boethii de Convallano hæc sunt: "Sub idem tempus supplicationes sacræ, quæ tribus diebus ante Christi ascensionis celebritatem fiunt, D. Mamerto Viennensium episcopo authore, sunt in Gallia institutæ; ac a Scotorum sacerdotibus, Convallano egregio Christi dogmatis concionatore suadente, magna cum veneratione receptæ. Erat Convallanus monachorum, qui in Iona insula Christo pie militabant, abbas; vita probatus, insignis doctrina. Nostri habent veteres annales (Johannis Campibelli scilicet et Veremundi; si Dempsterum<sup>w</sup> hic audire libeat) hunc multa prædixisse de Pictorum Britannorumque regni excidio, de Scotorum regum successione, Anglorumque gentis futura in Christum pietate: aperuisse permultis etiam nobilibus secretiora flagitia; quanto discriminè salutis, nisi respicerent, laborarent: unde complures iniquitatem pertæsi, sacris monitis audientes, veræ pietatis operibus sese accommodarunt."

S. Kentigerni, quem S. Servani discipulum et alumnum fuisse diximus, ortum Hector Boethius<sup>x</sup> ita explicat: "Erat ex diva Thamete (Themî, aliorum sententia) Lothi regis filia, dum ejus pudicitiam nobilis quidam adolescens (sunt qui eum asserant Eugenium III. Scotorum regem fuisse) vi expugnaret, genitus:" Thametem<sup>y</sup> vero hanc Modredi et Valvani sororem fuisse vult, filiam Lothi Pictorum regis; qui "Pithlandiæ<sup>z</sup> novum a se nomen Laudoniæ, egregiam ob probitatem, reliquerit ad posteros:" sed qui Hectoris edidit epitomen, sive Johannes Leslæus sive Robertus Turnerus, ut epistolæ ipsius produnt, ille fuerit, ex aliorum potius sententia (quos ego nullos fuisse arbitrator) Annam illi matrem tribuere maluit: "Scribunt<sup>a</sup> nonnulli," inquit, "Eugenium ex Anna, Aurelii Britonum regis sorore et hærede Pictorum regis legitima, divum Kentigernum suscepisse: qui et apud Orchardianos, et

<sup>v</sup> Boeth. lib. 9. fol. 159. a.

<sup>w</sup> Dempster. histor. ecclesiastic. lib. 3. num. 259.

<sup>x</sup> Boeth. lib. 9. fol. 167. a.

<sup>y</sup> Id. lib. 8. fol. 151. a. b.

<sup>z</sup> Id. lib. 9. fol. 164. a. et lib. 10. fol. 199. a.

<sup>a</sup> Leslæ. de reb. gest. Scotor. lib. 4. in rege XLVI.

occidentalem Scotiæ populum, necnon et apud alias gentes in divinis effatis interpretandis, illisque vita ac moribus pie effingendis, diligenter elaboravit.”

Annam illam Lothi conjugem, Utheri Pendraconis filiam, et magni Arthuri sororem fuisse, Galfridus Monemuthensis<sup>b</sup> scripserat: hoc de Arthuro insuper addito: “Lot<sup>c</sup>, qui tempore Aurelii Ambrosii sororem ipsius duxerat, ex qua Walguanum et Modredum genuerat, ad consulatum Lodonesiæ, cæterarumque comprovinciarum quæ ad eum pertinebant, reduxit.” Ubi pronomen ipsius, quod ex Galfridi mente ad Arthurum referendum fuerat, cuius sororium<sup>d</sup> Lothum fuisse voluit, Johannes Fordonus in Scotichronico, re minus attente considerata, ad Aurelium Ambrosium retulit. Indeque Fordonum secutus Johannes Major, et Majorem Hector Boethius, Annam Aurelii sororem statuit: qua ratione et Utheri soror illa fuisset, quæ in Britannica historia filia illius fuisse traditur. Verum Kentigerni matrem non ipsam Annam, sed Thametem vel Thanen Annæ filiam, Walwani et Modredi sororem, extitisse, et Fordonus, et Major, et Boethius consentiunt: et “apud Dalgarnoch Thennæ viduæ (sic enim eam nominat) S. Kentigerni matris, miraculosæ mulieris” memoriam celebrari, ex Scotiis sanctorum fastis Dempsterus<sup>e</sup> annotat: “Illud enim Hæretico Balæo dignissimum commentum, matre virgine natum Kentigernum,” fuisse asserit<sup>f</sup>: qua in re nullius homo fidei insignem in Balæum jacit et immittit contumeliam. Neque enim insanum illud commentum magis execratus est quisquam, quam Balæus<sup>g</sup> ipse; neque quicquam ab eo dictum hic est, quod non ille in Johanne Capgravio, Capgravius in Johanne Tinmuthensi scriptum invenerat: quorum uterque Kentigerni legendam exorsus sic est:

“Rex quidam in septentrionali Britanniae plaga, paganis implicatus erroribus, filiam ex uxore sua genuit

<sup>b</sup> Histor. Britannic. lib. 8. cap. 20, 21.

<sup>c</sup> Ibid. lib. 9. cap. 9.

<sup>d</sup> Ibid. cap. 11.

<sup>e</sup> Dempster. in Menologio Scotico, Julii. 18.

<sup>f</sup> Id. in histor. ecclesiastic. Scotor. lib. 10. num. 753.

<sup>g</sup> Balæ. scriptor. Britann. centur. 1. cap. 61.

speciosam : quæ sæpius audita servorum Dei prædicatione ad agnitionem veritatis, idolorum cultu penitus abdicato, meruit pervenire. Et licet baptismi gratiam nondum consecuta, viam tamen mandatorum Dei mente devota et humili custodire satagebat : orationibus crebris et eleemosynis dedita, quantum ob metum patris pagani licebat, ecclesiasticæ disciplinæ et operibus bonis sedula insistebat. Mariæ virginis integritatem fœcundam venerando admirans et diligens, præsumptuosa audacia et quadam temeritate fœminea in conceptu et partu illi assimilari et eam imitari desiderans ; assiduis precibus Regem cœlorum et Dominum super hoc deprecari sæpius cœpit. Elapso demum temporis spatio, inventa est illa in utero habens : et magnificans Deum, desiderium suum adimpletum esse simpliciter credebat. Quod enim in ea natum est de complexu humano suscepit : sed ipsa multoties asseruit et juramento constrinxit, quod a quo, vel quando, aut quomodo conceperit, in conscientia non habebat. Populus enim diœcesis sancti Kentigerni stultus et insipiens ipsum de virgine conceptum et natum adhuc astruere non veretur."

Vitam Kentigerni a Jocelino Furnesii monacho uberius ac fusius descriptam in Cottoniana bibliotheca vidimus : quæ quoniam ad manum jam non est, ex Johanne Tinmuthensi nonnulla huc spectantia visum est decerperc. Postquam igitur dixisset ; regem illum paganum, quem alii Lothum<sup>h</sup> fuisse volunt, Laudoniæ sive Pithlandiæ dominum, filiam suam gravidam deprehensam c fastigio montis Duppelder dejectam incolumem evasisse, et naviculæ coriaceæ<sup>i</sup> sine remigio impositam in locum Collenros dictum (ad Forthæ æstuarium ille situs est, quod Laudoniam a Fifa dividit) appulisse, ibique sine obstetricis ope filiolum peperisse : de S. Servano superveniente subdit : " Mane accedens ad locum, et visa matre cum filio, patria lingua dixit, Mochohe, Mochohe ; quod Latine dicitur, Chare mi, chare mi : et subjunxit : Benedictus qui venisti in nomine Domini. Suscepit ergo eos et enutrivit, ac baptizavit : vocavitque matrem Tanen, et puerum Kien-tiern,

<sup>h</sup> De quo supra, cap. 14. pag. 31.

<sup>i</sup> Vid. supra, pag. 140.

quod interpretatur capitalis dominus. Profecit ergo puer bonæ indolis in disciplinis literarum, et in exercitiis sanctarum virtutum; et præ cunctis consortibus suis in oculis sancti Servani dilectus fuit: illumque Munghu, quod Latine dicitur charissimus amicus, ex consuetudine appellavit:” quod vocabulum an Picticæ fuerit originis haud facile definiverim: licet Cul-ros juxta quam Servanus vixisse, et Fordon in qua magister ipsius Palladius vita functus fuisse traditur, ad australium Pictorum, quos Nini-anus ad fidem convertit, ditionem pertinuisse liqueat. Illud certe constat, non alio quam sancti Mungho nomine Kentigernum ad hodiernum usque diem a Scotorum vulgo compellari.

Tum, Kentigerni sub Servani disciplina educatione exposita, et ab illius sodalitate dicessu<sup>k</sup>, anno ætatis suæ vigesimo quinto Glascuensis diœceseos episcopum consecratum fuisse Johannes narrat: “Procedens inde vir Dei,” inquit, “in loco nomine Glasghu in multa abstinentia vixit: donec rex et clerus regionis Cambrensis cum cæteris Christianis, licet paucis, ipsum plurimum renitentem in pastorem et episcopum eligerent. Accito autem de Hibernia uno episcopo, more Britonum et Scotorum, in episcopum ipsum consecrari fecerunt. Mos enim in Britannia inoleverat, in consecratione pontificum tantummodo capita eorum sancti chrismatis infusione perungere, cum invocatione sancti Spiritus, et benedictione et manus impositione. Insulani enim quasi extra orbem positi, emergentibus paganorum infestationibus, canonum erant ignari: ecclesiastica ideo censura ipsis condescendens excusationem illorum admittit in hac parte. Sanctus autem Kentigernus hujus ritus errori, sicut infra dicitur, plenius satisfecit:” quod vero infra dicendum promittit, hoc est: “Vir Dei septies Romam adiens, sancto Gregorio speciali Anglorum apostolo totam vitam suam, electionem et consecrationem et omnes casus, qui ei acciderant seriatim enodavit. Sanctus vero papa illum virum Dei et Spiritus sancti gratia plenum intelligens, consecrationem ejus quam

<sup>k</sup> Vid. supra, pag. 214, 215.

a Deo noverat provenisse confirmavit: ipsoque multoties petente et vix impetrante, quæ decrant consecrationi ejus supplens, in opus ministerii a Spiritu sancto illi injuncti destinavit."

Quomodo autem Glascuensem episcopatum ille administraverit, deinceps enarrat Tinmuthensis: "Cathedralem sedem in urbe Glasguensi constituit: et magnam congregationem secundum formam primitivæ Ecclesiæ viventem ibidem ordinavit. Nondum renatos in sua diœcesi ad fidem convertit, apostatas et hæreticos sua doctrina sana ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium revocavit, dæmonum simulachra ubique subvertit, nonnullas ecclesias construxit, parochias certis limitibus distinxit: et ubique lucrum animarum quærendo proficiscens, non equo vectus, sed more apostolorum pedes ire volebat. Ne autem panem suum otiosus comederet, manibus suis in agricultura laborare consuevit." Post mortem deinde Marken regis Cambrensis sede Glascuensi pulsum, Elguensem<sup>1</sup> episcopatum suscepisse, ac tandem a Rederech sive Roderico rege revocatum veterem suam cathedram repetiisse docet.

"In Cambrensi," inquit, "regno omnibus Kentigerni inimicis diversis eladibus et vario morborum genere consumptis, regionis incolæ viam Domini relinquentes, et tanquam canes ad vomitum reversi, ad idololatriæ ritum prolapsi sunt. Cælum igitur, terra, mare, et omnia quæ in eis sunt, subtraxerunt eis obsequium et consuetum adjutorium; famesque super terram multo tempore prævaluit. Suscitavit tandem Dominus regem nomine Rederech, a discipulis sancti Patricii in Hibernia baptizatum: qui in toto corde quærens Dominum, fidem Christi reparare in regnum studebat. Direxit cum literis ad sanctum Kentigernum nuncios, obsecrans per nomen Domini et obtestans, ne pastor oves diu desolatas et sine custodia destitutas ulterius deserendo sui subtrahat curam: indignum esse asserens, ut sponsus sponsam, pastor ovile, præsul ecclesiam suam derelinquat; pro cujus amore animam ponere debet, ne mercenarius fiat. Denunciavit etiam

<sup>1</sup> Supra, cap. 14. pag. 85, 86.

defunctos esse, qui quærebant animam ejus. Admonitione igitur angelica sanctum Asaph successorem suum constituit; et cum sexcentis sexaginta fratribus terram Cambrensem repetere cœpit. Cui rex cum ingenti multitudine obviam processit, laudans Deum."

"Quos cum sanctus benedixisset, ait: Quicumque saluti hominum invident, et verbo Dei adversantur, in virtute Domini nostri Jesu Christi protinus discedant: ne credituris aliquod impedimentum ingerant. Quo dicto, sub nimia celeritate ingens larvarum multitudo, statura et visu horribilis, a cœtu illo exiens omnibus videntibus aufugit: ex quorum visione timor magnus et tremor omnes apprehendit. Confortans eos sanctus et corroborans, in quales crediderant denudavit: et ad credendum Deo viventi corda omnium astantium excitavit. Evidenti namque ratione ostendit, idola muta, figmenta hominum vana, et igni potius quam numini deputanda. Elementa etiam, quibus inesse credebant numina, creaturas esse docuit; ex conditoris dispositione, ad usum hominum et ministerium ac adjutorium esse plasmata. Weden vero, quem principalem Deum crediderunt, et præcipue Angli<sup>m</sup>, de quo originem duxerant, cui et quartam feriam consecraverant, hominem fuisse mortalem asseruit et regem Saxonum, a quo plures nationes genus duxerant. Hujus, inquit, corpore in pulverem resolato, anima in inferno sepulta æternum sustinet ignem. Cumque multa ad fidem pertinentia in planitie campi nomine Holdelin plebi prædicasset: terra, in qua sedit, in oculis omnium crevit in monticulum altum, et manet ibi usque in diem hodiernum. Omnes autem hæc mirabilia videntes, in fide instructi, baptismum susceperunt."

Hæc narratio si vera sit; inter Anglorum primos Bernicii, Kentigerni ministerio, fidem Christianam suscepisse sunt dicendi: quos in regno hoc Cambrensi sive Cumbrensi una cum Britonibus hoc tempore consedissee supra<sup>n</sup> declaravimus. Unde et in historia<sup>o</sup> Britannicâ Aurelium

<sup>m</sup> Vid. supra, cap. 12. op. tom. 5. pag. 444.

<sup>n</sup> Pag. 203, 204, 205.

<sup>o</sup> Galfrid. Monemuth. lib. 8. cap. 8. et Matth. Florileg. ad ann. 490.

Ambrosium Octlæ et Eosæ sive Ebusæ Anglo-Saxonum ducibus in fidem a se receptis dedisse regionem juxta Scotiam legimus: quod de Galvedix terra Gulielmus Caxtonus et Johannes Major accipiunt, licet Johannes Tinnuthensis, vulgarem illum a nobis jam refutatum errorem secutus, Pictis illam attribuat: de Kentigerni laboribus porro adjiciens: "Pictorum patriam quæ modo Galwedix dicitur ab idololatria et pravitate hæretica doctrina sua purgavit, Albaniam convertit, ecclesias construxit, et monasteria multa fundavit. Misit ex discipulis suis ad Orchades, Norwegiam et Islandiam luce fidei imbuendas."

Ut autem in Albania Kentigernus Scotos, si qui a B. Patricii discipulis conversi adhuc non fuerant, ad fidem Christi perduxit: ita ejusdem æqualis Columba Pictorum reliquam partem, quæ S. Niniani opera religionem Christianam nondum susceperat, nostris sacris primus imbuat. De quo venerabilis Beda, ecclesiasticæ suæ historiæ libro tertio, capite quarto: "Anno incarnationis Dominicæ DLXV. quo tempore gubernaculum Romani imperii post Justinianum Justinus minor accepit, venit de Hibernia presbyter et abbas habitu et vita monachi insignis, nomine Columba<sup>p</sup>, Britanniam; prædicaturus verbum Dei provinciis septentrionalium Pictorum, hoc est, eis quæ arduis atque horrentibus montium jugis ab australibus eorum sunt regionibus sequestratæ. Namque ipsi australes Picti, qui intra eosdem montes habent sedes, multo ante tempore (ut perhibent) relicto errore idololatriæ fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Nynia episcopo:" et libro quinto, capite decimo: "Erat Columba primus doctor fidei Christianæ transmontanis Pictis ad aquilonem; primusque fundator monasterii, quod in Hii insula multis diu Scotorum Pictorumque populis venerabile mansit. Qui videlicet Columba nunc a nonnullis composito a cella et Columba nomine, Colum-celli vocatur." Et post eum, Notkerus Balbulus in martyrologio, ad quintum Idus Junii: "In Scotia, insula Hibernia, depositio sancti Columbæ, cognomento apud suos Columkilli; eo quod multarum

<sup>p</sup> Ita in antiquissimis MSS. hic legitur; non ut in editis, Columbanus.



cellarum, id est, monasteriorum vel ecclesiarum institutor, fundator, et rector extiterit:" siquidem unus hic centum<sup>a</sup> cœnobiorum fundator fuisse traditur.

Atque hoc ille cognomento, quod apud Hibernos nostros ad hunc usque diem retinet, cum ab aliis Columbis sive Columbanis (ut enim Ninia<sup>r</sup> et Ninianus, Offa<sup>s</sup> et Offanus, ita unum et idem nomen est Columba<sup>t</sup> et Columbanus) qui non pauciores quam viginti numerantur, distinguatur; tum a celeberrimo illo Columbano, Luxoviensis in Burgundia et Bobiensi in Italiâ cœnobia conditore: quem eos etiam, qui ob hoc ipsum alios reprehenderunt, a nostro hoc non satis exquise secrete deprehendi. Melchiorem Goldastum<sup>u</sup> et Thomam Dempsterum<sup>v</sup> dico: quorum prior ex mera segnitie, (cujus diligentissimum Molanum sine omni ratione hic insimulat) citata Bedæ loca ab hoc de quo agimus Columba ad alterum Columbanum trahit; posterior, majore adhuc oscitantia, et Columbam nostrum cujus ab Adannano cum Columbano illo cujus a Iona vita conscripta habetur confundit: et superiora illa Notkeri de Columkillo verba ad alterum illum Columbanum referenda esse contendit: producta etiam, quod mireris, ad id confirmandum postrema Notkeri clausula, quæ Columkillum a Columbano S. Congelli discipulo et S. Galli magistro clarissime separat ac disjungit.

"De S. Columbæ vita et verbis nonnulla a discipulis ejus feruntur scripta haberi:" ait Beda<sup>x</sup>, et ex successoribus ipsius in Hyensi præfectura unum "Cummeneum Album librum de virtutibus sancti Columbæ scripsisse" confirmat Adamnanus<sup>y</sup>. Patria Hibernum fuisse, officia ejus ecclesiastica docent, tum in Hibernico tum in Scotico

<sup>a</sup> Jocelin. vit. Patricii, cap. 89.

<sup>r</sup> Supra, pag. 200.

<sup>s</sup> Alcuin. epist. 54. et 77. edit. Paris.

<sup>t</sup> Jonas in S. Columbani, et Walafridus Strabus in S. Galli vitæ initio Notkerus. Balbulus in hymno de Columbano. tomo 5. antiqu. lect. II. Canisii, pag. 747.

<sup>u</sup> Goldast. not. in Columbani carm. cap. 1. pag. 70, 71.

<sup>v</sup> Dempster. histor. ecclesiast. Scot. num. 245. pag. 143. et 146.

<sup>x</sup> Bed. hist. lib. 3. cap. 4.

<sup>y</sup> Adamnan. vit. Columbæ, lib. 3. cap. 5. edit. II. Canisii.

breviario: ex quorum priore, isti olim recitabantur versiculi:

Felix Hibernia Columbam genuit:  
 Qui de prosapia regali claruit;  
 Sed morum gratia magis emleuit.

Ex posteriore, isti:

Relinquens patriam caram Hiberniam,  
 Per Christi gratiam venit ad Scotiam:  
 Per quem idonea vitæ primordia  
 Rex gentis sumpsit Pictinæ.

Quibus non dissimiles Simeonis Scoti rhythmos addere liceat; qui, Alexandri regis jussu, vel acta Columbæ scripsit ipse, vel Adamnanum, cui carmen hoc adjunctum invenimus, saltem exscripsit:

Sancte Columba pater, quem fudit Hibernia mater,  
 Quem Christi numen dedit Ecclesiæ fore lumen;  
 Quæ tibi scripta damus, tibi sint accepta rogamus.  
 Nam licet indigne, tua scripsimus acta benigne;  
 Scripsimus et vitam virtutis ab arce politam.

Genus illius, in principio vitæ ejus Adamnanus ita explicat: "Sanctus Columba ex nobilibus fuit oriundus gentilibus; patrem habens Feidlymyd filium Fergus, matrem Æthneam nomine." Hujus Fergusii, patris Fedlimidii sive Felinaci, meminit Jocelinus in vita B. Patricii, capite octogesimo nono, quem scholiastes<sup>z</sup> non recte putavit magnum illum Fergusium<sup>a</sup> fuisse, Erci filium, in centesimo et trigesimo septimo ejusdem operis capitulo memoratum; qui Scotiæ regibus dedit originem. Fergusius enim S. Columbæ avus, ut ex Hibernicis libri Ballimotensis et Sliguntinigenalogiis didicimus, filius Conalli fuit, filii Nelli Næigiallach<sup>b</sup>, a quo Conallo, vel saltem, ut scholiastes ille credidit, a Conallo filio ejus, majore<sup>c</sup> natu Fergusii fratre, totus ille Ultoniæ tractus nomen accepisse existi-

<sup>z</sup> Florileg. Thomæ Messinghami, edit. Paris. ann. 1624. pag. 61.

<sup>a</sup> De quo supra, pag. 145.

<sup>b</sup> De quo supra, pag. 115.

<sup>c</sup> De quo Jucclin. in vit. Patricii, cap. 88.

matur, qui Giraldo Cambrensi<sup>d</sup> Kenel-cunnilla, nobis hodie Tir-conell appellatur.

Parentum vero simul et germanorum S. Columbæ nomenclationem hanc ad calcem Adamnani Cottoniani adjectam reperi: “ Fedlimith pater ejus, filius Ferguso. Aitlne mater ipsius, filia filii<sup>e</sup> Navis. Iogen germanus, frater Columbæ junior. Item tres germanæ sorores ejus. I. Cuiminne, mater filiorum Meic Deruil: qui nominantur Mernooc, et Lafrenc, et Meldal, et Bran qui sepultus est in Daurncalchaich. II. Alincholeth, mater filiorum Enain: quorum unus Colmaan dicebatur. III. Sineth, mater virorum Mocuccin Cuileaque: quorum nomina sunt, Aidanus monachus, qui sepultus est in Hicuilvisci; et Conrii Mocuccin, qui sepultus est in Dair-maig; Abia Cocummi Mocuccin, qui valde senio fessus presbyter sanctus in Iona insula præsentem finivit vitam.”

De Dair-maig, cujus hic facta mentio, et cœnobio a S. Columba ibidem fundato, Adamnanus, qui monasterium<sup>f</sup> Roboris sive Roboreti campi illud subinde nominat, ita meminit: “ Vir<sup>g</sup> beatus in mediterranea Hiberniæ parte monasterium, quod Scotice dicitur Dairmaig, divino fundavit nutu. Et venerabilis Beda: Fecerat<sup>h</sup>, prius quam Britanniam veniret, monasterium nobile in Hibernia; quod a copia roborum Dearnach lingua Scotorum, hoc est, campus roborum cognominatur.” Et Johannes Capgravius, vel Timmuthensis potius, in vita Columbæ: “ Roboreti monasterium, quod lingua Scotorum Armach, hoc est, campus roborum (id est, quercuum) in Hibernia est.” Eam Hector Boethius<sup>i</sup> Hermathiam vocavisse videtur. Doctissimus Camdenus<sup>k</sup> sedem nostram archiepiscopalem Armachanam a Beda eo nomine designatam, ibidemque celeberrimum monasterium circa annum salutis DCX. a Columbano fuisse extractum, existimavit: quum tamen

<sup>d</sup> Girald. Topograph. Hibern. distinct. 1. cap. 6.

<sup>e</sup> Mac-nave.

<sup>f</sup> Adamnan. vit. Columbæ, lib. 1. cap. 31. lib. 2. cap. 2. et lib. 3. cap. 19.

<sup>g</sup> Id. ibid. lib. 1. cap. 3.

<sup>h</sup> Bed. histor. lib. 3. cap. 4.

<sup>i</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 9. fol. 167.

<sup>k</sup> Camden. in Hibernia, pag. 764, 765.

ante adventum Columbæ in Britanniam et annum Christi DLXV. monasterium Dearmachanum esse constitutum ipse Beda clare indicet; atque anno DCX. non hunc sed alterum illum Columbanum, Luxoviensis et Bobiensis cœnobii conditorem, vixisse liqueat. Columbæ vero Dearmach eadem ipsa est quam Giraldus Cambrensis<sup>1</sup>, non Dernach, ut habet liber editus, sed ut MSS. Dervach vel Dermach: (literam enim M. aspiratam et V consonam eodem pene sono Cambro-Britanni<sup>m</sup> et Hiberni efferunt: quomodo et apud Latinos, in Festi epitoma, amita ab antiquioribus avita vocitata, et promulgatæ leges dicebantur quasi provulgatæ) ubi Midæ illum debellatorem Hugonem de Lacy, “a securibus male securum, dolo Hibernensium suorum” interemptum fuisse narrat. In regio comitatu ea est, Durrogh vulgo appellata: quæ monasterium habuit S. Columbæ nomine insigne; inter eujus *κειμήλια* evangeliorum codex vetustissimus asservabatur, quem ipsius Columbæ fuisse monachi dictitabant: ex quo, et non minoris antiquitatis altero, eidem Columbæ assignato, quem in urbe Kelles sive Kenlis dicta Midenses sacrum habent, diligenti cum editione vulgata Latina collatione facta, in nostros usus variantium lectionum binos libellos concinnavimus.

Ab hoc Roboreo sive Roboreti campo diversum Roboretum est illud, quod discriminis causa in melioribus Adamnani codicibus Calgachi vel Calcagi appellatur: de quo duo monachi S. Columbæ loquuntur, apud eundem, libro primo, capite secundo, “Nuper de Britannia remigantes, hodie a Roboreto Calgachi venimus.” Urbs episcopalis Derriensis illa est, Derry Columcille, hoc est, Roboretum S. Columbæ, a nostris dicta; in portu navigantibus e Iona insula maxime opportuno collocata: quum monasterium Roboris campi in mediterranea Hiberniæ parte positum fuisse docuerit Adamnanus: et quidem ultra campum Breg Midensium; ut hæc, in ineditis ejusdem Adamnani, de Librano monacho ostendit narratio: “Pro quadam monasteriali utilitate ad Scotiam (sive Hi-

<sup>1</sup> Girald. Hibern. expugnat. lib. 2. cap. 24.

<sup>m</sup> Vid. Camden. Britann. pag. 195. 496. 501. et 525.

berniam) missus valde senex, statim ut de navi descendit, pergens per campum Breg, ad monasterium devenit Roborei campi; ibidemque hospes receptus hospitio, quadam molestus infirmitate, septima ægrotationis die in pace ad Dominum perrexit, et inter S. Columbæ electos humatus est monachos." In campo autem Breg sita est Themoria sive Taraglie, vetus monarcharum Hiberniæ regia: cujus in decimo septimo capite, ex vitæ B. Patricii scriptoribus, semel atque iterum mentionem facturi, hic unicum hunc ex S. Declani actis descriptum locum subjicere satis esse putamus: " S. Declanus ad regionem Breg, ad pristinam suam patriam, perrexit: et invenit magnum honorem apud regem Themoriæ et principes regionis Breg. In regione enim Breg Themoria est: inde autem S. Declanus originem sui generis traxit."

De tempore adventus B. Columbæ in Britanniam, et totius vitæ curriculo, atque altero in Hy insula posito ab eo monasterio, hæc insuper Beda commemorat: " Venit Britanniam Columba regnante Pictis Bridio filio Meilochon rege potentissimo, nono anno regni ejus; gentemque illam verbo et exemplo ad fidem Christi convertit. Unde et præfatam insulam (Hy) ab eis in possessionem monasterii faciendi accepit. Neque enim magna est, sed quasi familiarum quinque juxta æstimationem Anglorum: quam successores ejus usque hodie tenent; ubi et ipse sepultus est, cum esset annorum septuaginta septem, post annos circiter triginta et duos ex quo ipse Britanniam prædicaturus adiit."

Adamnanus Pictorum regem hunc Brudeum<sup>n</sup> vocat: et quum primum S. Columba ad eum accessit, a fide Christiana alienum fuisse innuit<sup>o</sup>: quod et Scotici breviarii hymnus ille jam citatus clarius indicat, et scriptor vitæ Comgalli verbis hisce apertissime significat: " Venerunt aliquando beatissimi tres abbates, scilicet sanctus Comgallus, sanctus Columba, et sanctus Calinnechus, ad regem gentilem nomine Brudeum." Et Scotichronici col-

<sup>n</sup> Adamn. vit. Columb. lib. 2. cap. 20. et 28.

<sup>o</sup> Id. ibid. cap. 22.

lector, illis: "Eum sanctus Columba Pictiniam adveniens ad fidem convertit." Hector<sup>p</sup> vero Boethius ad Laudoniam usque Brudei regnum extendit; regemque cum gente Pictorum a Pelagiana peste S. Columbam liberavisse asserit: "Progressus in Laudoniam," inquit, "Brudeum Pictorum regem (erat is Lothi regis, de quo ante memoratum est, nepos ex fratre cui Melothon nomen: et ob id Lotho sua cum posteritate extincto Pictorum regno admotus) simul cum gente pie docendo ac disserendo de Christianæ fidei arcanis a Pelagii delirio, quam pestem Pictorum quidam longa cum Britannis consuetudine docti secum domum retulerunt, purgavit, veraque religione instituit." Verum Laudoniam eo tempore non ad Pictos sed ad Britones et Anglos pertinuisse jam docuimus<sup>q</sup>: et tum ex Beda tum ex Adamnano<sup>r</sup> certo constat, in Pictis ab idololatria et superstitione ethnica ad fidem Christi convertendis S. Columbam omnem suam curam atque operam posuisse: ut eunquæ Boethius id dissimulaverit, atque in Pelagiana hæresi Pictorum quorundam mentibus insita evellenda potissimum eum laboravisse credere nos voluerit.

Quum vero anno incarnationis Dominicæ DLXV. et nono regni Bridii Columbam adisse Britanniam, in Beda Hermannus Contractus legeret; anno Christi DLVII. Bridium regnare cœpisse retulit. Indeque in vulgato Marcellini comitis chronico, Indictione V. anno post consulatum Basilii XVI. annotatum legimus: "In Britannia Bridus rex Pictorum efficitur." Nam et hujus et sequentis et sex præcedentium annorum res gestas, ex Johannis Cuspiniani in Cassiodori consulares fastos commentariis descriptas, ad hos annales ausu temerario Onuphrius Panvinius attexuit: quum eas non ex Marcellini aliquo codice, sed ex Hermanni Contracti<sup>s</sup> chronico Cuspinianus desumpsisset. Quod minus animadvertens eruditissimus Scaliger, non solum Onuphrii errorem hunc in nova sua editione non correxit; sed etiam subdititii hujus Marcellini autho-

<sup>p</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 9. fol. 166. b.

<sup>q</sup> Supra, pag. 202, 207. Vid. Bed. hist. lib. 1. cap. 12. et lib. 4. cap. 26.

<sup>r</sup> Vid. Adamn. vit. Columbæ, lib. 2. cap. 10, 18, 19.

<sup>s</sup> Tom. 1. antiqu. lect. Henr. Canisii, pag. 480, 481, 482.

ritate fretus, sub finem sexti<sup>1</sup> libri de emendatione temporum, in veterum Francorum regum initiis constituendis et ipse lapsus est, et e via alios secum pariter abduxit.

Anno Christi DLXV. si triginta et duos addamus annos, quos ab adventu in Britanniam ad exitum Columbæ Beda numerat, DXCVII. emerget annus, tempori mortis illius assignandus: quam sequenti anno a Sigeberto Gemblacensi et Matthæo Florilego, præcedenti ab Hermanno Contracto videmus attributam. Est autem ex Adamnani<sup>u</sup> relatione clarum, diem Sabbati supremum illi vitæ fuisse; et media nocte sequente, ad Dominicam spectante, Deo animam illum reddidisse. Quum igitur Junii die nono obiisse illum constet, martyrologiis omnibus, Romano, Bedæ, Usuardi, Notkeri, et commemoratione nostratium, hodierna in illud consentientibus; atque cum media nocte Romani civiles suos dies et incipere soleant et terminare: num nox illa media, qua Columbam decessisse diximus, diem Junii nonum vel inchoaverit vel finierit, quæstionis quid habet. Quod si ineunte nono die Junii is decesserit, ad annum Domini DXCVII. cum Beda; sin desinente, ad annum DXCVI. cum Hermanno mors ejus erit referenda: pro quo etiam Tigernaci faciunt annales; in quibus “Quies Columell in nocte Dominicæ Pentecostes” contigisse memoratur. Anno enim DXCVI. juxta Alexandrinorum saltem et Dionysii Exigui rationes, ad quas solas respectum videtur habuisse Tigernacus, Dominica Paschalis in diem vigesimum secundum Aprilis (quo mense a Columba etiam cum suis Paschalem solemnitatem peractam fuisse Adamnanus<sup>v</sup> indicat) et Pentecoste in Junii diem incidit decimum, Romano more a media<sup>v</sup> nocte, quæ die nono finem dedit, inchoatum.

Nos vero, uti cum Beda anno DXCVII. Columbam ex hac vita migravisse non gravate admittimus; ita ante annum DLXV. ex Hibernia in Britanniam eum migravisse censemus: licet eundem annum, Bedam etiam secuti, Fabius Ethelwerdus, annales Anglo-Saxonici, Florentius Wigorniensis, Contractus, Henricus Huntingdoniensis<sup>x</sup> et

<sup>1</sup> Pag. 578. edit. ann. 1598.

<sup>u</sup> Adamnan. lib. 3. cap. 18. 30, 31.

<sup>v</sup> Id. ibid. cap. 27.

<sup>x</sup> Histor. lib. 3.

Johannes Timmuthensis, primo illius in Britanniam adventui assignaverint. Adamnanus enim Heyensis abbas, Beda aliquanto antiquior, utpote annis prius viginti septem mortuus quam ecclesiastica ab hoc edita est historia, Columbam “anno<sup>o</sup> secundo post Culedreibne bellum, ætatis vero suæ quadragesimo secundo de Scotia (sive ut MS. meus eodem sensu habet, Hibernia) ad Britanniam, pro Christo peregrinari volentem, enavigavisse” narrat. Hoc vero prælium anno DLXI. commissum fuisse, ex Ultoniensibus annalibus intelligimus: necnon anno DLXV. occisum esse regem Dermitium, cujus insidias ac odium capitale declinantem S. Columbam in Britanniam secessisse ineditus vitæ ejusdem sancti scriptor prodidit. Ita biennio citius in Britanniam pervenisset Columba noster, et biennio longius ibidem fuisset commoratus, quam a Beda est traditum. Cum enim hic sepultum fuisse illum dicat “post annos circiter duos et triginta, ex quo ipse Britanniam prædicaturus adiit;” Adamnanus, cui, in Columbæ rebus præsertim, major fides est adhibenda, in<sup>z</sup> Britannica illius peregrinatione triginta quatuor annos completos fuisse confirmat: quibus ab anno mortis ipsius DXCVII. deductis, relinquitur DLXIII. ad quem navigationem Columcelli de Hibernia in Ultoniensibus etiam annalibus relata invenimus: una cum Mona-dairensi prælio, quod Onde-Monense illud fuisse minime dubitamus, de quo in Adamnani de S. Columba ἀνεκδότοις ista legimus: “Post bellum Cule-drebene, sicuti nobis traditum est, duobus transactis annis (quo tempore vir beatus de Scotia peregrinaturus primitus enavigavit) quadam die, hoc est, eadem hora qua in Scotia commissum est bellum quod Scotice dicitur Ondemone, idem homo Dei coram Conallo rege filio Comgill in Britannia conversatus, per omnia enarravit tam de bello commisso, quam etiam de illis regibus quibus Dominus de inimicis victoriam condonavit: quorum propria vocabula, Ainmerius filius Setui, et duo filii Maic Erce, Domnallus et Foreus. Sed et de rege Cruithniorum qui Echodius Laib vocitabatur, quemadmodum victus curru insidens evaserit, similiter Sanctus prophetizavit.”

<sup>y</sup> Adamnan. lib. 1. cap. I.

<sup>z</sup> Id. ibid. et lib. 3. cap. 26.



Eum autem "cum duodecim commilitonibus discipulis ad Britanniam transnavigavisse" Adamnanus<sup>a</sup> auctor est: quorum catalogum in appendice libri Cottoniani ita consignatum reperi: "Hæc sunt duodecim virorum nomina, qui cum S. Columba de Scotia primo ejus transitu ad Britanniam transnavigaverunt. Duo filii Brendin: Baithe, qui et Comin, sancti successor Columbæ; et Cobthach frater ejus. Ernaan, sancti avunculus Columbæ. Diormitius ejus ministrator. Rus et Fethuo, duo filii Rodaini. Scandal filius Bresail, filii Endei, filii Neil. Luguid, Mocutheimno, Echoid, Thorannu, Mocufir, Cetea Cairnaan filius Branduib filii Meilgi, Grillaan:" cum quibus et illa Hectoris Boethii<sup>b</sup> sunt conferenda: "venere cum eo in Albionem viri duodecim Christi dogmate insigniter imbuti, sed magis longe sanctissimis decorati moribus. Bathenus et Cominus; qui post Columbæ exitum monachorum claustris præfecti inter Scotos haud mediocre Christi Ecclesiæ decus attulere. Cibthacus et Ethernanus Columbæ nepotes ex fratre, Christi sacerdos uterque: Domitius, Ruthius et Fethuo; haud parum natalium amplitudine, sed magis longe religione honestati. Scandalaus, Eglodius, Totaneus, Moteferus, et Gallanus. Hi viri Columba in Hiberniam transmittente, sedem statuente in Iona insula, Scotorum Pictorumque regiones piis lustrando sudoribus, docendo, disserendo, scribendo utrumque populum optimis moribus et religione imbuerunt." His addit Johannes Fordonus Constantinum etiam Cornubiensium quondam regem; de quo in præcedente<sup>c</sup> capite est dictum: "Contemporaneus fuit sancto Columbæ, inquit ille, sanctus Constantinus rex Cornubiæ; qui relicto regno terreno, regi cœlesti meditari cœpit: et cum S. Columba ad Scotiam pervenit, et fidem Scotis prædicavit et Pictis. Monasterium fratrum in Govane instituit juxta Cludum, quibus ipse abbas præfuit: totam terram de Kentyre convertit, ubi ipse martyr pro fide occubuit: et in suo monasterio apud Govane sepelitionem accepit."

<sup>a</sup> Adamnan. lib. 3. cap. 4.

<sup>b</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 9. fol. 166, 167.

<sup>c</sup> Supra, cap. 14. pag. 59, 60.

Et ne de duodecim viris illis Columbiensibus frustra dixisse putaretur Boethius, scribendo Scotorum Pictorumque populum eos erudivisse: Thomas Dempsterus, solita fretus licentia, scripta hæc illis attribuit: I. S. Batheno<sup>d</sup> (sive Baitheneo, cujus apud Adamnanum in vita Columbæ crebra occurrit mentio) Acta Columbæ magistri, librum unum; De monasticæ vitæ laude, libros tres; Enchiridion precum, librum unum. II. S. Comino<sup>e</sup> (quem Adamnanus, vel saltem appendicis ad illum adjectæ scriptor, eundem cum Baitheno facit) De vera pietate, librum unum, (cujus Bostonum Buriensem meminisse falso significat :) et In Apocalypsim, librum unum. III. S. Cibthaco<sup>f</sup> (sive Cobthacho) De gentilium erroribus, librum unum; De gratia Dei, librum unum; De gubernatione Dei, librum unum; et Epistolarum, librum unum. IV. S. Ethernano<sup>g</sup> (monasterio Divini ruris, si huic credimus, præposito) Gesta Columbæ avunculi, librum unum. Quem enim Boethius et ipse Dempsterus alibi<sup>h</sup> fratris, hic sororis S. Columbæ eum facit filium: quanquam is non alius omnino fuisse videatur quam Ernanus ille presbyter, quem S. Columbæ avunculum fuisse docet Adamnanus<sup>i</sup> et quem scripsisse fingit Dempsterus<sup>k</sup>, Exhortationum ad fratres in Himba insula, librum unum, et In regulam B. Columbæ, librum unum. V. S. Domitio<sup>l</sup> (vel Diormitio potius, S. Columbæ ministratori<sup>m</sup>) Sermones ad fratres, librum unum; Sanctæ vitæ regulam, librum unum; Epistolas ad Columbam magistrum, librum unum; Meditationes, librum unum. VI. S. Ruthio<sup>n</sup> (qui aliis Rus est) Sermones de sanctis, librum unum; De vita monastica, librum unum. VII. S. Fethuoni<sup>o</sup>, Epistolarum ad patres in Iona, librum unum. VIII. S. Scandalao<sup>p</sup>, Bresaili filio, Ad fratres in Iona, librum

<sup>d</sup> Dempster. hist. ecclesiast. Scot. num. 123.

<sup>e</sup> Id. ibid. num. 250.

<sup>f</sup> Ibid. num. 235.

<sup>g</sup> Ibid. num. 459.

<sup>h</sup> Ibid. num. 235.

<sup>i</sup> Lib. 1. cap. 27.

<sup>k</sup> Dempster. hist. ecclesiast. Scot. num. 464.

<sup>l</sup> Ibid. num. 367.

<sup>m</sup> Hujus Adamnanus lib. 1. cap. 25. et alibi meminit.

<sup>n</sup> Dempster. hist. ecclesiast. Scot. num. 1036.

<sup>o</sup> Ibid. num. 535.

<sup>p</sup> Ibid. num. 1034.

unum. IX. Eoglodio<sup>q</sup> (sive Echoido) Columbæ magistri vitæ, librum unum, et Epistolarum ad Hibernos, librum unum. X. S. Totanco<sup>r</sup> (sive Thorannuo) Regulam ad fratres, librum unum. XI. S. Motefero<sup>s</sup> (sive Moenfiro) Ad monachos in Iona insula, librum unum. XII. S. Gallano<sup>t</sup>, Acta magistri Columbæ, librum unum; et Exhortationem ad monachos, librum unum.

IONA insula, in qua duodecim hosce viros sedem statu-isse affirmat Boethius, ab Adamnani editoribus passim IOVA mendose exarata legitur. Ab Hebraica origine nomen illud deducit Fordonus in Scotichronico, et Latine Columbam sonare notat, quasi a nobilissimo suo incola S. Columba illi inditum; de quo in secundæ suæ præfationis exordio Adamnanus: “ Vir erat vitæ venerabilis et beatæ memoriæ, monasteriorum pater et fundator, cum Iona propheta homonymon sortitus nomen. Nam licet diverso trium diversarum sono linguarum, unam tamen eandemque rem significat, hoc quod Hebraice dicitur IONA, Græcitas vero PERISTERAN vocitat, et Latina lingua COLUMBA nuncupatur.” Simeonem etiam Scotum similiter Latino et Hebraico illo nomine indifferenter usum animadvertimus, in illo votorum suorum epilogo :

— pater et patrone COLUMBA,  
 Ensis Scotorum sis et munimen eorum.  
 Auxiliumque boui, prece, fer servo Simeoni;  
 Hæc qui verba precum tibi scribere duxerat æquum.  
 Willelmoque, IONA, sacer affer cælica dona;  
 Hunc librum clare qui dignum duxit arare.

Hinc, qui Bedæ Hyenses<sup>u</sup> monachi, Ceolfrido apud eundem<sup>v</sup> Columbienses sunt dicti: eorundemque rector<sup>w</sup> Segenius a Cummano<sup>x</sup> abbas Columbæ sancti est appellatus. Quæ enim Adamnano Iona hodieque Y Columcille vocatur, Bedæ Hy, in vita S. Edi et S. Fintani Hya, in vita S. Ythæ, virginis Hibernicæ, Yth, in vita S. Cainici

<sup>q</sup> Dempster. hist. ecclesiast. Scot. num. 491.

<sup>r</sup> Ibid. num. 1114.

<sup>s</sup> Ibid. num. 872.

<sup>t</sup> Ibid. num. 556.

<sup>u</sup> Bed. ecclesiast. histor. lib. 5. cap. 13.

<sup>v</sup> Ibid. cap. 22.

<sup>w</sup> Ibid. lib. 3. cap. 5.

<sup>x</sup> Epist. Hibernic. Sylloge: in epistolæ 11. ἐπιγραφῶν.

Hithe, in vita S. Blaithmaic, a Walafrido Strabo descripta, Eo<sup>x</sup>, in Tigernaci atque Ultoniensibus annalibus Ia nuncupatur. Ludibrium enim omnibus Thomas Dempsterus<sup>y</sup> debet, qui ex Hydestinati, Hu vel Hy, et Ionæ nominibus tres nobis effingit insulas: primo illo, hactenus nobis inaudito, ex Bedæ verbis hisce conferruminato vocabulo: "Monachus<sup>z</sup> erat episcopus Aidan; utpote de insula quæ vocatur Hy destinatus:" quum alio tamen in loco ipse Beda nomen hoc proprium a participio, vocibus haud paucis interjectis, late longeque discluserit: de Aidani successore Finano simili scribens modo: "Successit ei in episcopatum Finan, et ipse illo ab Hy Scotorum insula ac monasterio destinatus." Et de Finani quoque successore Colmano: "Venit<sup>a</sup> ad insulam Hy, unde erat ad prædicandum verbum Anglorum genti destinatus." Simplici vocali tertia nomen hujus insulæ in vita S. Brendani abbatis Birræ (de quo in septimo decimo capite dicendum erit) ita expressum invenitur. "Columba, cum ex Hibernia patria in exilium trans mare proficisci voluisset nuncium misit ad senioreni Brendanum abbatem Birræ (quem Deus donavit spiritu discretionis et concilii in dirigendis quibuscunque per vias maxime gratas Deo et utilissimas consilio capientibus) ut sibi indicaret quem locum specialiter deligeret sibi manendi in exilio. Tum Brendanus in cælum aspiciens et paulisper tacens, ac cogitantis instar jussit terram fodi sub pedibus nuncii Columbæ: sub quibus invenerunt lapidem, quem de terra levatum diligenter intuens Brendanus invenit in eodem figuram literæ seu alphabeti characteris I. Et conversus ad nuncium qui Columbæ minister erat, ait, Renuncia tuo magistro Columbæ in hæc verba: I. id est, abi in insulam I. nam ibi invenies augmenta virtutum, et inde multæ animæ in cælum ibunt; et locus idem habebit magnum honorem."

At si Hectori Boethio credere volumus, longe ante S. Columbæ et comitum ipsius adventum Ionam insulam a viris religiosis cultam fuisse dicendum erit. Ille enim de

<sup>x</sup> Tom. 6. antiqu. lect. H. Canis'i, pag. 572.

<sup>y</sup> Dempster. apparat. ad hist. Scotie. lib. 1. cap. 15. num. 5, 6, et 11.

<sup>z</sup> Bed. histor. lib. 3. cap. 3.

<sup>a</sup> Id. lib. 4. cap. 4.

Scotorum gente a Maximo Romanorum legato extra Britanniae fines pulsa<sup>b</sup> verba faciens; “Exulabant<sup>c</sup> per idem tempus,” inquit, “Christi sacerdotes ac monachi quicumque Scotici erant nominis; quorum magna pars in Hebrides delata, in Iona insula sacrum constituere cœnobium, multis veræ pietati deditis ad hanc nostram usque ætatem insigne: dubium an viris an fœminis, sanctitate plus pollentibus; nam secretis ædibus religiosam colebant vitam. Multa exinde per secula celebrius auctum est hoc cœnobium, cum modicis primum fuisset cœptum initiis, et piorum numero, et prædiis ad sumptus collatis, et multorum postea regum donariis. Effectum parvo post tempore commune Scotorum regum cœmeterium.” Finito enim illo exilio, ut idem postea addit, “Restituit<sup>d</sup> Fergusius templa diruta aut populi defectu neglecta; sacris ministris, ad Dei cultum, sacerdotiis donatis. Qui exularant monachos, reduces mira charitate amplexus, ut populum vera imbuerent pietate, structis ad id patrio ritu cellulis quibusdam, ad vitæ necessaria prædiis donavit. Ionæ abbatiam condidit, ubi Scotorum regum deinceps voluit esse sepulchrum: institutis sepulchralibus quibusdam religiosis ceremoniis, in regum funeratione peragendis; impensis ad sumptus e vicinis agris insulisque tributis.”

De libris, post direptam ab Alarico urbem inde ab eo abductis atque in Ionæ monasterio repositis, ab Hectore decantatam fabulam jam ante<sup>e</sup> recitavimus: quam etiam in historiæ præfatione, ad regem Jacobum V. idem brevius sic edisserit: Fergusius “capta Roma, unus ex ducibus, forte quadam librorum præda potitus, haud quaquam aureis aliorum pateris lapillisque quantumvis pretiosis inferiore, eam summa cura in Scotiam deportatam adhibitis custodibus extractoque monasterio adservandam in Iona dederat. Quanquam ob eustodum incuriam, quæ temporum illorum infelicitati imputari debet, ignorantium quem illic reconditum servarent thesaurum, præter crosa quædam fragmenta illorum nobis haud multum, magno pro-

<sup>b</sup> Supra, pag. 120.

<sup>d</sup> Id. lib. 7. fol. 119.

<sup>c</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 6. fol. 110. b.

<sup>e</sup> Supra, pag. 125.

fecto optimarum literarum dispendio, reliqui factum est." De Fergusii quoque filio et proximo successore hæc insuper idem<sup>f</sup> narrat: "Rex Eugenius salutatus, ut a pietate administrationem inchoaret, patris reliquias effossas loco, ubi Romanis urgentibus armis erant reconditæ, funebri pompa in Ionam insulam delatas, uti jusserat vivens Fergusius, Christiano ritu, destinato ad id loco sepelivit. Actis inde aliquot per dies parentalibus: viros pietati eo loco addietos, ut fructus cœnobii (seu, ut vulgatius loquar, abbatia) qui tunc admodum erant exiles, ad sumptus suppetent, prædiis atque proventibus variis vicinis ex insulis donavit. Erat Fergusii funus omnium Scotorum regum primum in Ionam delatum. Mansit exinde locus regum sepulturæ sacer, usque ad Malcolmi tertii regis tempora cui ob capitis molem Can-mor, id est, caput majus, vulgo nomen fuit adjectum:" a quo, "D. Margaritæ reginæ suasu, abbatia Downfermlin, id est, in monte infirmorum structa et multis prædiis ab eodem rege donata; ut illuc deinceps regum funera efferrentur, publico edicto est constitutum."

Et quidem Fergusium, una cum duobus fratribus Lorn<sup>g</sup> et Cenogo sive Tenego Erei filiis, in Iona insula sepultos fuisse, etiam in antiquiore Britannia chronico, et in Johannis Fordoni Scotichronico notatum invenimus: in quorum posteriore de eadem quoque insula leguntur ista: Ibi "duo monasteria sunt fundata, unum nigrorum monachorum, aliud sanctarum monialium ordinis S. Augustini rochetam deferentium; et ibi refugium<sup>h</sup>. Monasterium vero monachorum usque ad tempus regis Malcolmi, viri sanctæ Margaretæ, fuit locus sepulturæ et sedes regalis quasi omnium regum Scotia et Pietiniæ." Sed magis luculentam hujus insulae descriptionem ita nobis exhibuit, in libro rerum Scoticarum primo, Georgius Buchananus: Est ea "longa duo millia passuum, supra mille lata: fertilis quidem omnium, quæ ea cœli plaga gignere solet, et veteribus, ut in ea gente, monumentis illustris; sed D.

<sup>f</sup> Boeth. lib. 7. fol. 122.

<sup>g</sup> Baruo et Tenago; Jo. Majori, de gest. Scot. lib. 2. cap. 1.

<sup>h</sup> Asylum, seu locus perfugii.

Columbi severa disciplina et sanctitate clarior. Erant in ea duo monasteria, alterum monachorum, alterum monacharum: curia una, sive, ut nunc loquuntur, parochialis ecclesia, multaque sacella ex munificentia regum Scotorum et regulorum insularorum.”

“ In cœnobio veteri D. Columbi insularum episcopi sedem statuerunt, vetere domicilio, quod erat in Eubonia<sup>i</sup>, ab Anglis capto. Remanet adhuc inter veteres ruinas sepulcretum, sive cœmiterium commune omnium nobilium familiarum, quæ in occidentalibus insulis habitabant. Eminent inter cæteros tumuli tres modicis intervallis distantes, tribus impositis domunculis in orientem versis. In occidentali cujusque parte lapis inscriptus, quorum tumuli sint, indicat. Qui medius est titulum habet, TUMULUS REGUM SCOTIÆ. Ferunt enim quadraginta octo reges Scotorum ibi fuisse humatos. In dextro incisus est titulus, TUMULUS REGUM HIBERNIÆ. Quatuor enim reges Hiberniæ illic conditi fuisse dicuntur. Qui est in sinistra parte inscribitur, TUMULUS REGUM NORVEGIÆ. Hujus enim gentis octo reges illic fuisse sepultos, fama est. In reliquo cœmiterio seorsum claræ insularum familiæ habent sua conditoria. Circa eam sex proximæ insulæ exiguæ, nec tamen infœcundæ, ab antiquis regibus, et insularum regulis cœnobio Columbæ donatæ fuerunt.”

In omnibus vero monasteriis a S. Columba et discipulis ejus tum<sup>k</sup> in Britannia tum in Hibernia constitutis, insularum hoc monasterium principatum tenuisse testatur Beda: ita ut “ in<sup>l</sup> cunctis pene septentrionalium Scotorum (tam Ultoniensium scilicet in Hibernia, quam Dalreudinatorum in Britannia) et omnium Pictorum monasteriis non parvo tempore arcem tenuerit, regendisque eorum populis præfuerit.” Unde temporum gradus, quibus Dionysii Exigui et Alexandrinorum rationes paschales in Britannicas nostras insulas sunt introductæ, enarrans idem, observat; I. “ Gentes<sup>m</sup> Scotorum, quæ in australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, ad admonitionem

<sup>i</sup> Mannia. Vide supra, pag. 183.

<sup>k</sup> Bed. ecclesiast. hist. lib. 3. cap. 4.

<sup>l</sup> Ibid. cap. 3.

<sup>m</sup> Id. ibid.

apostolicæ sedis antistitis Pascha canonico ritu observare didicisse:" septentrionali Scotorum provincia, et omni natione Pictorum, patriam suam consuetudinem adhuc retinente. II. Adamnanum Heyensem abbatem (eundem illum, a quo res S. Columbæ descriptas habemus) "Scotis<sup>n</sup> in Hibernia prædicantem, plurimos eorum, et pene omnes qui ab Hyensium dominio erant liberi, ab errore avito correctos," legitimum Paschæ tempus observare docuisse; quum tamen "suos qui erant in Hy, quive eidem erant subditi monasterio," ad sententiam suam pertrahere non valeret. III. "Naitanum<sup>o</sup> regem Pictorum, qui septentrionales Britannæ plagas inhabitant," Ceolfridi abbatis literis admonitum, per universas provincias Romanum observandi Paschatis morem propagavisse: Hyensibus tamen monachis institutum suum pristinum deserere renuentibus. IV. Ecgbertum presbyterum, qui<sup>p</sup> in Hibernia peregrinam ducebat vitam, "ad Columbæ monasteria docenda perrexisse;" atque "illos<sup>q</sup> quoque qui insulam Hy incolebant monasteriis," ad ritum Paschæ canonicum perduxisse: Britonibus inveteratam parentum suorum traditionem mordicus etiam tunc tenentibus.

"Habere<sup>r</sup> autem solet ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum, cujus juri et omnis provincia et ipsi etiam episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti; juxta exemplum primi doctoris illius, qui non episcopus sed presbyter extitit et monachus:" uti apud eundem Bedam legimus. Cujus verbis non probe perceptis, abbatem monasterii illius "contra morem ecclesiasticum primatem omnium Hiberniensium habitum esse episcoporum," satis inconsiderate pronunciavit Notkerus Balbulus<sup>s</sup>: quum Hyensem insulam, et Pictorum provinciam, cujus Columba primus doctor celebrabatur, Beda intellexerit. Nam et exiguam illam insulam non abbatem solum sed etiam episcopum habuisse, Ultonienses nos docent annales: ex qui-

<sup>n</sup> Bed. ecclesiast. hist. lib. 5. cap. 16.

<sup>o</sup> Ibid. cap. 22.

<sup>q</sup> Ibid. cap. 23.

<sup>s</sup> Notker. Martyrolog. V. Id. Jun.

<sup>p</sup> Ibid. cap. 10.

<sup>r</sup> Id. lib. 3. cap. 4.



bus primorum abbatum seriem operæ pretium fortasse fuerit cognoscere :

- Anno Christi  
DLXIII. I. Columba, annis triginta et quatuor. Tot enim annis insulanum militem eum fuisse affirmat Adamnanus<sup>1</sup>.  
DXCVII. II. Baithenus, quem S. Columbæ alumnum et successorem appellat Adamnanus<sup>2</sup>, familiarissimum discipulum Notkerus Balbulus, anno uno. Extat illius vita, in qua Fintani filii Lippani viri sapientissimi hoc de illo legitur testimonium ; “ scitote quod nullus citra Alpes (excepto Columba magistro) compar illi in cognitione divinarum Scripturarum et in magnitudine scientiæ reperitur.”  
DXCVIII. III. Ferganus<sup>3</sup>, annis viginti quinque.  
DCXXXII. IV. Segenius, cujus Cumnianus<sup>4</sup>, Adamnanus<sup>5</sup> et Beda<sup>6</sup> meminerunt, annis viginti et novem.  
DCLII. V. Suibnens filius Curthri, annis quinque.  
DCLVII. VI. Cummincus Albus, cujus superius<sup>7</sup> ex Adamnano facta est mentio, annis duodecim.  
DCLXIX. VII. Failbeus, quem decessorem suum appellat Adamnanus<sup>8</sup>, annis decem.  
DCLXXIX. VIII. Adamnanus, a quo rex Columbæ descriptas habemus, annis viginti quinque. Ejus cum laude meminit Ceolfridus<sup>9</sup> abbas, et qui sub ejus regimine vixit, Beda<sup>10</sup>. Recteque hunc ab altero ejusdem nationis et temporis Adamnano, Colndio sive Coldinghamensi monacho, ab eodem Beda<sup>11</sup> item commemorato, Johannes Trithemius<sup>12</sup> distinguit : licet Balæus<sup>13</sup>, Possevinus, et alii eos postea confuderint.  
DCCIV. IX. Conainus filius Failbei, annis sex.  
DCCX. X. Dunchadus filius Cinfælxæ, annis septem.

Sub hoc Dunchado Hyenses monachos Romanum paschalis temporis observandi morem, Egberti presbyteri suasu, suscepisse notat Beda<sup>14</sup>, anno ab incarnatione Domini DCCXVI. et quidem quarto Calendas Septembris, die Sabbati : ut Ultonienses habent annales : in quibus etiam, anno proxime sequente et Dunchadi abbatis obitum consignatum invenimus, et “expulsionem familiæ Iæ (id est, Hyensis hujus insulæ) trans Dorsum<sup>15</sup> Britannia, a

<sup>1</sup> Adamnan. vit. Col. lib. 1. cap. 1.      <sup>2</sup> Id. lib. 1. cap. 2. et lib. 3. cap. 22.

<sup>3</sup> Virgnows Adamnano, lib. 3. cap. 23. (vel 22. Augiensis MS.)

<sup>4</sup> Epist. Hibernicar. sylloge : in epist. XI. ἐπιγραφῶν.

<sup>5</sup> Adamnan. lib. 1. cap. 3. et lib. 2. cap. 4.

<sup>6</sup> Bed. lib. 3. cap. 5.

<sup>7</sup> Supra, pag. 229.

<sup>8</sup> Adamnan. lib. 1. cap. 3.

<sup>9</sup> Bed. lib. 5. cap. 22.

<sup>10</sup> Ibid. cap. 16.

<sup>11</sup> Id. lib. 4. cap. 25.

<sup>12</sup> Trithem. de viris illustrib. ord. Benedicti, lib. 3. cap. 124. et 153.

<sup>13</sup> Balæ. centur. 14. cap. 25.

<sup>14</sup> Bed. lib. 5. cap. 23.

<sup>15</sup> Drum-Albain.

Nectano rege" factam: qui idem Naitanus ille Pictorum rex fuisse videtur, a quo Romanam celebrandi Paschatis consuetudinem in subjectas sibi provincias introductam fuisse jam ex Beda diximus. Pictorum enim hanc fuisse insulam Walafridus Strabus<sup>1</sup> cecinit:

Insula Pictorum quædam monstratur in oris  
Fluctivago suspensa salo, cognominis Eo;  
Qua sanctus Domini requiescit carne Columba.

Eamque a Pictis S. Columbam " in possessionem monasterii faciendi acceperisse" Beda<sup>k</sup> tradidit: " Quæ videlicet insula (sic scribit ille<sup>l</sup>) ad jus quidem Britanniae pertinet, non magno ab ea freto discreta, sed donatione Pictorum, qui illas Britanniae plagas incolunt, jamdudum monachis Scotorum tradita, eo quod illis prædicantibus fidem Christi perceperunt." Quanquam quum situm insulae attentius considero, a Britonum et Pictorum finibus longius remotum, atque Mulæ et Coluansæ Hebridianorum insulis (quæ sunt Adamnani Malea<sup>m</sup> et Colosus) proxime propinquum: eo inclinatus animus, ut Tigernaci et Ultoniensium annalium collectoris sententiam magis approbandam existimem; qui a Conallo Comgalli filio rege<sup>n</sup> Dalriadae insulam Iæ (sic enim eam vocant) Columbæ cilli oblatam fuisse tradiderunt. Conallo videlicet, ut eum Fordonus etiam appellat, sive Convallo illo de cujus religione<sup>o</sup> mira sunt quæ memoriæ sunt prodita. Ea pluribus Hector Boethius explicat; hæc etiam, inter alia, adjiciens.

"Fama tantæ in rege religionis sanctissimum Columbam ab Hibernia, ubi haud paucis patrum cœnobiis præfuit, cum piorum cœtu pertraxit in Albionem. Brevi hujus viri sanctitas inter Scotos Pictosque inclaruit, adeo ut undique ad eum frequentes confluerent mortales: felices se arbitrati, si tantum virtutis exemplar daretur aliquando coram intueri. Contraxit is monachos sparsos ad id tempus ac solivagos in unum; indeque per cœnobia, quæ Convalli pietas struxerat, distributos, moribus et vita parum

<sup>1</sup> Strab. in vita. S. Blaithmaici; tomo 6. antiqu. lect. H. Canisii, pag. 572.

<sup>k</sup> Bed. lib. 3. cap. 4.

<sup>l</sup> Ibid. cap. 3.

<sup>m</sup> Adamnan. lib. 1. cap. 21. et lib. 2. cap. 16.

<sup>n</sup> Ri Dalriada. Tigernac. annal.

<sup>o</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 9. fol. 166.

vulgatæ observationis instituit." Neque enim inter septentrionales tantum Pictos, ad fidem a se conversos, versatus est Columba; sed etiam usque ad maxime australes Scotorum et Pictorum terminos progressus est, fretum nimirum Dunbritanicum et Edenburgicum; non procul a priore cum Kentigerno Glascuensi episcopo congressus; in alterius insula, Æmonia dicta, haud parvo tempore commoratus. Sic enim in Johannis Fordoni Scotichronico de ea scriptum legimus: "Insula ad occidentem distans ab Inche-kethl vocatur Æmonia, inter Edenburg et Innerkethin; quam quondam incoluit, dum Pietis et Scotis fidem prædicavit, sanctus Columba abbas; in qua est monasterium canonicorum regularium S. Augustini. Saint Colmy's Inche<sup>p</sup> vulgariter nuncupatur."

Kentigerni et Columbæ congressionem a Hectore Boethio<sup>q</sup> ita habemus descriptam: "Tenuit Kentigernus primariam sacri magistratus sedem Glasghu, (aliud tum loco nomen fuisse crediderim) quicum sanctissimus abbas Columba sacro colloquio congressus, multa de Christianæ religionis arcanis pie et erudite coram Brudeo rege descriuit. Aliquanto post tempore Kentigernus Columbam ad Castrum Calidoniæ comitatus in cœnobio, quod Convallus suadente Columba recenter extruxerat, Atholos, Calidionios, Horestos ac vicinarum regionum incolas, quorum magna vis per singulos dies ad eos Christi dogmatis audiendi causa confluit, docendo, monendo, hortando ad veræ pietatis observationem instigarunt. Est eo nunc in loco, ubi olim Calidoniæ castrum, tot authorum celebratum testimoniis, templum celebre (uti videre licet) polito quadratoque lapide mira arte tabulatum, divi Columbæ dictum nomini: ubi sacra episcopalis sedes (Downkeldensem vulgus appellat) prædiis ac proventibus ad pontificis et canonicorum sumptus Scotorum regum (sed aliquot post tempora) munificentia magnifice donata. Profecti a Calidoniæ castro sexto post mense sanctissimi viri utriusque alteri gratulantes, piis lachrymis fuis: Kentigernus Glasgow ad solitam sedem; Columba in Hebrides primum, inde in Hiberniam abiit." Hæc Boethius: cui id tamen

<sup>p</sup> Id est, S. Columbæ insula.

<sup>q</sup> Ibid. fol. 167.

non facile ego concesserim, apud Dunkeldenses a Scotorum rege Convallo excitatum tum fuisse aliquod cœnobium; quum et Caledonii illi in Pictorum fuerint provincia, et post Convalli quoque tempora a Pictorum rege Constantino Fergusii filio Dunkeldensem ecclesiam fundatam fuisse in Fordoni Scotichronico legerim.

Neque etiam nostri hujus Columbæ nomini Dunkeldensem illam ecclesiam dicatam fuisse existimaverim, sed alterius potius eo posterioris, de quo in vita S. Cuthberti Lindisfarnensis episcopi, ex historiis Hiberniensium translata, scriptum invenimus: "Sanctus Columba, primus episcopus in Dunkeld, Cuthbertum puerum suscepit; unaque cum puella quadam nomine Brigida ex Hibernia oriunda retinuit, et aliquandiu educavit:" quod paulo post annum DCXL. contigisse, Cuthberti ætas dat indicium. Atque hæc Brigida fortasse illa fuerit S. Monennæ socia, et hic Columba episcopus quem Monenna moriente in Albania celebrem fuisse legimus. Conchubranus quidem, quo vetustiore vitæ Monennæ scriptorem nondum vidimus, fuisse illam affirmat "tempore Celestini papæ, qui S. Patricium ad Hibernienses gentes sub caligine peccatorum et ignorantiae positas misit;" et post acceptum ab eodem Patricio virginale pallium in divinis studiis nutritam, Brigidæ et aliis aliquot virginibus se junxisse, ac primum Fochardæ, in nativitate S. Brigidæ, ecclesiam ædificavisse ibidemque centum et quinquaginta virginibus præfuisse; deinde Orbila, quæ et Servila, abbatissa ibi relictæ, juxta Colmi montem consedissee, et in loco qui vocatur Chelle-sleve, id est, Cellula montis, ecclesiam alteram constituisse narrat. Ea ecclesia in Armachano comitatu sita, Kil-sleve nomen adhuc retinet, et mons ille vicinus Sleu-gullen; a quo *Moninne oyljab Cujlleann* appellationem apud Hibernos nostros virgo ipsa est consecuta. Intra alterum autem a Dundalkia miliarium, in Louthiano comitatu et territorio olim Conayl-Murthemni<sup>r</sup> et campo Murthemene, in quo Conaleorum gens maxime viget, de qua et ipsa sanctissima Monenna procreata est; ut habet in libri secundi vitæ illius initio Conchubranus, hodie Maghery-Conall dicto, posita est villa Fo-

<sup>r</sup> Vid. supra, pag. 163.

chard, quem locum nativitatis Brigidæ virginis habitum fuisse, et in vita Malachiæ notavit olim Bernardus, et hodierna totius vicinæ traditio Fochardam Brigidæ eam appellantis etiam nunc confirmat.

“De supradicto Conalleorum populo sanctum Monennam patrem habuisse nomine Maugtheum; regentem Oveaghulud<sup>s</sup>, et totam terram in circuitu Hardmacha, a Luve usque ad Ulvester,” idem affirmat Conchubranus. Unde inter Dunenses in Clan-conall Yveachensium et Louthianos in Maghery-Conall, potius quam in Tir-conell Donegallensium cum Camdeno<sup>t</sup>, illa terra Conallea fuerit quærenda, in qua Modwennam sive Monennam nostram editam fuisse testatur hoc ipsius epitaphium:

Ortum Mod.wennæ dat Hibernia, Scotia finem,  
Anglia dat tumulum, dat Deus alta poli.  
Prima dedit vitam, sed mortem terra secunda,  
Et terram terræ tertia terra dedit.  
Aufert Lanfortin quam terra Conallea profert:  
Felix Burtonium virginis ossa tenet.

Addit in libro tertio Conchubranus, a Monenna septem in Scotia sive Albania constructas fuisse ecclesias: quarum I. Chilnecase dicta sit, in Galluveic. II. Posita in cacumine montis Dundevenel. III. In alio montis Dunbren. IV. In castello Strivelin. V. In Dun-eden, quæ Anglica lingua dicitur Eden-burg. VI. In monte Duppelder<sup>u</sup>. VII. Lanfortin, juxta Aleethe, (quam Allectum sive Dundee in Angusia esse existimo) ubi spiritum eam emisisse narrat, quum archiepiscopus esset Columcille et rex Scotiæ Conagal; quem Conallum sive Convallum illum fortasse fuisse censuit, sub quo Columcillum, non quidem archiepiscopum, ut appellat ille, sed presbyterum et abbatem, in Britanniam venisse dictum est. Verum ut omittam inter Celestini papæ obitum et primum adventum Columcilli in Britanniam ultra centum et triginta annorum spatium intercessisse: ad Columbæ Dunkeldensis episcopi tempora Monennæ exitum fuisse potius referendum, suspicionem nobis movent aliquam Osithæ virginis acta; quæ,

<sup>s</sup> Yveagh Ulidiæ.

<sup>t</sup> Camden. in Staffordshire, pag. 441.

<sup>u</sup> Duppelderlaw, id est, Collis Duppelder, in Laudonia. Vid. supra, pag. 224.

ex Johannis Tinmuthensis sanctilogio descripta, Capgravii et Surii<sup>v</sup> legendis habentur inserta. In his enim Ositham a S. Modwenna abbatissa, quæ juxta sylvam Ardernam apud Warwicenses duo construxerat monasteria, institutam, post illius decessum ad parentes reductam, cum ad nubiles pervenisset annos in villa Chichensi a sponso Sigerio orientalium Saxonum rege sibi tradita, quæ in Essexia hodie S. Osithæ nomine nota est, sacrarum virginum cœtui præpositam, ibidemque anno Domini DCLIII. a Danicorum piratarum duce martyrio affectam fuisse legimus: quanquam vitiosum esse illum numerum, et posteriorem aliquem annum neci virginis hujus assignandum, non gravate admittamus: tum quod Pendam Merciorum regem, qui anno DCLV. interiit, patrem fuisse Wilteburgæ matris Osithæ; tum quod Ositham ipsam ab "Orientalium Anglorum episcopis Ecce et Bedwino (quos post annum DCLXXIII. ordinatos fuisse ex Beda<sup>w</sup> liquet) velo imposito consecratam" fuisse, in iisdem actis traditum inveniamus. Ut de Polydoro Vergilio<sup>x</sup> et Nicolao Harpsfeldio<sup>y</sup> nihil dicam, qui nono post Christum seculo Modvennam et Ositham floruisse volunt; illos secuti auctores, qui Alfredum filium regis Anglorum, a Monenna vel Modwenna nostra gravi quo laborabat morbo liberatum, magnum<sup>z</sup> illum Aluredum Adulphi sive Æthelwulphi occidentalium Saxonum regis fuisse filium; vel qui Editham, cui Ositha adolescentula a Modwenna commendata fuisse legitur, regis<sup>a</sup> Edgari germanam sororem fuisse retulerunt.

Ad Columbæ et Kentigerni congressum jam redeo: in posterioris hujus legenda, apud Johannem Tinmuthensem ita descriptum: "Sanctus Columba, qui ab Anglis Columkillus vocatur, in illo cœnobio quod in insula Hy construxerat virtutibus clarus, sancti viri famam audiens, ad illam venire,

<sup>v</sup> Sur. vit. sanctor. tom. 5. Octobr. 7.

<sup>w</sup> Bed. ecclesiast. hist. lib. 4. cap. 5. fin.

<sup>x</sup> Polydor. Anglic. histor. lib. 5.

<sup>y</sup> Harpsfeld. hist. ecclesiast. secul. 9. cap. 7.

<sup>z</sup> Ranulph. Cestrens. Polychronic. lib. 6. cap. 1.

<sup>a</sup> Vit. Edithæ apud Jo. Tinmuthens. et Laur. Surium, Septembr. 16.

visitare, videre, et familiaritatem ejus habere cupiebat. Et cum multa discipulorum turba de monasterio egressus, cum loco appropinquaret ubi sanctus episcopus manebat, in tres turmas omnes discipulos divisit : similiter et pontifex suis trifarie distinctis, cum canticis spiritalibus illis obviam processit. In prima turma erant juniores, in secunda provectiores, in tertia senes decora canicie venerabiles: et canebant, dicentes : *In<sup>b</sup> viis Domini magna est gloria Domini: et via<sup>c</sup> justorum recta facta est, et iter sanctorum præparatum est: Ex parte sancti Columbæ canebant, Ibunt<sup>d</sup> sancti de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion; cum Alleluia.*"

Edidisse præterea inter cætera Kentigernus fertur, si Balæ<sup>e</sup>, scriptorum titulos ex iis quæ in legenda ipsius narrata reperit effingenti, adhibeamus fidem :

Manuale suorum ministeriorum, librum unum.

In obitum Davidis episcopi, orationem unam.

De fidei observatione, orationem unam.

De charitate mutua, orationem unam.

De Christiana pace, orationem unam.

De obedientia hominis, orationem unam. Viri fratres, quid admira.

De hospitalitate tenenda, orationem unam.

De Scripturarum lectione, orationem unam.

De oratione continua, orationem unam.

Ad principem avarum, epistolam unam.

Ad Rodericum regem, epistolam unam.

Demum vero " cum esset centum et octoginta quinque annorum, anno episcopatus sui centesimo et sexagesimo Idibus Januarii migravisse illum ad Dominum" Johannes Tinmuthensis narrat, et in Glascuensi sua ecclesia jacere sepultum. Atque sub hujus nomine, non S. Niniani, ut Dempster<sup>g</sup> per errorem excidit, Deo est nuncupatum summum archiepiscopatus Glascuensis templum: de quo Johannes Major: " Columbæ contemporaneus et singula-

<sup>b</sup> Psal. 138. (al. 137.) ver. 5.

<sup>c</sup> Esai. cap. 26. ver. 7. juxta LXX.

<sup>d</sup> Psal. 84. ver. 7. (al. Psal. 83. ver. 8.)

<sup>e</sup> Balæ. scriptor. Britann. centur. 1. cap. 61.

<sup>f</sup> Tribuitur illi Prosopopœia ista apud Johannem Tinmuthensem et Capgravi-um, in legenda ipsius.

<sup>g</sup> Dempster. hist. eccles. Scot. lib. 13. num. 954. Major, de gest. Scol. lib. 2. cap. 7.

ris amicus beatus Kentigernus erat, qui plurimis miraculis claruit, et in Glascu quiescit: in cujus honore templum Glasguense fundatum est, nulli templo in Scotia in ornatu aut in canonicorum multitudine et præbendis pinguibus secundum. Non multis diebus elapsis tantæ gravitatis et prudentiæ capitulum Glasguense extitit, ut in lite ambigua occidentales viri illustres litem omnem in capituli discretionem posuerunt." Hæc ille.

S. Columbam in Iona sive Heyensi insula sepultum, Adamnanus<sup>h</sup>, Beda<sup>i</sup>, Walafridus Strabus<sup>k</sup> et Notkerus Balbulus<sup>l</sup> attestantur. Catalogus vero sanctorum in Britannia sepultorum, ex Anglo-Saxonum monumentis a Gotcelino Bertiniano editus, "Sanctum Columkillam in loco qui vocatur Duncabean vel Duncachian, juxta amnem qui vocatur Tau," conditum notat. In Hiberniam translatas esse illius reliquias, et Duni in B. Patricii et Brigidæ tumulo repositas, nostrorum tenet traditio. Porro Aidanum Scotorum regem, audito S. Columbæ transitu, tantum animo dolorem cepisse recentiores rerum Scoticarum scriptores referunt, ut brevi post extinctus fuerit: quanquam<sup>m</sup> decimo post Columbam anno illum ex hac vita excessisse oporteat; si ad annum usque DCVI. (quod statim Boethius subjicit, et Ultonienses etiam nostri annales confirmant) ejus principatus pervenerit. Hic vero ille est Edanus, cujus supra<sup>n</sup> ex Jocelino meminimus, Gabrani sive Gourani Scotorum regis filius: quem, quod Ri-eda Hibernice regem Edan sonet, Hugo Cavellus<sup>o</sup> eundem fuisse suspicatus est cum Bedæ Reuda, eorum duce, qui primo ex Scotia sive Hibernia inter Pictos sedes in Britannia vendicarunt: quum tamen et Jocelinum ea de Edano, quæ ad Fergusium illius proavum potius spectant, retulisse appareat; et ex Bedæ sententia ante horum utriusque tempora Scoticam a Reuda ductam fuisse coloniam, haud ob-

<sup>h</sup> Adamnan. vit. Columb. lib. 3. cap. ult.

<sup>i</sup> Bed. hist. ecclesiast. lib. 3. cap. 4.

<sup>k</sup> Strab. in vita B. Blaithmaic. supra, pag. 246.

<sup>l</sup> Notker. martyrolog. V. Id. Jun.

<sup>m</sup> Jo. Major, lib. 2. cap. 7. Hect. Boeth. lib. 9. fol. 170. b.

<sup>n</sup> Supra, pag. 145.

<sup>o</sup> Cavell. in vita Johannis Duns Scoti, cap. 2.



seuris a nobis ostensum<sup>p</sup> sit indicium. Ut de Adamnani nuper<sup>q</sup> producto nihil dicam testimonio, quod Conallum Comgilli sive Congalli filium Scotorum Britannicorum regem ante Aidanum fuisse, extra omnem ponit controversiam.

Aidanum sive Ædanum hunc a B. Columba in Iona insula regem inauguratum fuisse docet Adamnanus<sup>r</sup>: et de pugna, in qua victor ille extitit, eundem Columbam corpore absentem sed spiritu præsentem pronuntiavisse refert: “Nune<sup>s</sup> barbari in fugam vertuntur: Ædanoque, quamlibet infelici<sup>t</sup>, tamen concessa victoria est.” Addens insuper, “de numero de exercitu<sup>o</sup> Ædani interfectorum, trecentorum et trium virorum, virum beatum propheticè narravisse.” In quo interfectorum numero duos ipsius Aidani filios fuisse, Arthurium et Echodium Find (sive Eugenium Album,) integrioribus Adamnani codices declarant: in quibus et Miatorum bellum hoc nominatur; utrum Mæatarum Dionis<sup>u</sup>, an aliorum, nunc non disquirimus. Videtur tamen bellum Leithreidense illud fuisse, quod anno DXC. ab Ædano factum fuisse ex Ultoniensibus annalibus intelligimus: licet Fordonus ad pugnam anno abhinc altero in loco qui Wodnesbeorh, id est mons Wodeni dicebatur commissam id trahat, ubi<sup>w</sup> Ceaulinum occidentalium Saxonum regem potentissimum maxima clade a Britannis affectum legimus. Septimo tamen post obitum Columbæ anno in alio conflictu totum pene exercitum Ædanum amisisse testis est Beda; de re ab Ædhilfrido Nordanhumborum rege fortissimo gesta ita scribens: “Motus<sup>x</sup> ejus profectibus Ædan rex Scotorum qui Britanniam inhabitant, venit contra eum cum immenso ac forti

<sup>p</sup> Vide supra, pag. 115.

<sup>q</sup> Supra, pag. 236.

<sup>r</sup> Adamnan. vii. Columbæ, lib. 3. cap. 5.

<sup>s</sup> Id. lib. 1. cap. 7. in quo, et sequente cap. MS. [al. MS. Aidanum] mens Ædanum legit, ubi in editis Aidanus perperam habetur exaratus.

<sup>t</sup> Al. *infelix*. (victoria sc.)

<sup>u</sup> Supra, pag. 203.

<sup>w</sup> Vid. Fab. Ethelwerd. in fine lib. 1. Florent. Wigorniens. ad ann. secund. Dionys. 592. Guil. Malmesbur. de gest. regum Anglor. lib. 1. cap. 2. Henr. Huntingdon. hist. lib. 2.

<sup>x</sup> Bed. histor. ecclesiast. lib. 1. cap. 34.

exercitu; sed cum paucis victus aufugit. Siquidem in loco celeberrimo qui dicitur Degsastane, id est, Degs lapis, omnis pene ejus cæsus est exercitus. In qua etiam pugna Theobald frater Ædhilfridi cum omni illo quem ipse ducebat exercitu peremptus est. Quod videlicet bellum Ædhilfrido anno ab incarnatione Domini sexcentesimo tertio, regni autem sui, quod viginti quatuor annis tenuit, anno undecimo perfecit; porro anno Photatis, qui tum Romani regni apicem tenebat, primo. Neque ex eo tempore quisquam regum Scotorum in Britannia<sup>y</sup>, adversus gentem Anglorum, usque ad hanc diem in prælium venire audebat:” usque ad annum nimirum DCCXXXI. quo historiam suam Beda terminans, “Scotos<sup>z</sup> qui Britanniam incolunt suis<sup>a</sup> contentos finibus, nihil contra gentem Anglorum insidiarum molitos aut fraudium” postea etiam repetit.

Aidanus vero rex, ut habet in Scotichronico suo Fordonus, libro tertio, capite trigesimo primo, “Post bellum Degsastan continue mœrens, tantis seipsum afflixit doloribus, quod anno secundo post fugam, adeo grandævus, ut annorum octoginta pene metas attingens, apud Kentyre obierit; apud Kileheran, quo prædecessorum nullus antea, tumultatus. Statimque Kennethus Ker filius Connal regiam suscepit coronam; et post annum vel, ut alibi, post tres menses defunctus est. Ad regni deinde successit apicem filius Aidani regis Eugenius Buyduell, Eochodius a quibusdam, Aido secundum alios, anno Domini DCVI. et regnavit annis sexdecim. Hic a primævo, postquam in<sup>b</sup> B. Columbæ gremio caput reclinaverat dilectus fuit ejus alumnus, tenerrime nutritus; diuque postmodum discipulus, diligenter literis informatus, ejus doctrinam rex adeptus, in multis oblivioni tradidit. Nam paci raro, sed bellis continue curam adhibuit: gravibus semper regiones Saxonum irruptionibus, aliquandoque Piëtorum, infestavit. In cunctis vero regendis austerus erat, ac omnibus suæ

<sup>y</sup> Ita legunt antiquissimi MSS. non Britanniam, ut libri editi.

<sup>z</sup> Bed. lib. 5. cap. 24.

<sup>a</sup> Vide supra, pag. 147.

<sup>b</sup> Vid. Adamn. in vit. Columbæ, lib. 1. cap. 8. ubi Eochodium regem hunc appellat.

majestatis imperium irritantibus per omnia crudelis atque ferox : gloriosius multo superbos putavit aut effrænes cruenta quam civiliter superare. Subactis tamen vel hostibus vel ligiis civibus valde misericors et mitis fuit ; sed et injuriarum veniam poscentibus promptus indultor et suavis." Hæc Scotichronici scriptor : quæ eadem de Eugenio retulit etiam ex libro Pasletensi Georgius Buchananus<sup>c</sup>.

Verum ut Aidani successorum quenquam "adversus gentem Anglorum in prælium venisse" negat Beda<sup>d</sup> : ita Eugenium hunc Aidani filium in summa pace regnum tenuisse perhibet Boethius : "Divi Columbæ dogmatis," inquit ille<sup>e</sup>, "ut in primæva adolescentia erat imbutus, haud immemor ; magis sua pie tueri, quam invadere aliena studuit." Addit, "fuisse ejus principatum Christi sacerdotibus, plebeiis, agrestibus, et nobilibus æquitatis cultoribus, admodum acceptum ; restituisse illum sacras ædes, quas in Gallovidia et vicinis regionibus (quas tamen ad Scotorum ditionem eo tempore minime pertinuisse non semel confirmavimus) impia Saxonum feritas fuerat demolita : " atque demum "post longam quietem vita esse defunctum egregiis operibus clarum ;" relictis post se tribus liberis, "Ferquharo, Fiacrio et Donevaldo, quos sanctissimo episcopo Sodorensi Conano moribus ac literis instituendos" ille tradiderat. Tum de Ferquharo, qui patri in regno successit, "id temporis multorum sententiam" fuisse notat, "in Pelagii delirium, quod antea Scotorum regi acciderat nulli, abiturum : auxisseque rumorem populi, regis Ferquhardi cum Britannicis sacerdotibus, quos pestis ea infectos per longa tenuerat tempora, diutinam et continuatam consuetudinem." Donevaldum vero, qui post infelicem fratris interitum rex est salutatus, "Domnallum Breccum nepotem Aidan" appellat Adamnanus ; et "in bello Roth sine causa vastavisse provinciam Donnail" filii Aido vel nepotis Ainmuireg, ex libro Cummenei Albi de virtutibus S. Columbæ narrat. Porro Rothanum illud

<sup>c</sup> Buchanan. rer. Scot. lib. 5. in rege LI.

<sup>d</sup> Bed. hist. lib. 1. cap. ult.

<sup>e</sup> H. Boeth. Scot. hist. lib. 9.

<sup>f</sup> Vide supra, pag. 147, 202, 204, 205.

prælium anno DCXXXVII. gestum fuisse, ex Ultoniensibus annalibus didicimus: in quibus etiam utriusque regis mortem ad annum DCXLII. ita relatam invenimus: “Mors Domnaill mac Ædho regis Hiberniæ in fine Januarii. Postea Domnall Brece in bello Sraith cair-maic, in fine anni, in Decembre interfectus est ab Hoan rege Britonum. Regnavit annis quindecim.”

Brudeus, sub quo in Britanniam venit S. Columba, a Cruthneo primo Pictorum monarcha tricesimus quartus numeratur in Scotchronico: in quo etiam de successoribus ejusdem leguntur ista: “Brudeo successit Garnard filius Dompnach, qui fundavit ecclesiam collegiatam de Abernethy, postquam illuc introduxit beatus Patricius sanctam Brigidam cum suis novem virginibus: quæ virgines infra quinque annos decesserunt, et ex parte boreali dictæ ecclesiæ sunt sepultæ. Post quem Garnardum fuit Constantinus filius Ferguso rex vicesimus septimus, et post monarcham sexagesimus. Iste fundavit ecclesiam Dunkeldensem post Abirnethin ducentis et viginti sex annis, novem mensibus et sex diebus. Alia chronica habet ducentis et quadraginta quatuor annis. Constantino præmisso successit Hungus filius Fergusii. Cujus in tempore regnavit in Westsax rex Ethelwulfus; cujus filii majoris Athelstani caput infixum sudi rex, obtenta belli victoria, secum in regno detulit. Ab isto Hungo Drusken filius Feredeth septimus fuit: in quo Pictorum regnandi defecit potestas; et ab eis penitus translatum est regnum ad regem et monarcham Scotorum Kenedum suosque successores, et unum deinceps Scotorum regnum est effectum.”

At quum a primo S. Columbæ sub Brudeo in Britanniam adventu Pictici regni excidium minus CCLXXX. annis abfuerit: nobis non fit verisimile, aut Constantinum illum fuisse vicesimum septimum regem post Brudeum, aut inter Abernethianam ecclesiam a Brudei successore et Dunkeldensem a Constantino fundatam annorum CCXLIV. vel CCXXXVI. spatium intercessisse. Hunc errorem fabella illa, de S. Brigida cum novem suis virginibus a B. Patricio in Abernethianam ecclesiam introducta, haud

dubie peperit: quum tamen Patricium et Brigidam ante Brudei tempora ex hac vita excessisse constet; et in Scotichronici etiam exemplari quo usus est Johannes Major<sup>g</sup>, ex aliorum sententia, non CCXXVI. (ut in nostro codice legitur) sed XXVI. tantum annis et novem mensibus Abernethiana ecclesia ante Dunkeldensem constructa fuisse memoretur: cum qua annorum notatione non male illud convenit, quod ex historiis Hiberniensium jam<sup>h</sup> produximus; sanctum Columbam, primum episcopum in Dunkeld, Cuthbertum puerum, una cum puella Brigida, aliquandiu educavisse. Abernethianæ enim ecclesiæ sub proximo Brudei successore, et Dunkeldensis vigesimo septimo post illam anno fundatione posita; primi illius Dunkeldensis episcopi ætas in Cuthberti pueritiam aptissime inciderit. Adde, quod Boethius<sup>i</sup> sub octavi demum seculi initia novem illis virginibus, Dovenaldi Scoti filiabus, Garnardum Pictorum regem structas Abernethi ædes cum oratorio concessisse referat: “Præfatas,” inquit, “novem virgines non sub regis Conrani regno cum diva Brigida, uti vulgaris est opinio, sed Eugenii septimi tempore claruisse scribunt nostrarum rerum præstantes authores: eundemque Eugenium regnante Garnardo, qui cum tantisper dum viveret fœdus habuit et societatem, sanctissimum virginum cœtum invisentem optimis donariis donasse.” Ea vero ratione, ut proximus Brudei successor non esset agnoscendus hic Garnardus, cum centum inter utrumque annorum positum fuerit intervallum: ita Garnardi hujus proximus statuendus fuisset successor Nectanus ille, de quo diximus<sup>k</sup>; qui Abernethiam, ut in antiquo<sup>l</sup> fragmento legitur, “Deo et Brigidæ dedit usque ad diem judicii cum suis finibus, qui positi sunt a lapide in Aber-trent ad lapidem usque Carfull, id est Logh-fol, et inde usque ad Ethan.”

Sequitur jam Hungus Pictorum ille rex, a quo Fordonus<sup>m</sup> regem Athelstanum, Ethelwulfi West-Saxonum regis filium, cujus Guilielmus Malmesburiensis meminit, prælio non procul ab amne Tina et Merchiæ ac Laudoniæ con-

<sup>g</sup> Major, de gest. Scot. lib. 3. cap. ult.

<sup>h</sup> Supra, pag. 248.

<sup>i</sup> H. Boeth. Scot. hist. lib. 9. fol. 181.

<sup>k</sup> Supra, pag. 244, 246.

<sup>l</sup> Camden. in Scotia, pag. 705.

<sup>m</sup> Fordon. Scotichronic. lib. 4. cap. 13, 14. Vid. supra, pag. 193.

finiis, in loco qui ab eo Elstan-furd vel Æthelstan-forde nomen obtinuit, d nobis miliaribus ab Hadingtona distante, commisso occisus; ejusque caput abscissum “in medio maris Scotici apud quandam insulam juxta portum reginæ quæ Inche-garvy ab incolis usque in præsens vocatur,” conto affixum fuisse narrat: quanquam in proximum templum delatum, regio more sepultum fuisse, ex aliis referat Boethius<sup>b</sup>: addens etiam, Pictorum Scotorumque nobiles tum “pollicitos, Hungo authore, se suamque posteritatem signo crucis<sup>c</sup> D. Andreae, quoties ad prælium fuerit proficiscendum, ut tam insignis victoria parta divinitus grata recordatione semper haberetur, pro insigni semper usuros.” Guilielmi Malmesburiensis, a Johanne Fordono hic citati, de Æthelwulpho et filio ejus Æthelstano verba hæc sunt: “Anno<sup>d</sup> Dominicæ incarnationis DCCCXXXVII. Æthelwulphus, quem quidam Athulpum vocant, filius Egberti regnum sortitus, regnavit viginti annis et quinque mensibus; natura lenis, et qui sub quiete degere quam multis provinciis imperitare mallet: denique avito West-Saxonum regno contentus, cætera quæ pater subjugaverat appendicia Æthelstano filio contradidit, qui quando, vel quo fine defecerit incertum.”

Sed quemcunque habuerit ille exitum; ab Hungo Pictorum rege occisum non fuisse illud argumento fuerit, quod Pictici regni excidio superstitem illum fuisse liqueat. Anno enim DCCCLI. Sandwici in Cantio Danorum cæsum ab eo fuisse exercitum, Asserius Menevensis de Ælfredi regis rebus gestis, annales Anglo-Saxonici, Fabius Ethelwerdus et Florentius Wigorniensis in chronicis suis, testes sunt locupletissimi. Boethius<sup>e</sup>, Veremundum Andreapolitanum archidiaconum secutum se professus, “quod is author circa temporum supputationem cæteris videretur accuratius elaborasse,” Æthelstanum hunc occubuisse notat postremis temporibus Achæi Scotorum regis, quem anno Christianæ salutis DCCCXIX. et Hungi princi-

<sup>b</sup> Hect. Boeth. Scot. hist. lib. 10. fol. 190. b. Vide supra, pag. 193.

<sup>c</sup> Vide supra, pag. 188.

<sup>d</sup> Malmesbur. de gest. regum, lib. 2. cap. 2. init.

<sup>e</sup> H. Boeth. ut supra, fol. 191. a.

patus in Pictos sexto, emigravisse ex hac vita asserit: septemdecim non minus annis prius, quam vel Æthelstanus vel pater illius Æthelwulphus in locum Egberti hæres successisset. Eum errorem Buchananus<sup>r</sup> sanare dum conatur, longe effecit ampliorem. Licet enim et ille ad Achaii tempora ista referat; non tamen cum Fordono et Boethio Æthelstanum hunc Æthelwulphi occidentalium Saxonum regis filium fuisse, opinatur, “sed Danicæ gentis imperatorem, cui Angli affirmant Northumbriam ab Aluredo concessam:” quum morte Achaii nativitate<sup>s</sup> quidem Aluredi triginta, Æthelstani vero baptismum quinquaginta novem, et mortem non paucioribus quam septuaginta annis posteriore fuisse compertum sit. Multoque adhuc minus Johannis Majoris admittenda conjectura est; qui<sup>t</sup> Æthelstanum hunc, a rege Pictorum Hungo in Laudonia occisum, regis Edvardi senioris filium fuisse imaginatur: quem toto post extinctum Pictorum regnum seculo Glocestriæ vitam finivisse constat.

Anno DCCCXXXIX. Pictorum illam cladem contigisse, Johannes Fordonus et Hector Boethius referunt. Fuisse illum annum salutis humanæ DCCCXL. et Pictorum regni in Britannia DCCLIII. sub finem libri quarti Anglicæ suæ historiæ affirmat Polydorus Vergilius. Atque ab hoc principio regum Albanæ series deducitur: quod et pervulgati isti Scotorum ostendunt versiculi, a Fordono et aliis commemorati:

Primus in Albania fertur regnasse Kenedus  
Filius Alpini, prælia multa gerens.

Nam Dalriætæ tantum regnum (ut dictum<sup>u</sup> est) ab occiduo oceano ad Argatheliæ et Brunalbanæ fines protensum Scotorum reges, a Fergusio Erci filio usque ad Alpinum Eochaig sive Achaii filium, suæ ditioni habuerunt subditum: Alpini vero hujus filius Kenethus sive Kinadius, (a quo leges Mac-alpin, hoc est, filii Alpini, dictæ sunt con-

<sup>r</sup> Buchanan. rer. Scotie. lib. 6. in rege LXV.

<sup>s</sup> Vid. Asser. de reb. gestis Ælfredi, ann. 878. Fab. Ethelwerd. et Florent. Wigorniens. ad ann. 878, et 889. vel 891. cum Guil. Malmesbur. de gest. reg. lib. 2. cap. 4. et Johanne Piko, in Guil. Lambardi *Ἀρχαιονομία*, fol. 46.

<sup>t</sup> Major, de gest. Scotor. lib. 3. cap. 1.

<sup>u</sup> Supra, pag. 117, 148.

stituta) post susceptum Dalrietae regnum biennio transacto, in Pictaviam duxit exercitum, et quinto ineunte regni sui anno, ut habet liber Pasletensis, Pictos proffigavit; caesoque eorum rege Druskeno filio Feredethi atque imperio eorum tandem penitus sublato, Scotorum primus totius Albaniae factus est monarcha: de cujus victoriis ex *Johannis Fordoni Scotichronico* haec, si placet, accipe.

“Tanta non solum in homines ira verumetiam in foeminas et parvulos desæviit, ut nulli sexui vel sacris parceret ordinibus: sed omne vivens, quod secum non abduxerat, gladio vel igne consumpsit. Anno deinde regni sui sexto, cum piratae Danorum occupatis litoribus Pictos sui defendentes non modica strage prædando maritima protrivissent, similiter et ipse *Kynedus* in reliquos Pictorum terminos (montana finium suorum, videlicet *Dorsum Albaniae* quod *Drum-Albane* Scotice dicitur, transiens) arma vertit: et multis Pictorum occisis reliquos in fugam compulit, et amborum regnorum monarchiam acquisivit. *Picti* vero, reparatis aliquantulum Anglorum auxilio viribus, quatuor annis *Kynedum* infestabant: sed consequenter postmodum inopinatis incursibus et variis eos stragibus debilitans, duodecimo tandem anno regni sui septies uno die congregitur; et innumeris Pictorum populis prostratis, regnum deinceps de fluvio *Tine* juxta *Northumbriam* ad *Orchadum* insulas, ut dudum sanctus *Adamnanus Hyensis* abbas prophetando retulit, totum sibi ratificat confirmatum.” Hæc *Johannes Fordonus*: cum quibus et illa *Johannis Majoris* conferas licet: “Scriptum invenio, quod septies a desperatis *Pictis* eodem die *Kenedus* invasus est, et toties eos fudit: perdius et pernox in prælio et hostem fugando stetit. Postea ad *Sconam* rediens, *Drusconem* Pictorum regem capite obruncat: et sic Pictorum regnum, quod ultra octingentos annos in *Britannia* duraverat, *Kenedus* extinxit et suo imperio adjecit. Viri inhumanitatem erga Dei famulos, mulieres et impuberes vehementer detestor: non enim ita in imbelles etiam *Pagani* bene instituti debacchari solent. Sed sive juste (inquit ille)

\* Major, de gest. Scot. lib. 2. cap. 14.



sive injuste eorum terras Scoti ceperunt; eas in fine juste tenuerunt. Quod enim in nullius potestate est, id occupanti conceditur.”

Universo Kenethi regno anni tribuuntur viginti, monarchiæ vero post devictos Pictos fere sexdecim: de quorum tamen termino aliquantula est inter scriptores discrepantia. Imperium enim eum simul cum vita finivisse anno DCCCLIV. docet Fordonus et Buchananus; DCCCLV. Boethius et Leslæus; DCCCLVI. Caradocus Lancarvanensis; DCCCLVIII. Ultoniensium annalium collector: juxta cujus rationes duodecimus Kenethi annus, quo cum Pictis postremo decertatum est prælio, in annum fere DCCCI. incidisset: unde hodiernæ Scotiæ regum Giraldus Cambrensis arcessit epocham; quum nomen illam accepisse dicit “ a<sup>x</sup> Scotis de Hibernia venientibus, et in ea regnantibus per spatium CCCXV. annorum, usque ad regnum Guilielmi Rufi fratris Malcolmi,” quem anno MCLXV. defuncto fratri successorem datum fuisse legimus. Idem vero Giraldus, Scotorum genti iniquior, Pictorum<sup>y</sup> magnates specie humanitatis ad convivium invitatos atque ex improvviso trucidatos ab eis fuisse narrat: “ Sicque ex duobus populis, gens bellicosior (ita ille loquitur) totaliter evanuit; altera gens Scotorum longe impar, ex tali proditione emolumentum quodammodo consecuta, totam terram illam quam nomine suo Scotiam vocaverunt usque hodie possident: quibus eo tempore Kinadius Alpini filius præsidens, Pictaviam invasit, Pictos delevit, sexies Saxones debellavit, et terram omnem a mari Scotico usque ad flumen Twedam usurpavit.”

Quod postremum tamen, de australiregni Kinadiani limite, in aliis<sup>z</sup> etiam Anglorum annalibus repetitum, non facile censemus admittendum: cum ad ipsum usque mare Scoticum, sive fretum Edenburgicum, veterem Caledoniæ limitem, longe post Kinadiana tempora Anglorum imperium prolatum fuisse prius<sup>a</sup> docuerimus. Tantum abest ut ad

<sup>x</sup> Ranulph. polychron. lib. I. cap. 37.

<sup>y</sup> Ibid. cap. 58.

<sup>z</sup> Ibid. cap. 43. et 58. chronic. Britann. ad ann. 1347. product.

<sup>a</sup> Supra, pag. 205.

Scoticorum chronographorum accedamus sententiam, qui Kinadium sive Kenethum hunc ab Orcadam insulis usque ad Tinam fluvium et vallum Adriani fines suos promovisse, eaque ratione totum Northumbriæ comitatum, inter Tinam et Twedam interjectum, occupavisse ferunt: quem tamen comitatum, Anglici primum et Danici generis regibus paruisse, ac deinceps comites sive duces suos habuisse non est dubium. Primum vero Nordanhumbrorum comitem Osulfum, regnante Ædgaro, socium accepisse Oslacum, eique regionem ad aquilonarem plagam Tinæ positam commisisse, Eboraco cum suis finibus sibi reservato, confirmat Hovedenus<sup>b</sup>. Siwardus postea, cujus in superioribus<sup>c</sup> facta est mentio, “cum Eadulfum comitem interfecisset, totius provinciæ Northanhymbrorum comitatum ab Hundra usque Twedam administravit:” ut ante Hovedenum testatus est Turgotus, in Dunelmensium episcoporum chronico. Ei successit Tostius: sub quo Copsi totius comitatus curas gerebat, ac deinde Guilielmo seniore regnante, “Northanhymbrorum illorum qui ad septentrionalem fluminis Tini habitant comes factus est;” ut apud eundem Turgotum, horum temporum æqualem, legimus.

Quod autem Giraldus, et eum secuti alii, de Scotis tradiderunt, non armis, sed dolis, Pictorum dominatum eos esse consecutos, “multi fabulæ persimile ducunt, cum una omnino cœna non facile potuisset tot absorbere principes ac universum populum:” quemadmodum hic Polydorus<sup>d</sup> monuit: quanquam etiam fabulæ fortasse non minus videatur esse simile, quod de universo Pictorum populo tum deleto vulgariter receptum est. Ipsum certe Kenethum, tum in Caradoci Lancarvanensis chronico, in quo nomen ipsius Cemoith pro Cenoith vitiose habetur exaratum, tum in Ultoniensibus nostris annalibus, in quibus Cinædh Mac Ailpin rectius habetur nominatus, regis Pictorum titulo insignitum invenio. Ipsius quoque frater et successor, Donnall Mac Ailpin rex Pictorum, in iisdem

<sup>b</sup> Hoveden. annal. part. 1. ann. 953.

<sup>c</sup> Supra, pag. 204.

<sup>d</sup> Polyd. Verg. Anglic. hist. lib. 4. fin.

annalibus ad annum æræ nostræ DCCCLXII. mortuus fuisse memoratur. Anno DCCCLXXI. a Danis urbem Alelyde sive Dunbritanniam spoliata, Northumbriam captam, et Pictos plurimum vexatos fuisse, Caradocus annotat : quod Ultoniensium annalium collector ita explicat : “ Ainlaiph et Ivar venerunt ad Ath-cliath, sive Dubliniam, ex Albania cum ducentis navibus : et præda maxima hominum Anglorum et Britonum et Pictorum deducta est secum ad Hiberniam in captivitate.” Dein anno DCCCLXXV. ut in libro de Ælfredi rebus gestis prodit Asserius Menevensis, Dani sive Normani Pagani cum Halfdeno duce suo, tota Nordanhumbrorum regione occupata, Pictos et Stratduttenses depopulati sunt. Alii annales eidem Asserio tributis Pictos et Strecledenses hic habent, annales Anglo-Saxonici *peohtar* et *ꝛtꝛæcledpealay*<sup>e</sup>, Fabius Ethelwerdus Pictos Cumbrosque, Matthæus Florilegus Pictos et Wallenses, Ultonicenses annales Pictos solos nominant : quorum stragem magnam a Dubgallis<sup>f</sup> factam tum fuisse significant. Addunt iidem, anno proxime sequente mortuum esse Constantinum filium Cinæda regeni Pictorum ; et post biennium similiter, Ædlh filium Cinadan regem Pictorum a sociis suis occisum esse. Qui duo fratres cum in Scotorum regum catalogo, post patrem Kinadium sive Kenethum (de quo dictum est) et patruum Donnallum vel Donaldum, locum habere cognoscantur, et apud vicinos tamen Hibernos non alio isti omnes quam Pictorum regum celebrentur elogio : colligere inde promptum fuerit, etiam post Kinadianam illam firmatam monarchiam Pictos, licet Scotorum imperio jam subjectos, majorem tamen et potioem Albanici regni partem constituisse.

Circa annum DCCCCXXXVII. commissum est in Northumbria celeberrimum illud prælium apud<sup>g</sup> Etbrunnanwere, vel Brunnanbyrig (quæ in Ethelredi regis legibus Brom-

<sup>e</sup> Eos *Streatgledwalos* appellat ad annum 901. et 921. secundum Dionys. Florentius Wigorniensis, Mariani nomine a Guil. Camdeno citatus, in *Denbighshire*, pag. 547.

<sup>f</sup> Sive *Nigris advenis*. *Nigræ* enim gentis nomine in libris Cambrobritannicis et Hibernicis Danica et Normannica natio intelligitur.

<sup>g</sup> *Turgot*, in *chronic. episc. Dunelmens.*

dune, Ethelwerdo Brunandune, Ingulpho et Malmesburiensi Bruneford, aliis Bruneburgh, hodie Brumridge appellatur) inter Æthelstanum Anglorum regem et Anlaphum Norwegum Hiberniensium<sup>b</sup> (ut aiunt) multarumque insularum regem; qui a socero suo Constantino<sup>i</sup>, Ethi filio, Scotorum Britannicorum rege, incitatus, “infinitam multitudinem Danorum, Noreganorum, Scotorum, ac Pictorum contraxit:” ut habet in Croylandensi sua historia Ingulphus: ubi et rem a cancellario Turketulo, Croylandensi postea abbate, præclare gestam amplificans; “Jam Orcadensium,” inquit, “ac Pictorum globos pertransierat, sylvamque jaculorum et telorum, quæ thorace fidelissima sufflaverat, in se projectam circumferens, jam cuneos Cumbriorum ac Scotorum cum suis sequacibus perforabat.” Post partam etiam victoriam, Æthelstani imperio colla subdidisse Scotos pariterque Pictos confirmat, qui ab his temporibus proxime abfuit, Fabius<sup>k</sup> Ethelwerdus: et Hucbaldus Elnonensis<sup>l</sup> monachus in vita Lebuini, Baldrico, qui ab anno DCCCCXVIII. ad DCCCCLXXVII. Trajectensium erat episcopus, dedicata, una cum Britannia incolis Pictos (Scotis quoque, quod mireris, prætermisiss) adnumerat: “Sunt vero ibi populi multi,” inquit, “Britones, Saxones, Picti, Angli.”

Mitto quod post annum DCCCCLXXXV. de clericis Pictorum in actis Edithæ virginis apud Johannem Tinnuthensem, Capgraviium et Surium legitur, et quod in incertæ fidei legibus Guilielmo seniori attributis est notatum; illius iudicio, leges Danorum vel Norwegiensium “aliarum<sup>m</sup> legibus nationum, Britonum scilicet, Anglorum, Pictorum [et Scotorum] præponderasse,” eundemque statuisse “concordiam<sup>n</sup>, iudicium et justitiam inter Anglos et Normannos, Francos et Britones Walliæ et Cornubiæ, Pictos et Scotos Albanix, et inter

<sup>b</sup> Henr. Huntingdon. hist. lib. 5. fol. 203. Florent. Wigorn. Roger. Hoveden. et Matth. Florileg. ad ann. 837.

<sup>i</sup> De quo supra, pag. 197.

<sup>k</sup> Ethelwerd. ebron. lib. 4. cap. 5.

<sup>l</sup> Hucbald. vit. Livini, cap. 2. apud Surium, tom. 6. Novemb. 12.

<sup>m</sup> Guil. Lambard. Ἀρχαιονομ. fol. 138.

<sup>n</sup> Ibid. fol. 121. b. et Jo. Sclden. Spicileg. ad Ædmerum, pag. 189, 190.

omnes sibi subjectos per universam monarchiam regni Britanniae firmiter et inviolabiliter observari." Ad quam enim aetatem inscriptio illa referri debeat incertum est, quae Romae<sup>o</sup> inter S. Petri basilicae antiquitates legitur: **ASTERIUS COMES PICTORUM ET SYRA CUM SUIS VOTUM SOLVERE.** Hoc tantum compertum habemus et exploratum, gentem Picticam cum Scotica ita tandem coaluisse, ut "Picti jam videantur deleti, et lingua eorum ita omnino destructa, ut jam fabula videatur, quod in veterum scriptis eorum mentio invenitur:" quemadmodum monuit Henricus Huntingdoniensis<sup>p</sup>; hac insuper casus tam memorabilis consideratione contemplationeque subjecta: "Cui non comparet amorem caelestium et horrorem terrestrium, si cogitet non solum reges eorum et principes et populum deperiisse, verumetiam stirpem omnem et linguam et mentionem simul defecisse? et, si de aliis mirum non esset, de lingua tamen, quam unam inter caeteras Deus ab exordio linguarum instituit, mirandum videtur." Haec Huntingdoniensis ille archidiaconus: cum quibus caput hoc demum terminandum esse duximus.

<sup>o</sup> Camd. Britann. pag. 85.

<sup>p</sup> H. Huntingdon. hist. lib. 1. fol. 171. b.

## CAP. XVI.

De Hibernia, Britannicarum insularum altera; quæ Britannia minor, et Scotiæ major aliquando dicta. Scotorum nomen ante tertium post ortum Scrvatoris seculum scriptoribus incognitum, deinceps Hibernis et eorum in Dalrieda Britannica colonis commune fuit; Scotiæ tamen appellationem sola Hibernia retinente ad seculum usque decimum: post quod, novo ab exteris Irlaridiæ introducto vocabulo, vetus Scotiæ nomen in desuetudinem abiit. De mortis Christi recente nuncio ad Ultoniensem regem Conchurem perlato nostratum traditio. Ab apostolis in Britannicis insulis annunciatum esse evangelium ex Eusebio et aliis ostenditur: ubi de Simone Zelota et Petro, Jacobo majore cum matre Salome, patre Zebedæo sive Aristobulo, et fratre Barnaba; qui ad partes hasce dicuntur appulisse. De S. Beato et ejus Achate qui Helvetiis, et S. Mansueto qui Lotharingis fidem primus prædicavisse memoratur: Eugenio item primo Toletanorum episcopo, et Josepho Arimathæensi qui ab animalibus venenatis Hiberniam liberavisse fingitur. De Dieho, Eucho, et Achlena horumque filiis Cataldo Tarentinorum et Donato Lupiensium in Italia episcopo. De Florentino, Honesto, Firmino, Marcra, Guthagone et Ghillone. De conversione Hiberniæ quam Constantini Magni temporibus ancillæ cujusdam opera factam fuisse fabulantur. De Hildeberto Scotorum archiepiscopo, et ejus discipulo Sedulio Scoto Hibernensi. De S. Colmano et Dymma et aliis religionis Christianæ sub annum Domini CCCL. in Hibernia professoribus. De Eliphio et Euchario fratribus, eorumque sororibus Menna, Libaria et Susanna. De S. Kebil Cornubiensis adventu in Hiberniam: deque Celestii Scoti adolescentia et Christianis parentibus. Johannis Chrysostomi de fidei Christianæ professione in Britannicis insulis conservata testimonia. De S. Ailbeo cum quinquaginta suis comitibus, S. Kiarano et S. Declano Romam visitantibus; et post reditum, una cum S. Ibaro, religionem Christianam in patria propagantibus. De Gunniforti et Gunibaldo, et Rosino Florido Dempsteri. De Palladio, et ejus ad Scotos legatione.

BRITANNICAS insulas, Polybii<sup>a</sup> et aliorum veterum Græcorum scriptis celebratas, numero binas, magnitudine reli-

<sup>a</sup> Polyb. hist. lib. 3. pag. 209. edit. Græco-Latin. Casauboni.

quis omnibus orbis tum cogniti insulis præferendas, his versibus reliquit testatum in Periegesi sua Dionysius :

Ἄλλαι δ' Ὀκεανοῖο παραὶ Βορρήτιδας ἀκτὰς  
 Δισσαὶ νῆσοι ἔασι Βρετανίδες, ἀντία Ῥηνοῦ,  
 Κεῖθι γὰρ ὑστατὴν ἀπερεύγεται εἰς ἄλλα δίνην.  
 Τάων τοι μέγεθος περιώσιον, οὐδέ τις ἄλλη  
 Νήσοις ἐν πάσῃσι Βρετανίσιιν ἰσοφαρίζει.

Quos Rhemnius Fannius ita interpretatus est :

Ast aliæ Oceani juxta Boreetidas<sup>b</sup> actas  
 Sunt geminæ Rhenique Britannides ostia cernunt :  
 Hic etenim lasso perrumpit Tethya cursu.  
 Has tamen haud habeat spatio superare per orbem  
 Insula.

Festus vero Avienus liberius isto modo reddidit :

Eminis hic aliæ gelidi prope flabra aquilonis  
 Exsuperant undas, et vasta cacumina tollunt.  
 Hæ numero geminæ, pingues sola, cespitis amplæ,  
 Conditur occidui<sup>c</sup> qua Rheni gurgitis unda,  
 Dira Britannorum sustentant agmina terris.

De iisdem, post Ptolemæum<sup>d</sup>, Marcianus Heracleota in Periplo: “ Αἱ Πρετανικαὶ νῆσοι δύο εἰσὶν, ἥτε καλουμένη Ἄλβίων καὶ ἡ Ἰουερνία. Britannicæ insulæ duæ sunt, quæ vocatur Albion, et quæ Ibernia:” et longo post utrumque intervallo, Græcus Dionysii interpretes Eustathius: “ Αἱ Βρετανίδες εἰσὶ δύο νῆσοι, Οὐερνία καὶ Ἀλουίων, ἥτοι Βερνία καὶ Ἀλβίων” et ante istos omnes, vel ipse Aristoteles, ut contendit Franciscus Patricius<sup>e</sup>, vel potius Theophrastus, ut Buchananus<sup>f</sup> voluit, aut illorum temporum, ut Muretus<sup>g</sup> censuit, æqualis alter, in libello de mundo ad regem Alexandrum scripto: “ Ἐν τούτῳ (de oceano loquitur) νῆσοι μέγισταί τε τυγχάνουσιν οὔσαι δύο, Βρετανικαὶ λεγόμεναι, Ἄλβιον καὶ Ἰέρνη” quæ Apuleius in suum de

<sup>b</sup> Borealia litora.

<sup>c</sup> An Oceano potius ? ut Jo. Pricæus vult.

<sup>d</sup> Ptolem. Geograph. lib. 2. cap. 2. et lib. 8. cap. 2.

<sup>e</sup> Fr. Patric. discuss. Peripatetic. tom. 1. lib. 6.

<sup>f</sup> Buchanan. rer. Scoticar. lib. 1.

<sup>g</sup> Muret. variar. lection. lib. 2. cap. 8.

mundo librum, ex Aristotele et Theophrasto, ut ille proficitur, desumptum, ita transtulit. “ In altera parte orbis jacent insularum aggeres maximarum; Britanniae duae, Albion et Ierna.” Nam qui Iernam nostram Alexandri Magni temporibus ignotam fuisse autumant, illud Orphei in Argonauticis non videntur consideravisse :

Πάρ δ' ἄρα νῆσον ἄμειβεν Ἰερνίδα.

Ut de Andréæ Schotti<sup>h</sup> crítica nihil dicam qui in versu illo, qui paulo ante præcesserat, Ἰξομαι εἰ νηέσσιν ἐριννύσιν ἄσσον ἴκωμαι pro νηέσσιν ἐριννύσιν legit νήσοις Ἰερνισιν, et de tempestate, quam circa Hiberniam insulam passi sunt Argonautæ, cum per oceanum Arctoum navigarent interpretatur. Nam Argonauticorum scriptorem Orpheum, non Thracium illum quidem (licet in toto opere personam ejus poeta induat) sed Crotoniatam, Pisistrato tyranno familiarem extitisse (eaque ratione Cyri, et laxatæ sub eo Judaicæ captivitatis, tempore claruisse) ex Asclepiada Suidas<sup>l</sup> nos docuit: cujusmodi antiquitatis ne ipse quidem populus Romanus, nominis sui testem, proferre poterit auctorem.

Hanc insulam “ Britannidem olim a Julio magno Cæsare vocatam,” Fabius Ethelwerdus<sup>k</sup> haud recte retulit. Non alio enim quam Hiberniæ nomine a Cæsare, uti post eum a Plinio, Solino et Tacito, designatam illam invenimus. Stephano tamen Byzantio “ Ἰουερνία ἡ Πρετανικῆ, τῶν δύο ἐλάσσων, Ibernia Britannica, e duabus minor;” Ptolemæo Alexandrino<sup>l</sup> Μικρὰ Βρεττανία, et Abrahamo<sup>m</sup> filio Chajæ, Rabbino Hispano, ברטנייא זעירה, id est, Britannia parva, ea est dicta. Atque ut Britanniae minoris nomine ab Albione, ita Scotiæ majoris appellatione ab Albania discriminatam illam aliquando fuisse animadvertimus. Ita Sigismundus imperator in diplomate, quod datum anno

<sup>h</sup> Schott. observat. human. lib. 2. cap. 20.

<sup>l</sup> Ὀρφεὺς Κροτωνιάτης, ἐποποιὸς· ὃν Πεισιστράτης συνεῖναι τῷ τυραννῶ Ἀσκληπιάδης φησὶν, ἐν τῷ ἕκτῳ βιβλίῳ τῶν γραμματικῶν. Δεκαητηρίαν, Ἀργοναυτικά, καὶ ἄλλα τινά. Suid. in Ὀρφεύς.

<sup>k</sup> Ethelwerd. chronic. lib. 4. cap. 4.

<sup>l</sup> Ptolem. Almagest. lib. 2. cap. 6. pag. 31. edit. Græc.

<sup>m</sup> R. Abrah. Chajah, in sphaera mundi, cap. 6.



MCCCCXXII. metropoli<sup>n</sup> Salisburgensi Wigulei Hundi intextum legitur: “Sane,” inquit, “pro parte religiosorum abbatis, prioris et conventus monasterii Scotorum et Ybernicorum de majori Scotia, in Ratisbona, devotorum nostrorum, oblata nostræ celsitudini supplex petitio continebat,” &c. et ante illum Dovenaldus O-Neyl, princeps Hibernicorum Ultoniæ, in fine literarum ad Johannem XXII. Romanum pontificem datarum: “Sciat<sup>o</sup> paternitas vestra reverenda, quod præter reges minoris Scotiæ, qui omnes de nostra majore Scotia originem sumpserunt, linguam nostram in conditiones quodammodo retinentes, reges de sanguine nostro centum nonaginta septem in tota Hiberniæ insula regnaverunt.” Ita Conradus a Monte puellarum canonicus Ratisbonensis, in vita S. Erhardi, quam ex codice MS. monasterii S. Magni Ratisbonæ a se descriptam communicavit mihi Stephanus Vitus: “Florerunt in area tempestatis hujus fluidæ et procellosæ vitæ viri sancti in Hibernia quæ major Scotia dicebatur, et se disperserant in numero multo per omnia Franciæ et Germaniæ loca, et hinc ad alia terreni orbis climata; ut lumine fidei illuminarent populum tenebrarum, et cæcitatibus erroribus extirpatis ad Solem justitiæ converterent oculos lippientes.” Cui concinit et antiquus ille Ratisbonensis breviarii de eodem S. Erhardo hymnus:

Verus hic Israelita,  
Quem fraus omnis fugit:  
Hunc exortum pusionem  
Major Scotia nutriit.

Et quidem Britannicos Scotos a nostris et nomen traxisse suum et originem, præter auctores jam antea<sup>p</sup> a nobis laudatos, testem etiam hic nobis ultro se præbet Giraldus Cambrensis<sup>q</sup>. Cum enim Hibernienses scripsisset “dictos esse et Gaidelos, dictos esse et Scotos;” subdit, “Scotiam quoque partem insulæ Britannicæ dictam esse aquilonarem, quia gens originaliter ab his propagata terram

<sup>n</sup> Tom. 2. pag. 396. edit. Monach. ann. 1620.

<sup>o</sup> Scotichronic. lib. 12. cap. 32.

<sup>p</sup> Supra, cap. 15. pag. 103.

<sup>q</sup> Girald. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 7. Vid. supra, pag. 115.

illam habitare dignoscitur. Quod tam linguæ, quam cultus, tam armorum etiam quam morum, usque in hodiernum probat affinitas." Cui et Johannem Tinmuthensem comitem adjungimus, S. Columbani vitam sic exordientem: "Beatus Columbanus in Hibernia insula in oceano sita, quam Scotorum gens inhabitat, ortus est. Hibernia enim antiquitus Scotia dicta est: de qua gens Scotorum Albaniam Britannæ majori proximam, quæ ab eventu modo Scotia dicitur, inhabitans originem duxit et progressum habuit." Et S. Columbæ vitam ita terminantem: "Est autem sciendum, quod Hibernia proprie Scotorum est patria. Antiquitus igitur Scotia pro Hibernia sæpius scribi solet; sicut hic in vita sancti Columbæ diligentèr intuentibus apparet: et etiam venerabilis Beda de gestis Anglorum, multis in locis Hiberniam exprimere volens, Scotiam scripsit."

Quando vero primum Græcis et Romanis nomen Scotorum innotuerit, et quamdiu Hiberniæ nostræ incolæ illud retinuerunt; res a multis est et quæsitæ et disputata. Qui primo et secundo post Christum seculo Scotici nominis mentionem reperisse se existimant; vel ementitæ antiquitatis monumenta, vel novorum criticorum conjecturas<sup>r</sup> pro certis veterum testimoniis nobis hic obtrudunt. Nam ubi in Ἀποκολοκυνθῶσει sua Seneca de Claudio ludens cecinit:

Ille Britannos  
 Ultra vagi  
 Litora ponti,  
 Et cæruleos  
 Scuta Brigantes,  
 Dare Romulcis  
 Colla catenis  
 Jussit, et ipsum  
 Nova Romanæ  
 Jura securis  
 Tremere Oceanum.

Josephus Scaliger in Propertianis primum notis, deinceps in Eusebianis<sup>s</sup> animadversionibus, pro Scuta Brigantes,

<sup>r</sup> Vid. Hiberniam Resurgentem D.R. sect. 245, 246.

<sup>s</sup> Scalig. ad Eusebii annum MMLX.

legi vult, Scoto-Brigantes : et ubi Florus poeta in Adrianum imperatorem, apud Ælium Spartianum, similiter lusit :

Ego nolo Cæsar esse,  
Ambulare per Britannos,  
Scythicas pati pruinas.

Pro Scythicas, Thomas Dempsterus Scoticas substituit: "Nec tamen hæc divinatio est," ait ille, "sed<sup>l</sup> liber meus MS. probissimæ notæ correctionem diserte adstruit." Verum tam suspectæ<sup>m</sup> fidei hominem illum fuisse comperimus, et toties tesseram fregisse; ut oculos nos esse hic oporteat et, nisi quod videmus, nihil ab eo acceptum credere.

His adduntur auctores subdititii duo, Joseph Ben Gorion et Hegesippus: qui in oratione a Josepho ad obsessos Hierosolymitanos habita mentionem Scotiæ ab eo factam fuisse fingunt. Sic enim de Romanis ille loquens apud Hegesippum<sup>v</sup> introducitur: "Quid vobis cum victoribus universæ terræ; quibus secreta oceani et extrema India parent<sup>x</sup>? Quid attexam Britannias, interfuso mari a toto orbe divisas, et a Romanis in orbem terrarum redactas? Tremit hos Scotia, quæ terris nihil debet: tremit Saxonia inaccessa paludibus, et inviis septa regionibus." Nomine Scotiæ, quam insulam facit nulli alii terræ conjunctam continuatamque Hiberniam, quod etiam a Camdeno<sup>y</sup> est notatum, haud dubie designans. Apud Pseudogorionidem<sup>z</sup> vero, majore cum loquacitate pariter et vanitate: "Quid vero, fratres et amici mei, Romanis bellum inferre vultis? cum ipsi dominatores sint gentium; qui aperuerunt claustra Indiæ et omnium insularum maris usque ad mare oceanum, et omnes partes orientales. Qui et imperium habent in terminos terræ, usque ad Britanniam; et in omnem Scotiam<sup>a</sup>, quæ stagnis aquarum undique

<sup>l</sup> Dempster. apparatus. ad histor. Scotic. lib. 1. cap. 1.

<sup>m</sup> Vide supra, pag. 117.

<sup>v</sup> Hegesip. de Excid. Hierosolym. lib. 5. cap. 15. Vide et Balderic. in chronic. Camaracens. lib. 1. cap. 2.

<sup>x</sup> Patent?

<sup>y</sup> Camden. Britann. pag. 89.

<sup>z</sup> Ben. Gorion, perek 84. fol. 126. editionis Hebraicæ, Venetiis excusæ.

<sup>a</sup> סקטיא

clausa est: cujus populus magnus est sicut gigantes, proceræ homines staturæ et fortissimi, peritissimique jaculandi sagittas, atque strenuissimi milites in bello. Ad quos cum venisset dux exercitus Romani, opposuerunt se illi, nec voluerunt ei subditi esse: cum autem reges Romanorum venerunt, subegerunt eos ut servirent ipsis.”

Vespasianum vero, quum adhuc Neronis dux esset, “ percussisse totam terram occidentalem, et Aschenaz (sive Germaniam) et Scotiam<sup>b</sup>, et totam terram Tubal, et universam terram Togarma,” alter<sup>c</sup> ille Hebræus significat, qui Pseudo-Josephi hujus majus opus in compendium rededit, et alicubi etiam aliarum fabularum interjectione nonnihil auxit. Sed utrumque infimæ antiquitatis esse scriptorem, præter alios luculenter jam pridem ostendit Scaliger<sup>d</sup>: alterumque illum *ψευδώνυμον* Hegesippum Constantinianis posteriorem fuisse temporibus, illa de Antiochia verba satis declarant: “ Urbs<sup>e</sup> tertio loco ante ex omnibus quæ in orbe Romano sunt civitatibus æstimata, nunc quarto, postquam Constantinopolis excrevit civitas Byzantium: Persarum quondam caput, nunc repulsorium. Prima enim Roma, secunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Constantinopolis.” Quam tamen postremam periodum contra mentem auctoris ab alio adjectam fuisse, res ipsa indicat: sicut et fortasse pericopen illam proxime præcedentem, ex qua non multo post annum DCCCCLXVIII. Hegesippum hunc vixisse collegit eruditissimus Vossius<sup>f</sup>. Cujus opinioni ne penitus hic assentiar, tum floridior quam ea ferebant tempora scriptoris stylus, tum Isidori Hispalensis me cohibet auctoritas; quem in libris Originum<sup>g</sup> non solum ad ea quæ in prius citato Hegesippi testimonio de Saxonia dicta sunt leviter alluisse, sed ista etiam, quæ de ejusdem gentis incolis ibidem subjiciuntur, plane expressisse deprehendi: “ Validissimum<sup>h</sup> genus ho-

<sup>b</sup> אשקזיא

<sup>c</sup> Josephi compend. pag. 206. edit. Basil. ann. 1559.

<sup>d</sup> Joseph. Scalig. in Elencho Trihæresii, cap. 4.

<sup>e</sup> Hegesip. lib. 3. cap. 5.

<sup>f</sup> Voss. de historic. Græc. lib. 2. cap. 14.

<sup>g</sup> Isidor. Origin. lib. 9. cap. 2. et lib. 19. cap. 1.

<sup>h</sup> Hegesip. lib. 5. cap. 15.

minum perhibetur, præstans cæteris : piraticis tamen myoparionibus non viribus nititur, fugæ potius quam bello parata." B. Ambrosium, quem alii<sup>l</sup> interpretem, Johannes Hesselius Lovaniensis<sup>k</sup> multo rectius auctorem hujus operis fuisse censuit : eo certe antiquiorem non fuisse, res est quæ in dubium venire non potest.

Unde apparet, quod jam antea<sup>l</sup> diximus, Scoticarum gentium, et quidem extra Britanniam positarum, tertio post Christum seculo primum meminisse Porphyrium, verbis illis ab Hieronymo, in epistola ad Ctesiphontem contra Pelagium Britannum et Celestium Scotum scripta, productis. "Neque enim Britannia fertilis provincia tyrannorum, et Scoticæ gentes, omnesque usque ad oceanum per circuitum barbaræ nationes, Moysen prophetasque cognoverant." Licet enim pro Scoticis gentibus quosdam codices habere Scythicas Erasmus hic annotaverit: vulgatam tamen lectionem omnino retinendam vel illud argumento fuerit, quod Scoticæ gentes cum Britannia, et barbaris nationibus ad oceanum habitantibus, jungantur. Sub ejusdem seculi exitum ab Eumenio rhetore ad Constantium Cæsarem habitus est panegyricus : in quo Britanniam<sup>m</sup> Pictis et Hibernis assuetam hostibus commemorans, quos Pictorum et Scotorum nomine proxime subsequente seculo ab Ammiano et Claudiano designatos cernimus, Hiberniam veterum Scotorum patriam statuendam esse comprobatur : quod et illa Claudiani apertissime confirmant :

Scotorum<sup>n</sup> cumulos flevit glacialis Ierne.

Et

—— Totam<sup>o</sup> cum Scotus Iernen  
Movit, et infesto spumavit remige Tethys.

Ejusdem veritatis in quinto post natum Christum seculo testem habemus locupletissimum Paulum Orosium, Hiber-

<sup>l</sup> Joh. Fischer. Roffensis, in libro contra Velenum. Lil. Gregor. Girald. de Poet. histor. dialog. 7.

<sup>k</sup> Jo. Hessel. in censura historiar. sanctorum.

<sup>l</sup> Supra, cap. 15. pag. 112. Vid. et cap. 8. op. tom. 5. pag. 254.

<sup>m</sup> Supra, cap. 15. pag. 115.

<sup>n</sup> Supra, cap. 15. pag. 103.

<sup>o</sup> Supra, cap. 15. pag. 123.

niam nostram ita describentem: “Hæc<sup>p</sup> propior Britannia, spatio terrarum angustior, sed cœli solisque temperie magis utilis, a Scotorum gentibus colitur.” Et B. Patricium nostrum, cui confessionem tributam habemus, in qua Scotorum et Hibernorum nomen promiscue usurpatur; et Fæchum Sleibhtiensem, qui Patricium Scotis evangelium annunciavisse canit: in sexto vero Gildam Britannum, qui cum Britanniam<sup>q</sup> primum a “duabus gentibus transmarinis vehementer sævis, Scotorum a circio et Pictorum ab aquilone,” per multos annos conculcatum fuisse docuisset; de iisdem postea subdit, “Revertuntur<sup>r</sup> impudentes grassatores Hiberni domum; post non longum temporis reversuri. Picti in extrema parte insulæ tunc primum et deinceps requieverunt.” Ubi Scotos et Hibernos pro una et eadem gente accipit: quod et a Cogitoso, tum<sup>s</sup> in prologo tum in epilogo vitæ S. Brigidæ, factitatum observatur, et ab alio quoque, qui ejusdem virginis acta heroicis descripsit versibus, atque in prologo sub Scotia nomine Hiberniam nostram hisce depinxit elegit<sup>t</sup>:

Finibus occiduis describitur optima tellus,  
 Nomine et antiquis Scotia dicta libris.  
 Dives opum, argenti, gemmarum, vestis et auri,  
 Commoda corporibus, aere, sole, solo.  
 Melle fluit pulchris et lacte Scotia campis,  
 Vestibus atque armis, frugibus, arte, viris.  
 Ursorum rabies nulla est ibi; sæva leonum  
 Semina non unquam Scotia terra tulit.  
 Nulla venena nocent; nec serpens serpit in herba,  
 Nec conquesta canit garrula rana lacu.  
 In qua Scotorum gentes habitare merentur:  
 Inclyta gens hominum milite, pace, fide.  
 De qua nata fuit quondam sanctissima virgo  
 Brigida; Scotorum gloria, nomen, honor.

In septimo seculo literas, et e Britannia a Laurentio<sup>u</sup>, Mellito et Justo Anglorum episcopis, et ex Italia<sup>v</sup> tum ab Honorio pontifice tum a Romano clero post successoris

<sup>p</sup> P. Oros. hist. lib. 1. cap. 2.

<sup>q</sup> Supra, cap. 15. pag. 122.

<sup>r</sup> Ibid. cap. 15. pag. 143, 144.

<sup>s</sup> Tom. 5. antiqu. lect. Henr. Canisii, pag. 625, 626. et 641.

<sup>t</sup> Ex bibliotheca Cassinensi et Constantini Cajetani abbatis deprompta communicavit nobis Stephanus Vitus.

<sup>u</sup> Bed. hist. eccles. lib. 2. cap. 4.

<sup>v</sup> Ibid. cap. 19.

ipsius Severini obitum, ad “Scotos qui Hiberniam insulam Britanniae proximam incolunt” exaratas, Beda memorat. Eodemque seculo, Isidorus Hispalensis scripsit: “Scotia<sup>w</sup>, eadem et Hibernia, proxima Britanniae insula, spatio terrarum angustior, sed situ fecundior.” Et Jonas abbas, in vita B. Columbani: “Columbanus, qui et Columba, ortus est in Hibernia, insula in extremo oceano sita. Hanc Scotorum gens incolit: gens quanquam absque reliquarum gentium legibus, tamen in Christiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum gentium fide præpollat.” Hinc de Furseo Hiberno vetus actorum ipsius descriptor, Beda antiquior: “Verbum Dei per universam Hiberniam prædicabat, et ea quæ viderat vel audierat omnibus populis Scotorum adnunciabat.” Et alius vitæ ejusdem scriptor: “Beatissimus<sup>x</sup> Furseus navigans ex Scotia sive Hibernia, venit in Galliam.” Ita Dicuil Hibernus, in libro de mensura provinciarum orbis terræ, cum dixisset; “Circum nostram insulam Hiberniam sunt insulæ, sed aliæ parvæ atque aliæ minimæ:” de Hethlandicis vel Shetlandicis, ni fallor, postea addit: “Illæ insulæ sunt aliæ parvulæ, fere cunctæ simul angustis distantes fretis; in quibus, in centum ferme annis, eremitæ ex nostra Scotia navigantes habitaverunt.” Hibernian, et Scotiam suam, pro eadem accipiens insula. Qua etiam ratione apud Aldhelmum abbatem Malmesburiensem, in epistola ad Ealfridum, “Hibernenses<sup>y</sup> et Scoticos,” “Hiberniam<sup>z</sup> et Scoticum solum,” ut synonyma usurpari; et apud Adamnanum Heyensem abbatem, de rebus S. Columbæ scribentem, in<sup>a</sup> iisdem narrationibus eandem regionem Scotiam simul et Hiberniam subinde appellari animadvertimus.

Eundem Adamnanum “reversum ad Scotiam, multas

<sup>w</sup> Isidor. Origin. lib. 14. cap. 6.

<sup>x</sup> Tom. 1. hist. Franc. script. ab Andr. du Chesne edit. Paris. ann. 1636. pag. 657.

<sup>y</sup> Epistolar. Hibernic. syllog. num. 13. op. tom. 4. pag. 448.

<sup>z</sup> Ibid. pag. 448.

<sup>a</sup> Adamnan. vit. Columbæ, lib. 1. cap. 2. 13. 23. 30. et lib. 2. cap. 25, 26. edit. H. Canisii.

gentis ejusdem turbas ad Catholicam temporis paschalis observantiam sua prædicatione correxisse," sub initium octavi seculi scripsit abbas Ceolfridus<sup>b</sup>. Quod a Bedæ<sup>c</sup>, qui sub illius regimine monasticam vitam excoluit, ita explicatum invenimus: "Navigavit Hiberniam, et prædicans eis ac modesta exhortatione declarans legitimum Paschæ tempus, plurimos eorum legitimum Paschæ tempus observare perdocuit." Horum enim temporibus Hibernia<sup>d</sup> proprie patria Scotorum habebatur; atque, ut Isidori ætate, Scotia eadem erat et Hibernia. Atque inde est, quod Beda libri quarti ecclesiasticæ suæ historiæ capite vigesimo sexto quum dixisset, "Anno Dominicæ incarnationis DCLXXXIV. Ecgfridum regem Nordanhumborum, misso Hiberniam cum exercitu duce Berhto, vastavisse misere gentem innoxiam, et nationi Anglorum semper amicissimam," idem postea repetens, eum "Scotiam nil se lædentem impugnasse" scribit: ubi Scotiam eandem facit et Hiberniam, etiam in eo capitulo, in quo coloniæ inde deductæ Scotorum qui erant in Britannia expresse meminit. Similiter quoque libri tertii capite decimo nono postquam retulisset, "supervenisse de Hibernia virum sanctum nomine Furseum;" ad eandem narrationem iterum rediens, eum "multis annis in Scotia verbum Dei omnibus annunciantem, ab ipsa quoque insula patria discessisse" narrat: et quod in quarto ejusdem libri capite de S. Columba affirmaverat, in Britanniam eum "venisse de Hibernia, prædicaturum verbum Dei provinciis septentrionalium Pictorum," id in chronologica totius historiæ epitoma sic exprimendum censuit, "Columba presbyter de Scotia venit Britanniam, ad docendos Pictos:" quomodo et de S. Willibrordo cum scripsisset Alcuinus;

Quem<sup>e</sup> tibi jam genuit fœcunda Britannia mater,  
Doctaque nutritiv studiis sed Hibernia sacris:

<sup>b</sup> Ceolfrid. in epist. ad Naitanum regem; apud Bedam, lib. 5. hist. cap. 22.

<sup>c</sup> Ibid. cap. 16.

<sup>d</sup> Bed. hist. lib. 1. cap. 1. Vid. et lib. 3. cap. 27. et martyrolog. ejusd. VIII. Id. Julii.

<sup>e</sup> Alcuin. vit. Willibrord. lib. 2. cap. 1.



Illud iterum ita extulit:

Ut<sup>f</sup> dudum cecini, fœcunda Britannia mater,  
Patria Scotorum clara magistra fuit.

Nono post Christum seculo Eginhardus, Caroli Magni notarius, in annalibus suis ad annum DCCCXII. de rebus nostris hoc scriptum reliquit: "Classis Nordmannorum Hiberniam Scotorum insulam aggressa; commissoque cum Scotis prælio, parte non modica Nordmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reversa est." Eadem fere habet Engolismensis ille monachus, qui Caroli Magni vitam descripsit: quæ Ermenoldus, vel quicumque Fuldensium annalium fuit collector, brevius sic exposuit: "Classis Danorum Hiberniam aggressa, a Scotis prælio superatur." Ita Rabano Mauro, Moguntino archiepiscopo, "Hibernia<sup>g</sup> Scotorum insula est," atque "Scotia<sup>h</sup> eadem et Hibernia." Et a Walafrido Strabo, abbate Augiensi, S. Gallus modo de Hibernia<sup>i</sup> insula, modo de gente<sup>k</sup> Scotorum, ortus fuisse traditur. Et Wandelbertus Prumiensis diaconus, in martyrologio suo decimo sexto Calendas Aprilis de B. Patricio, qui Hibernos ad fidem Christi convertit, ita canit:

Bisque octona tuo, Patrici, nomine pollet,  
Scotica gentilem miserate per oppida cultum.

Et vitæ S. Findani scriptor: "Vir<sup>l</sup> quidam nomine Findan genere Scottus, civis provinciæ Laginensis, &c. Prædicti viri sororem gentiles, qui Nordmanni vocantur, plurima Scottiæ insulæ, quæ et Hibernia dicitur, loca vastantes inter alias fœminas adduxere captivam." Et apud Ninium Britannum ejusmodi dicta passim occurrunt: "Novissime venerunt Scoti a partibus Hispaniæ ad Hiberniam. Novissime venit Clam Hoctor, et ibi habitavit cum omni gente sua usque hodie. Nulla tamen certa historia ori-

<sup>f</sup> Alcuin. vit. Willibrord. lib. 2. cap. 33.

<sup>g</sup> Raban. in martyrologio, VIII. Id. Julii.

<sup>h</sup> Id. de universo, lib. 12. cap. 5.

<sup>i</sup> Walafrid. præfat. in vitam Galli.

<sup>k</sup> Id. lib. I. cap. 20. et lib. 2. cap. 46.

<sup>l</sup> Tom. I. Alamannicar. rerum scriptor. a Goldasto<sup>j</sup> edit. pag. 318. Benedict. Gonon. appendic. ad vitas patrum occidentis, pag. 455.

ginis Scotorum reperitur. Si quis scire voluerit, quanto tempore fuit inhabitabilis et deserta Hibernia; sic mihi peritissimi Scotorum nunciaverunt. Scythæ (al. Scoti) in quarta ætate mundi obtinuerunt Hiberniam. Scythæ autem qui sunt in occidente<sup>m</sup>, et Picti de aquilone, pugnabant unanimiter et uno impetu contra Britones.” Rathrannus quoque Corbeiensis monachus, libro quarto contra Græcos; “Scotorum, inquit, natio Hiberniam insulam inhabitans consuetudinem habet per monasteria monachorum seu canonicorum, vel quorumcunque religiosorum, omni tempore præter Dominicam festosque dies jejunare; nec nisi vel ad nonam vel ad vesperam corpori cibum indulgere.” Quibus et illud Ælfredi regis addi potest, in Saxonica sua translatione Orosii: “Izbernia that pe Scotland hatath: Hibernia, quam nos Scotlandiam appellamus.”

Seculo decimo Hucbaldus Elnonensis monachus, in vita Lebuini, Britannia dicit adjacere Scotiam sive Hiberniam. Adso abbas in carmine de S. Mansueto ad Gerardum Tullensem episcopum edito (suo loco a nobis producendo) eandem quoque Scotiam facit et Hiberniam. Fabius Ethelwerdus<sup>n</sup>, et annales Anglo-Saxonici, tres<sup>o</sup> Scotos de Hibernia anno DCCCXCI. ad Ælfredum Anglorum regem venisse narrant: Dufslanum primum, Macbæthum secundum, Mælinniunum sive Magilmumenum tertium, “artibus (ut ille loquitur) frondentem, litera doctum, magistrum insignem Scotorum.” Addunt iidem annales, et ex eis Florentius Wigorniensis, “eodem anno Swifneh doctorem Scotorum peritissimum obiisse:” quod in Ultoniensibus nostris annalibus ita consignatum invenio: “Suibne Mac-Mailehuvai anachorita et scriba optimus Cluan Macnois<sup>p</sup> dormivit.” Quo et illud fortasse Caradoci Lancarvanensis referendum fuerit, licet aliquantula annorum sit discrepantia, in chronico Cambro-Britannico. “Anno DCCCLXXXIX. Submon Cubin, doctorum Scotiae

<sup>m</sup> Vide supra, cap. 15. pag. 123.

<sup>n</sup> Ethelwerd. chronic. lib. 4. cap. 3. Vid. Florent. Wigorn. ad ann. 892. et Matt. Florileg. ad ann. 891.

<sup>o</sup> Thome Scottar.

<sup>p</sup> Clonensis episcopatus ea sedes est, in occidentali Midia.

maximus, obiit." Decimo quoque seculo Notkerus Balbulus, Sangallensis monachus claruit: apud quem in Caroli Magni vita, huc spectans occurrit istud: "Contigit duos Scotos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad litus Galliae devenire, viros et in secularibus et in sacris Scripturis incomparabiliter eruditos." Et in martyrologio, ad decimum sextum Calendas Aprilis, "In Scotia nati-<sup>9</sup> vitas S. Patricii episcopi, natione Britanni; qui in Hibernia insula Scotis primum evangelizavit nomen Domini nostri Jesu Christi, et eos per miraculorum ostensionem ad fidem veram convertit." Et ad octavum Idus Julias: "Passio S. Kiliani primi Wirzburgensis civitatis episcopi, et duorum discipulorum ejus, Colonati scilicet presbyteri et Totnani diaconi: qui ab Hibernia Scotorum insula venientes, et a pontifice sedis apostolicæ auctoritate accepta, nomen Christi in eodem loco et in circuitu prædicaverunt." Cui et Anglo-Saxonicum martyrologium consonat (in libro, quem Exoniensi ecclesiæ Leofricus episcopus donavit, Spel-boc dicto) ad decimum septimum diem Martii de B. Patricio adnotans: "ƿe Ʒelapde tha magthe to. Ʒeleapān Hiebepnia, that iƷ Scotta magthe. Qui docuit populum credere Hiberniæ, id est, Scotorum populum." Et antiquus vitæ Kiliani scriptor, Hiberniam nostram hoc ornans elogio: "Scotia<sup>r</sup>, quæ et Hibernia dicitur, insula est maris oceani, fœcunda quidem glebis, sed sanctissimis clarior viris: ex quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Kiliano Teutonica nobilitatur Francia."

Hic vero de gentis utriusque Scotorum distinctione Georgium Buchananum audire fuerit operæ pretium; quo nemo diligentius antiquitates patrias est perscrutatus. Is, quum<sup>s</sup> docuisset ex Orosio, "Scotos omnes Hiberniæ habitatores initio vocatos" fuisse; addit, "Principio autem cum utrique, id est, Hiberniæ incolæ, et coloni eorum in Albium missi, Scoti appellarentur; ut discrimine aliquo alteri ab alteris distinguerentur, initio cœpere alteri Scoti Ierni, alteri Scoti

<sup>9</sup> Natalis, id est, obitus dies.

<sup>r</sup> Vit. Kiliani, tom. 4. antiqu. lect. II. Canisii, pag. 629.

<sup>s</sup> Buchanan. rer. Scoticar. lib. 2. pag. 55. edit. Francofurt. ann. 1624.

Albini vocari." Et postea, "Cum ipsi se Albinos nomine ab Albio declinato vocent, vicini tamen Scotos eos nuncupant; quo nomine origo eorum ab Hibernis declaratur." Genuini enim Scoti se<sup>u</sup> Albinich vel Albanach, et regionem suam Albin vocant; ab Albio, ut ille putat, sive Albione, quod antiquissimum Britanniae nomen fuit, derivato vocabulo. Cui aliquantulum et illud favet, quod Drum-Albin, locum in quo hodierna Scotia maxime attollitur, Johannes Fordonus<sup>w</sup> Dorsum Albaniae, Adamnanus<sup>x</sup> Dorsum Britanniae est interpretatus: Britanniae ad Caledoniam denotandam restricto vocabulo: ut quum antiqua Britonum patria ab Anglo-Saxonibus occupata, novum Saxoniae vel Angliae nomen obtinuit, Caledoniae, Pictorum et Scotorum sedi, vetus Albionis et Britanniae appellatio quasi propria relicta fuisse videretur.

Sed et ulterius hic notandum; quemadmodum nostra aetate, Anglo-Britannorum et Anglo-Hibernicorum distinctio duplicem Angliam non efficit, unam in Britannia, in Hibernia quaerendam alteram: ita nec antiquioribus illis temporibus, Scoto-Hibernorum et Scoto-Britannorum discretas sedes duplicem constituisse Scotiam. Licet enim Beda, Scotos<sup>y</sup> qui Hiberniam, et Scotos<sup>z</sup> qui Britanniam incolunt diligenter distinguat: ipsa tamen Scotia ei semper est unica; eadem nimirum, ut ostendimus, quae Hibernia. Nam neque Dalrieda, quae ad annum usque DCCCXL. Scotorum Britannicorum sedes erat, Scotiae nomen est consecuta; neque etiam integra ipsa Albania, debellatis statim Pictis, sed tum demum quum populo utroque in unam gentem coalescente obsolevit plane nationis Picticae memoria. Quod ut ante undecimum post Christi nativitatem seculum haudquaquam factum, in fine praecedentis capituli declaravimus: ita neminem, qui toto antecedentium annorum spatio scripserit, produci posse arbitramur,

<sup>u</sup> Buchanan. rer. Scot. lib. 2. pag. 64.

<sup>w</sup> Id. lib. 1. pag. 11. Vide Henr. Huntingdon. histor. lib. 8. ad annum 3. reg. Stephani: et Johann. Major, de gest. Scotor. lib. 4. cap. 11.

<sup>x</sup> Fordon. Scotichronic. lib. 2. cap. 12.

<sup>y</sup> Adamnan. vit. Columbæ, lib. 2. cap. 28. et lib. 3. cap. 18.

<sup>z</sup> Bed. hist. lib. 2. cap. 4. lib. 3. cap. 3. et lib. 5. cap. 16.

<sup>z</sup> Id. lib. 1. cap. 34. lib. 4. cap. 26. et lib. 5. cap. 24.

qui Scotiæ appellatione Albaniam unquam designaverit. Quæ tamen postea in frequentissimo usu esse cœpit, quum Angli Hibernos sua lingua Irish, Latina Iros<sup>a</sup> et Ireenses<sup>b</sup>; atque terram eorum Ire-land<sup>c</sup> vocare assueverunt; vocabulo etiam ad Germanos, Gallos, Hispanos, Italos, ipsosque Arabas<sup>d</sup> deinde propagato. Nam et Nubiensis geographus circa annum MCL. Hiberniam Irlandæ<sup>d</sup>, Albaniam Scotiæ nomine designat.

Neque vero quamprimum apud externos Irlandiæ illud vocabulum in frequentiore usum est admissum, vel Scotiæ appellationem Hibernia deposuit, vel Scotorum nomen Hiberni statim amiserunt. Nam in undecimo quoque isto seculo, ut de Hermanno Contracto nihil dicamus, qui, cum aliis, "Classem<sup>e</sup> Danorum Hiberniam invadentem a Scotis victam fuisse" retulit, et Adamus Bremensis<sup>f</sup>, qui Irland nominat, Hiberniam Scotorum patriam nuncupat; et Johannes<sup>g</sup> Sulgeni Menevensis episcopi filius, apud quem Albaniam vocem primum invenimus, Hibernos et Scotos eosdem facit; et Marianus Scotos, qui inter primos Albaniam, si vulgato<sup>h</sup> saltem chronico fidem adhibemus, Scotiam nomen tribuit, Hiberniam nihilo secius Scotorum insulam fuisse agnoscit: "Sancta Brigida Scotorum virgo in Hibernia diem clausit extremum," inquit ille, ad Christi annum DXXI. et ad annum DCLXXXVII. "Sanctus Kilianus Scotus, de Hibernia insula natus, Wirtzburgensis episcopus, clarus habetur." Et ad annum DCLXXIV. "Hibernia insula Scotorum, sanctis viris plena habetur." Ita enim ex Francofurtensi codice locum restituit, in suis ad vitam Kiliani notis, Nicolaus Serarius: quum in Mariani chronico, quod Florentii Wigorniensis annalibus est intextum, legatur: "Hibernia, insula sanctorum, sanctis et mirabilibus per plurimos sublimiter plena habetur." Ut

<sup>a</sup> Elnothus Cantuariens. de vita Canuti, cap. 10.

<sup>b</sup> Orderic. Vitalis, ecclesiastic. histor. lib. 10. ad ann. 1098.

<sup>c</sup> Irlandam. Id. ibid.

<sup>d</sup> Geograph. Arab. part. 2. climatis 7.

<sup>e</sup> Hermann. chronic. tom. 1. antiqu. lect. II. Canisii, pag. 529.

<sup>f</sup> Adam. hist. ecclesiast. cap. 217.

<sup>g</sup> Vid. præfationem nostram in epistolar. Hibernicar. syllogen.

<sup>h</sup> Marian. chronic. ann. 1034. 1040. et 1050. edit. Basil. ann. 1559.

et ad annum quoque DLXXXIX. “ Sanctus pater Columbanus ex Hibernia, insula sanctorum, cum sancto Gallo aliisque probatis discipulis venit in Burgundiam.” Quo utroque in loco Basilius Johannes Heroldus, qui ex Francofurtensi illo manuscripto Marianum primus in lucem dedit, et Scotorum et sanctorum voces penitus prætermisit: quas contracte scriptas inter se facile permutari, vel Francofurtensis topographiæ Hiberniæ Giraldi editio fidem fecerit, quæ<sup>1</sup> Scotorum pro sanctorum nobis exhibet merita.

Quin et ipsum Marianum Hiberniensem fuisse Scotum confirmat Florentius, vel Wigorniensis potius monachus qui sub rege Stephano Florentii rerum Anglicarum collectanea, ex Asserio Menevensi et Saxonice annalibus translata, cum universali Mariani chronico commiscuit, et ad annum MCXXXI. continuavit. Sic enim ille, ad annum MXXVIII. “ Hoc anno natus est Marianus Hibernensis probabilis Scotus; cujus studio et labore hæc chronica præcellens est de diversis libris coadunata.” Et scriptor chronici quod in bibliotheca Cottoniana habetur, a nativitate Christi usque ad annum MCLXXXI. deductum: “ Anno MXXVIII. Marianus chronographus Hibernensis Scotus natus est; qui chronicam chronicorum composuit.” Unde in tractatu inter commissarios Henrici IV. Anglorum et Roberti III. Scotorum regis, anno MCCCCI. die Martis, decimo octavo mensis Octobris habito, quem in eadem bibliotheca vidimus, cum “ Alanus Newerk clericus, ex chronicis confirmans, quod reges Scotiæ homagium ligium solebant facere regibus Anglis, subjungendo dixisset; quod de his omnibus fuerunt et sunt nonnullæ chronicæ in nonnullis monasteriis Angliæ repertæ, et remanentes fideliter conservatæ, etiam scriptæ per quandam Scotum nomine Marianum:” pro jure regis Scotiæ respondens Johannes de Merton decretorum doctor, “ ibidem dixit expresse et fatebatur, quod ille Marianus fuit tempore quo vixit fidelissimus homo; sed subjunxit, quod fuit Scotus de Hibernia, et non natus in

<sup>1</sup> Girald. Cambrens. topograph. distinct. I. cap. 23.

eorum Scotia." Sed de Mariano satis: cujus chronicon integritati suæ restitutum a clarissimo viro Gerardo Johanne Vossio propediem expectamus.

Sub duodecimi seculi initium Theodoricus, abbas monasterii S. Trudonis in Leodiensi territorio, S. Rumoldo, Mechliniæ<sup>k</sup> anno DCCLXXV. a sicariis interempto, patriam<sup>l</sup> assignans Scotiæ insulam, Britanniæ adjacentem et ab ea mari interjecto diremptam; ad nostram plane digittum intendit Hiberniam: quæ de ea Solinus disertis verbis protulit, ita recitans: "Hæc est illa Scotia, teste Solino, olim inhumana incolarum ritu aspero, alias ita pabulosa, ut pecua interdum, nisi a pascuis arceantur, in periculum agat saties." Et Sigebertus Gemblacensis in chronico, ad annum CCCCLXXXII. de Patricio nostro scribens: "Archiepiscopus Scotus ordinatus, per sexaginta annos signis, sanctitate, doctrina excellens, totam insulam Hiberniam convertit ad Christum." Eam a Scotia Britannica, ulterioris adjecto epitheto, Bernardus<sup>m</sup> discriminat: de Malachia Armachano archiepiscopo scribens: "Ab ulteriores Scotia usque cucurrit ille ad mortem." Et quum in Benchorensi apud Hibernos monasterio oratorium lapideum, contra patriæ consuetudinem, extruere vellet Malachias: iniquum quendam obtrectatorem, indigenarum nomine, ita illi obloquentem inducit: "O bone vir, quid tibi visum est nostris hanc inducere regionibus novitatem? Scoti sumus, non Galli." E lapide enim sacras aedes efficere, tam Scotis<sup>n</sup> quam Britonibus<sup>o</sup> morem fuisse insolitum, ex Beda quoque didicimus. Indeque in S. Monenæ monasterio ecclesiam constructam fuisse notat Conchubranus "tabulis dedolatis, juxta morem Scotticarum gentium: cō quod macerias Scoti non solent facere, nec factas habere." In decimo tertio vero seculo Cæsarius Heisterbachensis Scotiæ nomen Hiberniæ tribuit apertis-

<sup>k</sup> Jo. Molan. natal. sanctor. Belgii; Jul. 1.

<sup>l</sup> Theoderic. vit. Rumoldi, tom. 7. vitar. sanctor. a Jacobo Mosandro edit. ad Jul. 1.

<sup>m</sup> Bernard. vit. Malachie.

<sup>n</sup> Bed. hist. eccles. lib. 3. cap. 25. init.

<sup>o</sup> Id. ibid. cap. 4. ut supra, pag. 200. Vid. et cap. 6. op. tom. 5. pag. 141.

sime: quum, vulgi credulitate fretus, ad pœnas purgatorias stabilendas nimis sane confidenter hoc urget argumentum: “ Qui<sup>p</sup> de purgatorio dubitat, Scotiam pergat, purgatorium sancti Patricii intret; et de purgatorii pœnis amplius non dubitabit.” Neque repetere opus est quæ ex decimo quarto et decimo quinto seculo Dovenaldi Nellani principis Hibernici et Sigismundi Cæsaris jam producta sunt testimonia, majoris Scotiæ appellatione Hiberniam ab Albania clarissime distinguentia. Nam recentiorum calculos diligenter a D. Rothæo<sup>q</sup> collectos habemus: cujus tum libris publice, sed celato nomine, editis, tum scriptis privatim transmissis, non parum hic adjutum me fuisse libens agnosco.

Quæ autem hucusque disseruimus, necessario præmittenda hic erant omnia; partim ne quæ de Scotis et insulis Britannicis dicturi sumus ad Hiberniam nihil spectare quis opinaretur; partim ut Thomæ Dempsteri insolens retunderetur audacia, quem in epistola ad Maphæum cardinalem Barberinum, nunc Urbanum VIII. pontificem, Scotico suo menologio præfixa, Hiberniam “ nunquam Scotiæ nomen habuisse” asseverare non puduit. Et quamquam ipse<sup>r</sup> agnoscat, “ Bedæ Hiberniam Scotorum esse patriam et eum secuto S. Isidoro Hispalensi,” quum Isidorus<sup>s</sup> ante Bedam natum non solum ab Scotorum gentibus cultam, sed etiam Scotiam eandem et Hiberniam fuisse, contra Dempsterum expresse asserat, et utrique tam Hiberniæ quam Albanæ suæ populo commune interdum fuisse Scotorum nomen laudquaquam inficietur: tamen “ exiguo tempore appellationum hanc confusionem duravisse, et externis scriptoribus ignotam cum Beda et natam esse et extinctam,” contra tantam jam productam nubem testium, ore perfricto prædicat. Indeque Scotos,

<sup>p</sup> Cæsar. Helsterbach. dialog. lib. 12. cap. 38.

<sup>q</sup> Vid. Hiberniam resurgentem, edit. Colon. ann. 1621. distinct. 3. et tractatum de nominib. Hiberniæ, præfixum Florilegio insulæ sanctorum, edit. Paris. ann. 1624.

<sup>r</sup> Dempster. apparat. ad historiam Scotticam, lib. 1. cap. 3. pag. 10. et 13. Vid. Hibern. resurgent. distinct. 4. exercitat. 13. sec. 255, 256. &c.

<sup>s</sup> Isidor. Orig. lib. 14. cap. 6.



quotquot<sup>t</sup> doctrina vel pietate celebres a scriptoribus uspiam commemoratos invenerat, etiam eos qui ante annum Christi DCCCXL. claruerunt, quando Scoto-Britanni Dalriedæ finibus exiguis<sup>u</sup> sane continebantur, e majore nostra Scotia turmatim abductos, non tam in minorem transfert, quam in unum illius angulum detrudit simul omnes et compingit.

Cujus plagii socium et consortem cum Philippum Ferrarium Italum reddere Dempsterus conaretur, sanctorum<sup>w</sup> Scotiæ indiculo communicato, quo catalogum generalem sanctorum, qui in martyrologio Romano non sunt, ille locupletaret: vir doctus, fraude demum percepta, sequentem admonitionem ad lectorem operi suo præfigendam curavit: " Illud te admonendum duxi; ine nonnullos sanctos Hibernos, alios scriptores sequutum, Scotiæ sive Angliæ tribuisse. Cujus rei ea causa fuit, quod olim Hibernia Scotia dicta est, et Hiberni Scoti sunt appellati: uti apud D. Prosperum, Orosium, D. Isidorum, Cogitolum, Adamnanum, Ionam, antiquos scriptores, Bedam, et D. Bernardum abbatem aliosque vitæ sanctorum Hiberniæ scriptores videre est. Quis enim SS. Patricium, Brigidam, Brandanum, Columbam, Columbanum, Gallum, Magnum, Virgilium, Kilianum, Rumoldum, Dymnam, Fiacrium, Fuscum<sup>x</sup>, Malachiam, Laurentium et alios Hibernos esse ignorat? qui tamen Scoti et in Scotia nati a scriptoribus vitæ eorundem dicuntur. Martyrologium quoque Romanum Brigidam virginem, quæ in Hibernia nata, defuncta est tumulata, et alios quosdam in Scotia reponit. Quod te admonere libuit propter quosdam 'Αγιοκλέπτας." Ità ille; Dempsterum jam, cum suis gregalibus, inter sanctorum fures connumerans.

Primum de Servatoris nostri cruenta passione nuncium re jam recenti, a Conallo Ceanaiigh pugile celebratissimo,

<sup>t</sup> Vid. Edovardum Maihew Anglum, in natalib. sanctorum congregat. Anglicanæ ordinis Benedict. August. 31. pag. 1405.

<sup>u</sup> Vid. supra, cap. 15. pag. 148.

<sup>w</sup> Vid. Philip. Ferrarii catalog. general. in fine notarum ad Januarii diem 4.

<sup>x</sup> *Fuscum.*

cui oppidum Raith-Airther fuisse domicilium, et cui Magnesium<sup>7</sup> et Maurorum stirps suam fertur debere originem, ad Conchurem Ri-Ullagh sive Cornelium regem Ulidiæ<sup>2</sup>, in Magiensi juxta sinum Fergusianæ Petræ peninsula regiam tunc habentem, Hierosolymis perlatum fuisse, Insulanorum prædicat traditio. Eam satis confidenter nugatorum nostri temporis facile princeps Philippus Sullevanus<sup>3</sup>, in historiæ Catholicæ (quam appellat) Ibernæ compendio, sic enarrat: “Regnante in Ultonia Conchure rege, Conaldus Carnius pugil nobilis animo roboreque præstans peregre profectus exterarum rerum cognitione flagrans, postquam rursus in Iberam reversus est, regi retulit se Ierosolymis fuisse: vidisseque hominem, qui vocabatur Jesus, et Judæorum rex, forma plusquam regia et divina præditum, vitæ innocentia et sanctitate excellentem, mirandarum rerum opificem, et omni virtutum ornamento fulgentem, falsis criminibus argui, inique damnari, verberibus affici, cruci affixum in Calvario monte interfici, et inlumari, sed iterum divinitus revixisse, et sepulchrum fuisse egressum. Tum rex: Hic, inquit, revera est orbis totius Dominus et opifex, quem in mundum fuisse venturum nostrorum vatum præsentionibus proditur. Inde nonnullos, qui Romam et alias regiones Catholicas petiverunt, sacro baptismatis rore fuisse sparsos: eisdemque doctoribus alios accepisse fidem; et aliquos vitæ integritate asperitateque et miraculis fulsisse, inque Cœlitum fastos atque cœtum esse relatos perhibetur.”

Multo modestius rem totam ita proponit, in Hierographia sua Hiberniæ nondum edita, D. Rothæus: “Nec sat ipse scio an istud mereatur commemorationem hoc loco, quod in vernaculis nostris annalibus reperio consignatum, de primo rumore qui insonuit auribus in Hibernia; de prima, inquam, omnium auditione earum rerum quæ contigerunt in urbe Hierosolymorum circa mortem filii

<sup>7</sup> Mac-Gennis et O-More.

<sup>2</sup> Ultoniensis provinciæ partes fuerunt Ullagh (Magnesium patria) Dal-rieda de qua supra, pag. 147. et Dalvietagh.

<sup>3</sup> Sullevan. histor. Ibern. tom. 1. lib. 4. cap. 5.

principis, in cruce a Judæis suffixi pro quorum salute ad-  
venerat. Tradunt illi veteres nostrates pugilem, ex ipsa  
gente famosissimum, qui multas terras tentandi roboris  
causa peragraverat, Palæstinam adiisse, et in urbe Hiero-  
solymitana præsentem conspexisse totam tragœdiam accu-  
sationis, iudicii, et nefariæ necis illatæ Christo Redemp-  
tori; ipsumque reducem enarrasse Cornelio regi quæcun-  
que audierat vel viderat circa illam innocentis agni in  
monte Calvariæ victimam. Auditis ingemuisse regem, in-  
dignoque facinori cum summa indignatione infremuisse,  
subitaque ira correptum inclamasse ultionem in sceleratos  
homicidas; se vero si contingeret adesse non passurum  
inultam sævitiam ingratorum civium dixisse perhibetur.  
Cum his inardescens vindice animo in sceleratos mortis  
auctores, educto gladio impetum fecit in saltum vi-  
cinum, conscissisque mucrone virgultis, consimilem cæ-  
dem facturum se proclamavit sicariorum et homicidarum,  
qui violentas manus intulissent suo principi et Domino.  
Hæc nostris illis veteribus *τοῖς ἐγγράφοις καὶ ἀγράφοις* ad  
posterum transmissa, quisque pro arbitrio libret in statera  
sui iudicii, fidem postea quam par erit vel adhibeat, vel  
adimat: nuda recitatio nemini facit prejudicium.”

Ab apostolis vero in Britannicis nostris insulis Evange-  
lium annunciatum fuisse, auctorem nos dare possumus  
Eusebium Pamphili, libro tertio *Εὐαγγελικῆς Ἀποδείξεως*  
diserte affirmantem, ex eorum numero aliquos “*ὑπὲρ τὸν*  
*᾽Ωκεανὸν παρελθεῖν ἐπὶ τὰς καλουμένας Βρεττανικὰς νήσους,*  
trans oceanum accessisse ad eas insulas quæ Britannicæ  
vocantur.” Unde de apostolorum dispersione agens in  
ecclesiastica historia Nicephorus Callisti; “*Αἴγυπτον,*  
inquit<sup>b</sup>, *καὶ Λιβύην ἄλλος ἐλάγχανε, τοῖς δ' ἐσχάτοις τοῦ*  
*᾽Ωκεανοῦ καὶ ταῖς Βρεττανικαῖς νήσοις ἐφίστατο ἕτερος.* Ægyptum  
et Libyam sortitus est alius, extremas vero oceani  
regiones et insulas Britannicas alius obtinuit.” Atque  
hunc quidem Simoni Zelotæ°, Eusebium vero, ex Syme-

<sup>b</sup> Niceph. hist. lib. 3. cap. 1.

<sup>c</sup> Πρὸς ἐσπέριον ᾽ωκεανὸν εἰσβαλὼν, καὶ τὰς Βρεττανικὰς νήσους εὐαγγε-  
λισάμενος. Id. lib. 2. cap. 40.

onis Metaphrastæ fide, Simoni Petro provinciam hanc assignavisse, in hujus operis capitulo primo jam<sup>d</sup> ostendimus: quorum priorem anno<sup>e</sup> Christi XLVII. posteriorem anno LXV. in Britanniam profectum esse, novus affirmat chronographus Guilielmus Eysengrynius. Pro Petri apud nos apostolatu maxime pugnat Robertus Personius<sup>f</sup>: ad eum stabiliendum etiam cœleste producens oraculum; quod viro cuidam sancto per quietem ab ipso Petro hunc in modum fuisse patefactum, in vita S. Edvardi regis refert Ælredus abbas Rhievallensis: "Est mihi locus in occidentali parte Londoniarum, a me electus, mihi dilectus; quem quondam mihi propriis manibus consecravi, mea nobilitavi præsentia, divinis insuper miraculis illustravi. Thorneia nomen est loci: qui quondam ob peccata populi barbarorum<sup>g</sup> traditus potestati, pauperrimus ex divite, humilis ex sublimi, ex nobili factus est contemptibilis. Hunc rex (Edvardus) me præcipiente in habitaculum monachorum suscipiat reparandum, sublimandum ædificiis, possessionibus ampliandum. Non erit ibi aliud, nisi domus Dei et porta cœli."

Hujus visionis ipse rex Edvardus, in privilegio Westmonasteriensi ecclesiæ denuo a se extractæ concessio, ita meminit: "Revelavit B. Petrus cuidam probabilis vitæ monacho incluso, nomine Wulsino<sup>h</sup>, voluntatem suam esse, ut restruerem locum qui dicitur Westmonasterium; quod a tempore S. Augustini primi Anglorum episcopi institutum, multaque veterum regum munificentia honoratum, propter vetustatem et frequentes bellorum tumultus pene videbatur destructum." In alio vero diplomate, dato Westmonasterii quinto Calendas Januarii, die sanctorum innocentium, quo dedicata ea est ecclesia, nono ante regis excessum die, anno Dominicæ incarnationis (vel nativitatis potius, ante triduum inchoato) MLXVI. indictione III. rectius IV. (nisi indictionem pontificiam a Calendis Ja-

<sup>d</sup> Op. tom. 5. pag. 18.

<sup>e</sup> Eysengreyn. centenar. 1. part. 4. distinct. 8.

<sup>f</sup> Person. de convers. Angl. part. 1. cap. 1. sec. 20.

<sup>g</sup> Danorum sc.

<sup>h</sup> De quo vid. chronic. Florent. Wigorniens. ann. 1062.

nuariis inchoatam in usu tum fuisse admiserimus) eandem basilicam prius ædificatam fuisse significat “ sub Mellito Londoniarum primo episcopo, socio et contemporaneo primi Cantuariæ archiepiscopi ; et per ipsum beatum Petrum, angelico famulante servitio, sanctæ crucis impressione et sacri chrismatis perunctione dedicatam.”

Nempe Dunstanus, ut rem a prima repetamus origine, “ cum a perfectis viris probatisque personis,” quemadmodum in vita ejus habetur scriptum, “ didicisset quanta dignatione beatus Petrus apostolorum princeps oratorium suum quod Westmonasterium dicitur insignivisset, et per seipsum dedicavisset: regi Edgardo persuasit, ut ob venerationem tanti apostoli loci honori intenderet.” Eadem enim facilitate, qua postea Wulsini visioni rex Edvardus, Dunstani relationi rex Edgarus fidem accommodavit: et in diplomate Westmonasteriensi ecclesiæ a se restauratæ concessio, illam<sup>1</sup> anno DCIV. “ non ab alio, sed ab ipso sancto Petro apostolorum principe in suum ipsius proprium honorem dedicatam” fuisse pronuntiavit: licet Nicolaus II. pontifex, in rescripto ad Edvardum regem, non ita fidenter efferendum hoc censuerit: “ Ut fertur,” inquit, “ primo antiquitus consecrationem a B. Petro accepit.”

Habetur hæc fabula non apud Ælredum solum in vita Edvardi, sed etiam in Melliti vita, chronico Westmonasteriensi Sulcardi, Guilielmi Mahesburiensis libro secundo de Anglorum pontificibus, et Richardi Cicesterii Westmonasteriensi monachi annalibus. Sed ut indubitatæ eam daremus esse fidei: ad Roberti Personii propositum non magis profecto faceret, quam quod de pluviali sancti Petri in Westmonasteriensi cœnobio asservato, ex Thomæ Mori<sup>k</sup> Anglica Richardi III. historia ab alio<sup>l</sup> hic producitur. Nam Thornciam Petrus plus quingentis post mortem annis sua nobilitavisse præsentia dicitur, Personius autem Petrum in diebus carnis suæ Britannis prædicavisse vult: ex Ba-

<sup>1</sup> Supra, cap. 14. pag. 99.

<sup>k</sup> Operum Anglicanor. pag. 46. edit. Londin. ann. 1557.

<sup>l</sup> Edvard. Maihew, congregat. Anglican. ord. Benedict. tabul. 2. pag. 433.

ronio<sup>m</sup> ostendens, eum edicto Claudii cum Judæis Roma pulsum ad extremas has orbis oras prædicationem Evangelii convertisse; et cum eodem verba illa Petri<sup>n</sup> huc accommodans: “Elegit Deus per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere.” Francisco Guillimanno<sup>o</sup> magis videtur credibile, ante sexennium, in illa quam Claudius contra Britannos expeditionem habuit, comitem se apostolum addidisse. Anno Neronis duodecimo, qui nostræ vulgaris æræ Christianæ LXVI. est, ex Britannia eum recessisse Metaphrastes auctor est. Cum enim dixisset, Petrum eo in loco “longo tempore fuisse moratum, et multas gentes non nominatas attraxisse ad fidem Christi;” de instante resolutionis suæ tempore, et ad urbem Romanam reditu, per angelicam visionem admonitum illum fuisse addit: “Ἐπιμείνας τε, inquit<sup>p</sup>, ἐν Βρετανίᾳ ἡμέρας τινας, καὶ πολλοὺς τῶν λόγων φωτίσας τῆς χάριτος, ἐκκλησίας τε συστησάμενος, ἐπισκόπους τε καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους χειροτονήσας, δωδεκάτῃ ἔτει τοῦ Καίσαρος Νέρωνος αὐθις εἰς Ῥώμην παραγίνεται.”

At longe ante hoc tempus Jacobum Zebedæi filium in Britannicis insulis Evangelium prædicavisse, capite primo<sup>q</sup>, ex aliis retulimus. Extat Hugonis episcopi Portugallensis ad Mauricium archiepiscopum Bracarensem epistola<sup>r</sup>: in qua, ut probet “S. Petrum Ratisensem fuisse in Hispania vicarium S. Jacobi, dum in Britanniam et alias provincias perrexit,” ex Caledonio Bracarensi (quem eundem esse putant cum Caldonio<sup>s</sup> illo, inter quem et B. Cyprianum mutuae intercesserunt literæ) in vita ejusdem Petri, de S. Jacobo Zebedæi filio verba producit ista: “Inde Brigantio navem transcendens, in Britannias appulit; relicto Bracaræ S. Petro, ejus vicario, et primario inter alios quos sacrarat in Hispania episcopos.” Ejusdem Hugonis æqualis Julianus Petri, archipresbyter Toletanus, in chronico suo non solum in Hibernia Jacobum docuisse, sed

<sup>m</sup> Baron. ann. 58. sec. 51.

<sup>n</sup> Act. cap. 15. ver. 7.

<sup>o</sup> Guilliman. de reb. Helvetior. lib. 1. cap. 15.

<sup>p</sup> Supra, cap. 1. op. tom. 5. pag. 18.      <sup>q</sup> Ibid. pag. 16.

<sup>r</sup> Inter prolegomena Fr. Bivarri in Dextri chronic. pag. 9.

<sup>s</sup> Vid. Cyprian. epist. 18, 19. op. pag. 27, 28. et Dextrum ad annum Christi 268.

etiam inde epistolam suam canonicam in Hispaniam misisse asserit: quam tamen non a Jacobo Zebedæi et Salomes filio, fratre Johannis; sed a Jacobo minore, filio Mariæ et Alphæi, fratre Domini conscriptam fuisse communior et verior est opinio.

Salomen, Jacobi majoris matrem, et peregrinationis et prædicationis filii fuisse comitem, in fragmentis Helecæ Cæsar-Augustano episcopo attributis ita invenio proditum: "Maria Salome, vel Jacobi, rediens cum ipso Jacobo filio, peragratis partibus Germaniæ, Angliæ, et Italiæ, ubi prædicavit, cum Verulam pervenisset, ætate confecta ibi requievit vigesimo quarto die Maii" anno Christi (ut in iisdem fragmentis paulo ante est annotatum) XLII. cum ipsa ætatis attigisset annum nonagesimum. Per Angliam vero ineptulus ille intelligit Britanniam: ubi et patrem Jacobi Zebedæum, quem ille cum compare suo Dextro Aristobulum fuisse somniat, anno secundo Neronis, qui æræ Christianæ est LVI. martyrem occubuisse scribit<sup>1</sup>. Eundemque Aristobulum, cum sociis duodecim, in Hibernia evangelium annunciavisse, refert Toletanus ille archipresbyter Julianus. Et Aristobulum quidem Britanniam "primum apostolum esse nactam, anno, et quod excurrit, XCIX. Clemente pontifice maximo, Domitiano imperatore Augusto, affirmat Arnoldus Mermannius in theatro conversionis gentium: oblitus prius se dixisse, sub Neronis imperio S. Paulum "Britanniam, pridem a Claudio imperatore triumphatam, Orchades, cæterasque oceani regiones seu insulas extremas quasque petiisse." Cui de Aristobuli ministerio Dorotheus et Nicephorus dicuntur adstipulari: licet aliis<sup>2</sup> ad Britianam, sive Italiæ provinciam a Brutis inhabitatam, illud referre placeat: quum Nicephorus tamen hujus rei omnino non meminerit; et Græcorum alii τῆς<sup>3</sup> Βρετανίας, non Βρεττίας vel Βρεττιανῆς, episcopum Aristobulum fuisse dicant.

A fratre suo Barnaba et episcopum ordinatum, et in

<sup>1</sup> Supra, cap. 1. op. tom. 5. pag. 20.

<sup>2</sup> Camden. Britann. pag. 47. et Fr. Godwin. de convers. Britann. cap. 2. pag. 9.

<sup>3</sup> Vide Petr. Galesin. notat. in martyrolog. Roman. ad Idus Martii.

Britanniam fuisse missum, in Græcorum legimus menologio, quod a Guilielmo Sirleto cardinale Latine redditum antiquæ lectionis secundo tomo Henricus Canisius inseruit. In eo enim ad Martii diem decimum quintum commemoratio fit “sancti Aristobuli episcopi Britanniae, fratris beati Barnabæ apostoli: a quo cum esset ordinatus episcopus, ad Britannos missus, illic Christi fidem prædicans, et ecclesiam constituens, martyrium assecutus est.” Quin et ipsum Barnabam apostolum “in Scotia concionatum evangelium diffudisse” confirmat Dempsterus<sup>w</sup>, tum ex Scotichronico (in quo nihil ejusmodi invenio) tum ex S. Beati vita quam Daniel Agricola Basileæ edidit anno MDXI. et Georgii Garnefelt Carthusiani libro quarto de vita Eremitarum, capite primo, qui a Barnaba in Scotia S. Beatum baptizatum esse refert; his etiam de eo ludens versiculis :

Hic vera Helvetiis ostendit numina : Petri  
 Uctus erat dextra, Barnabæ alumnus erat.  
 Nomine reque Beatus, amans deserta ; beatum  
 Solum, qui solus viveret, esse ratus.

Nono die mensis Maii, Romæ, ut est in Bedæ martyrologio, vel in Castro Vindecino potius, ut Romanum et Usuardi habet martyrologium, sancti Beati confessoris celebratur depositio. Ejus vita a Petro Canisio est descripta, et a Johanne Stumpfio in septimi libri rerum Helveticarum capite vigesimo secundo, ex quo Henricus Pantaleon<sup>x</sup> ita eam nobis exhibuit: “Beatus ille nobilibus parentibus natus ex Britannia Romam profectus est, ut a S. Petro in vera fide rectius institueretur. Cum autem in humanioribus literis optime profecisset, atque Suetonius diceretur, Christianis dignus visus est, qui doctrinam veram perciperet, atque eandem ubique disseminaret. Itaque baptizatus, ab adepta felicitate et spe vitæ æternæ Beatus dictus fuit. Is in patriam rediens in Helvetia substitit, atque ejus regionis incolas in vera fide instruxit. Cum autem verbum Dei plures avidè amplecterentur, apud Helvetios permanere, et Christum

<sup>w</sup> Dempster. hist. ecclesiast. Scot. lib. 2. num. 159, 160.

<sup>x</sup> Pantaleon, de viris illustr. German. part. 1. vid. Guilielm. Eisengrein. centur. 2. part. 5. distinct. 2. et Georg. Wiccl. lib. 5. cap. 38.



docere voluit. Propterea non procul a lacu Thunense, sub oppido Underseven suam habitationem fixit, omnia bona pauperibus distribuit, adque confluentes homines Christi meritum proposuit: donec tandem circa annum Domini centesimum decimum ibidem in vera fide obdormiverit. Ejus cella adhuc in dicto loco ostenditur.”

De eodem Petrus Merssæus Cratepolius in libello de sanctis Germaniæ: “ S. Beatus ex nobilibus ortus parentibus in Britannia, Romam profectus, et cum religionis veræ esset cupidus, a beato Petro apostolo in Christi fide instructus est et baptizatus. Inde Christianis annumeratus est; et doctrinam quam susceperat, aliis impartiri summo-pere advigilavit. Cum jam proposuisset redire in suam patriam, in Helvetiis substitit, et incolas ibi in vera fide instruxit. Sub oppido Undesivem construxit habitationem; et Christi meritum ac peccatorum indulgentiam omnibus cum magno fructu animarum proposuit. Postremo anno Domini CX. ibidem mortuus est in vera fide. Ejus cella adhuc in dicto loco ostenditur. Ossa illius Confluentiæ in monasterio Carthusianorum in magna reverentia conservantur.” Et Franciscus Guillimannus rerum Helveticarum libro primo, capite decimo quinto: “ Beato, antequam sacris Christianis initiaretur, Suetonius fuit nomen. Multæ pietatis et sanctimoniam, miraculisque clarus diu apud Helvetios, præcipue pago Aventico et Urbigeno, apostoli Christi munere defunctus est. Ultimo se in solitudinem recepit, apud Interlacenses pagi Urbigeni locum nactus, cum inde draconem sævissimum et nocentissimum crucis signaculo expulisset, eam quam tenebat rupem et speluncam pro tecto usurpavit: ibique longa ætate confectus, vitam deposuit, sub initium imperii Trajani, (A. D. N. XCIX. circiter) quo etiam tempore Johannes apostolus et evangelista, ultimus apostolorum, mortuus sive translatus est; Helvetiis ab omni antiquitate, cultu et veneratione longe celeberrimus. Ejus demum Beati sacræ reliquiæ, ubi religio mutavit, patrum memoria inde Luce-riam translata, non minore in honore sunt: quamquam et ejus memoria apud Interlacus Catholicis non omnino oblitteravit. Ibidem et Achates mortuus, et sepultus est.”

Hic vero observatione digna est illa beati Rhenani<sup>y</sup> de nostri Beati actis vulgatis observatio: "Quidam superioribus annis, quem adhuc audio superesse, Beatum anachoretam Helveticum, ut vulgus prædicat, Suetonium fuisse vocatum affinxit, illius vitam describens; et socium habuisse, cui nomen esset Achataë. Adii hominem, quæsiturus undenam id assereret: putabam enim hæc illum absque auctore non dicere. Sed audi impudentiam. Propterea, inquit, addidi Suetonium fuisse vocatum, quod legerem e Suedia prodiisse. Et quia Æneæ Virgiliano fidus Achates semper adhæsit, ideo sodalem illius hoc nomine donavi, alioqui anonymum futurum. Et tamen hæc historia, si ita vocare libet, non solum pieta est in templis, ac scripta, sed etiam typis excusa." Eadem nimirum verisimilitudine, qua Turegii apud Lusitanos in fano B. Mariæ sacro, ex ethnico viarum curatore, joculari errore Viarium episcopum factum, et pro martyre cultum, eos quibus lumbi dolerent absque dubio juvare solitum, in epistola ad Bartholomæum Kebedium de martyribus Eborensibus scripta lepide narrat vir eruditissimus Andreas Resendus. Ut hic oppido ridiculum Dempsterus<sup>z</sup> se exhibeat; qui ad hunc ipsum Rhenani locum intendens digitum, ex ineptissimo nihilominus illo Suetoniani nominis figmento "præclararum antiquitatis monimentum nobilissimi stemmatis Sentionorum," Wentoniæ et Dunfirmelini comitum, expiscari conatus est.

S. Beato condiscipulus adjungitur S. Mansuctus, sanctus Mansu vulgo dictus; qui Leucorum genti in urbe Tullensi<sup>a</sup> primus Evangelium annunciasse traditur. Eum Leo<sup>b</sup> IX. Romanus pontifex, qui olim episcopus Tullensi ecclesiæ præfuit, in sanctorum numerum retulit: ejusque memoria tum in martyrologio Romano, tum in Adonis et Petri Equilini<sup>c</sup> fastis, ad tertium Nonas Septembris celebratur. Tullensibus a B. Petro destinatum, Robertus

<sup>y</sup> Rhenan. rerum German. lib. 3. pag. 161. edil. Basil. ann. 1531.

<sup>z</sup> Dempster. hist. ecclesiast. lib. 2. num. 159.

<sup>a</sup> Toul, in Lotharingia.

<sup>b</sup> Petr. Galesin. not. in martyr. Rom. 111. Non. Septembr.

<sup>c</sup> Petr. de natal. lib. 11. cap. ult. sec. 235.

S. Mariani monachus in Antissiodorensi chronico scripsit: Tullensium primum fuisse episcopum, ex eorum annalibus Franciscus Irenicus<sup>d</sup> retulit. "Primus fuit episcopus Tullensis sanctus Mansuetus, discipulus sancti Petri, socius sancti Clementis episcopi Metensis, natione Scotus:" inquit Antonius Monchiacenus Demochares<sup>e</sup>; et eum secutus Johannes Chenu, in Tullensium episcoporum catalogo. Similiter et Constantinus Ghinius, in sanctorum canonicorum natalibus, Septembris die tertio, "Tulli in Gallia natalis sancti Mansueti episcopi; qui natione Scotus, discipulus autem S. Petri apostoli, Romæ ordinatus, et cum sancto Clemente episcopo Metense in Galliam missus, apud Tullenses primus resedit episcopus, eosque verbo, exemplo, ac miraculis ad Christi fidem perduxit; ibique requievit in pace." Et Guilielmus Eysengreineus<sup>f</sup>: "S. Mansuetus natione Scotus, ex nobili prognatus familia, Simonis Barionæ apostolorum coryphæi discipulus, socius B. Clementis episcopi Metensis, a Petro Leucorum in urbe Tullensi primus antistes consecratus est anno Christi XLIX. Tiberio Claudio Cæsare Augusto Germanico." Et Arnoldus Mermannius, in theatro conversionis gentium: "Tullenses habuere apostolum suæque in Christum fidei primum antistitem S. Mansuetum, S. Petri apostoli discipulum, S. Clementis collegam, origine Scotum, anno et quod excurrit LX. imperatore Nerone."

Ad Neronis quoque tempora refert Petrus Galesinius, sed annum a Christo nato circiter LXX. nominare maluit. Circa undecimum Claudii annum, æræ Christianæ LI. eum huc se contulisse scribit Tullensis archidiaconus, Franciscus Rosierius: qui illius acta fusius hunc in modum explicat: "Tullum<sup>g</sup> Leucorum urbem primariam accessit Mansuetus patria Scotus, vir nobilis et Christianus, ab apostolo Petro illuc Roma missus, quem dudum audierat, fideique rudimenta ab eo suscepit, ut verbum Dei evul-

<sup>d</sup> Irenic. German. exeges. lib. 3. cap. 49.

<sup>e</sup> Demochar. de missa, lib. 2. cap. 33.

<sup>f</sup> Eysengrein. centenar. 1. part. 1. distinct. 3.

<sup>g</sup> Fr. de Rosiers, Stemmat. Lotharing. tom. 2. hist. capital. 22.

garet. Primum quidem ob gentilem superstitionem, inanes et irriti illius conatus fuere. At quemadmodum Deus vult omnes homines ad agnitionem sui nominis venire ac servari, sic ille permisit, dum ibidem equestres et hastati ludi fierent, ut nobilis puer, qui e specula prospectabat, præceps exanimisque rueret. Cui Mansuetus vitam evidenti miraculo restituit, non sine ingenti totius populi admiratione. Hinc pueri pater, qui tunc Leucis præficiabatur, cum sua gente, sacra lotionem tinctus est. Hujus viri sancti peregrinationis comites extitere Valerius, Maternus, Eucharius, qui Treveris nostram religionem suaserunt; Clemens Mediomatricibus, aliisque Rhemis et Cathalaunis, ut Meinmius et Fœlix: quorum animi candor sic profecit, ut universæ Galliæ idololatria rejecta integram fidem abhinc imbiberent."

Horum omnium acta (si postremum tantum exceperis) ex manuscriptis codicibus edidit nuperrime Narbonensis prætor Franciscus Bosquetus<sup>b</sup>, de ecclesiæ Gallicanæ historia optime meritus: et inter ea Mansueti nostri vitam ab Adsonæ abbate jussu Gerardi, qui Gauzolino in Tullensi episcopatu anno DCCCCLXIII. successit, et in sanctorum numerum a Leone IX. postea relatus est, conscriptam. Cujus Adsonis et ille de Antichristo tractatus est, B. Augustino perperam attributus: quem Cantabrigiæ in collegii Corporis Christi sive S. Benedicti bibliotheca vidimus, Gerbergæ reginæ, Henrici Aucupis Germaniæ regis filia, Othionis Magni imperatoris sorori, S. Ludovici IV. regis Francorum conjugi, ab Adsonæ monacho dicatum. Ita vero Mansueti nostri originem Adso ille designat: "Ea tempestate, ut scripturæ documento percepimus, quidam sanctæ indolis fuerat adolescens, nomine Mansuetus, ex transmarinis partibus nobilium quidem Scotorum clara progenie genitus, sed mentis egregiæ nobilitate multo preciosius insignitus. Qui videlicet, teneræ adhuc ætatis processu constante, cum præsagio nominis provehebatur culmine sanctitatis; moribusque vocabulo consonantibus, semper sublimior studebat fieri augmento pietatis." Atque

<sup>b</sup> Bosquet. *histor. ecclesiæ Gallicanæ* tom. 1. part. 2. edit. Paris. ann. 1636.

<sup>1</sup> *Ibid.* pag. 23. vid. et part. 1. lib. 1. cap. 20.

iterum, “ Ex transmarinis Scotorum finibus has partes (Tullensium scilicet) moris erat expetisse multos: inter quos eo tempore vir quidam pauper cum conjuge dicitur accessisse. Antiqui enim temporis multos fama excierat, suæ gentis virum sanctissimum Scottigenis peregre abentibus solito potissimum expetendum.” Posteaque pauperis illius rustici verba ista recitat: “ O sancte Dei, Scottum inquam te, Scottum et me, genti Scottigenæ propitius miserere.”

Desiderantur vero in ea editione carmina, quæ in Mansueti laudem huic operi Adso præmisit: unde illud quidem Dempstero<sup>k</sup> citare libuit:

Protulerat quendam generosum Scotia natum  
Mansuetum.

Dissimulato interim hoc tetrasticho<sup>l</sup>; quod non solum Scotiam eandem fuisse cum Hibernia aperte significat, sed etiam insulam hanc Mansueti tempore Christianæ religionis cultoribus refertam fuisse haud obscurè subindicat.

Inclya Mansueti claris natalibus orti  
Progenies titulis fulget in orbe suis.  
Insula Christicolæ gestabat Hibernia gentes:  
Unde genus traxit, et satus inde fuit.

Quo etiam referenda authoris libelli de fundatione ecclesiæ S. Petri consecrati extra muros civitatis Ratisbonensis, nugacissima illa narratio: “ Beatissimo Petro apostolo urbis Romæ principatum tenente, ac Tiberio Cæsare regnante, tempore eodem venit de Hibernia quidam vir sanctus episcopus nomine Mansuctus, cum societate plurima sanctorum Hiberniensium, invisere Romæ cœli clavigerum; ad consequendam ab eo indulgentiam. Videns B. Petrus sanctorum virorum prudentiam, illorum quosdam misit in Apuliam, alios in Calabriam, alios alio, ut verbi Dei semen seminarent. Ipsum reverendum episcopum Mansuetum ad Lotharingiam direxerat, ut filios Dei

<sup>k</sup> Dempster. hist. ecclesiast. Scot. lib. 12. num. 838.

<sup>l</sup> Edovard. Maihev, tabul. 2. natal. Benedictinorum congregat. Anglican. August. 31. pag. 1404.

multiplicaret : et contulit ei potestatem solvendi ac ligandi, populum rebellem et incredulum ratione auctoritatis collatæ ad unitatem fidei domare. Postea Lotharius, Caroli Magni<sup>m</sup> filius quartus existens, Lotharingiam patria hæreditate obtinuit ; eamque suo nomine nuncupavit. Beatus interea Mansuetus, cui omnia prospere successerant, usque ad Illyricos sinus Salvatoris nomen prædicando pertingens ; regressus ad urbem præclaram et populosam Tullensem, post multas victorias, post gloriosa certamina, post præclara miracula (ut plenius in ejus gestis habetur) ibidem vitam in pace finivit.”

Neque prætermittenda, quæ de Mansueto in Gallicano Andreae Saussayi, neque de Amone successore ipsius in Tullensis ecclesiæ habentur breviario : in quorum priore leguntur hæc : “ Tulli Leucorum sancti Mansueti episcopi, qui vir nobilis origine Scotus, atque inter primos Petri apostolorum principis auditor : a quo et salutaribus undis tinctus, cum veteri homine, exuto gentilitatis vocabulo, Mansueti, ab agni quam præferebat mansuetudine, nomen consecutus ; ad hanc civitatem facibus evangelicæ veritatis illuminandam missus est. Quam ingressus primum, ita nefariis idolorum ritibus deditam reperit, ut parum prædicatione sua profecisset, ni divina virtus verbum pietatis promovisset admirabili opere : quo præco salutis filium præsidis qui civitatem regebat e specula, dum ludos equestres spectaret, delapsus discriptumque revocavit ad vitam. Hinc enim factum ut tota præsidis familia, ipseque cum copiosa civium turma, Christi ovibus, salutari caractere signata, adjungeretur ; velociterque verbum Dei curreret, atque non modo cives, sed accolæ plerosque tractus hujus scientia salutis informaret. Alta igitur pace Mansuetus potitus, templum Deo uni et trino sub sancti Stephani protomartyris clientela crexit et sacravit. Clerum ordinavit, compositoque ad omnem pietatem populo, ut Christo tandem quem unice sitiēbat frueretur, quadragesimo postquam apostolicum munus inierat anno, placido mortis somno consopitus, ad superna præmia

<sup>m</sup> Ludovici Pii potius ; amplius 700. post mortuum S. Mansuetum annis.

evolavit." In posteriore ista: "Cum in Domino obdormisset homo sine querela prudensque paterfamilias urbis Leuchæ, venerabilis scilicet Mansuetus, qui primo bonum semen fidei Catholicæ seminavit in agro suo, id est, in populo Tullensi sibi commisso: præclarus successor ejus Amon, fugiens seculi vanitatem, Christo duce perrexit ad secretum Eremitæ silentium et quietem." Et in adjuncto hymno:

Hic Mansueto præsuli  
 Successit in officio;  
 Quem in secreto tumuli  
 Digno clauserat studio.  
 Prædecessoris gloriam  
 Prædecessor non minuit:  
 Qui sectando justitiam  
 Devote Deum coluit.

Addit postremo Dempsterus, scripsisse Mansuetum de apostolicis traditionibus librum unum, quem, vel quas, Tullenses religiose asservare comminiscitur. Vitam<sup>n</sup> quoque S. Mansueti "diserte Eugenium quendam ab eo in Hispanias profectum narrare, orta inter illos de rebus sacris levi controversia," asserit. Neque hoc contentus, quod in nullo tamen edito vitæ illius scriptore proditum invenio, pro solita audacia adjicit insuper de suo: "S. Eugenium Scotum, socium S. Mansueti Scoti et eum eodem Romæ S. Petri apostolorum principis discipulum, primum in Hispanias verum Dei cultum apostolica sanctimonia intulisse, primumque Toleti episcopum sanguine suo veritatem signavisse:" hunc deinde, sed fistula straminea, sibi canens triumphum: "Nos primi patriam eruimus. Quare Scotia Hispania fuerit obstricta; Scotia mihi." Nam præter ipsum Dempsterum, nemo omnium patriam Eugenio Scotiam attribuit: ut tantilla occasione data, de Eugenio Toletani tempore, variis nominibus et rebus gestis controversias disceptare, hoc quidem in loco, operæ futurum esset plane supervacaneæ. Neque etiam majorem meretur considerationem, quod de beneficio Hibernis a Josepho Arimathæensi tributo, apud Jacobum Valdesium Hispanum legimus: "Hiberni<sup>o</sup> hoc

<sup>n</sup> Dempster. hist. lib. 5. num. 476.

<sup>o</sup> Valdes. de dignitate Hispaniæ, cap. 16. sec. 12.

habent singulare beneficium a Josepho ab Arimathia collatum, quod nullum est animal venenosum in provincia illa; imo terra ex illa ad alias regiones adducta liberat ab his animalibus veneno infectis: quod quidam tribuunt ex eo, quod herbas et radices a Salomone demonstratas adduxerit, quibus omnem regionem liberavit hoc damno. Sed ego non sapientiæ Salomonis, nec herbis ab eo edoctis, sed sanctitati eximia Josephi ab Arimathia tribuendum censeo." Verum de Britannica Josephi peregrinatione in secundo operis hujus capitulo satis superque dictum est: ad quam doctissimus Grotius putatur respexisse, quum in Christi patientis tragœdia Josephum de patria sua Judæa deserenda ita loquentem introducit:

Nil moror hoc solum,  
Quod ne premam ultra nulla tam gravis est fuga  
Quam non capessam; vel, si Hyperboreo procul  
Subjecta plaustro littora extorrem vocent,  
Qua refuga fluctu Tethys ambiguo ferit.  
Erit ille patria qui patet vero locus.

Hadriano imperatore, aut paulo ante obitum Trajani, in Hibernia floruisse Euchum et Achlenam sive Athenam parentes S. Cataldi, et Dichum virum sapientissimum; e vetustissimis Tarentinæ ecclesiæ manuscriptis codicibus refert, in vita ejusdem Cataldi, Bartholomæus Moronus. Vitam<sup>p</sup> enim hujus sancti descripserunt duo Moroni fratres: Bartholomæus prosa; Bonaventura versu, editis ad cives suos Tarentinos Cataldiados libris sex, quorum hoc exordium:

Oceani Divum Hesperii, Phœbique cadentis  
Immortale decus, nulli pietate secundum,  
Prisca Phalantæi celebrant quem jura senatus,  
Externisque dolet mitti glacialis Iberne,  
Musa refer: liceatque mihi, si debita posco,  
Florentem juvenem patriis educere tectis:  
Ut Solymos fines, sacri et monumenta sepulchri  
Cernat, et Oæbaliæ tandem transmittat in arces;  
Quo monitus, quo jussa Dei, populi que ruentis  
Cura trahit patrem, nullos peritura per annos.

Dichum vero illum, de quo diximus, spiritu prophetico

<sup>p</sup> Utrumque opus Romæ editum extat, anno salutis 1614. una cum Bonaventuræ Moroni sermone de laudibus S. Cataldi Italica lingua conscripto.



Achlenam parturientem sic allocutum fuisse narrat Bartholomæus: “ Bono animo esto felicissima mater; nec dolore partus, mortis propinquæ metu, atque omnium rerum indigentia Dei inclementiam arguas: paries enim filium veræ religionis propugnatorem, nec solum parentum ac patriæ decus, verum etiam totius Ibernæ ornamentum, necnon exterarum gentium sempiternum præsidium.” Quæ poetice hunc in modum expressit frater ejus Bonaventura, in primo Cataldiados suæ libro :

Constitit ecce autem sacri prope limina tecti  
 Dichus inops rerum, pietas quem fecerat urbi  
 Veraque religio celebrem: qui viderat igne  
 Accendi æthereo thalamos parientis Achlenæ.  
 Et vere fax illa Dei, flamma illa Tonantis:  
 Nam sensus aperit vati, tenebrasque repellit;  
 Et tales format peregrino in gutture voces.  
 Fide, parens felix, tibi nec tua gaudia differ.  
 Torqueris nunc sola domi, mortisque propinquæ  
 Jura subis: pignusque tuum tibi posthuma proles  
 Jam pupillaris sentire incommoda sortis  
 Incipiet; sed ferre diu tua funera nolet.  
 Nam tantus CATALDUS erit (venerabile nomen  
 Hoc esto) tantum poterit cælestibus auris,  
 Ut revocare animam matris modo possit ab umbris,  
 Et mox ferre alios æternæ ad limina vitæ.  
 Quod si cuncta licet nostro sermone recondi,  
 Præsul erit, patriæ lumen, votisque vocari  
 Incipiet vivus: morienti immania condet  
 Tempa Taras; vultusque sacros argentea moles  
 Exprimet, amissi referens simulacra colossi,  
 Quem nec Praxiteles sculpsit, nec pinxit Apelles.

Populus enim Tarentinus “ argenteam statuam ductilem mitra et pontificiis vestibus, ac pastorali baculo insignitam, quæ justam hominis mensuram impleret, miro artificio, nec parvo impendio elaboravit; in cujus capite cranium sancti Cataldi inclusum observatur:” ut refert in fine vitæ illius Bartholomæus Moronus.

De eodem Thomas Dempsterus: “ S. Cataldus<sup>q</sup> Scotus ortu, in Knapdalia, monasterio sancti Philani educatus: et quia natus in Scotiæ montanis, quæ Hiberniæ nomen habuerunt, ideo a nonnullis Hibernus audiit: sed vita ejus

<sup>q</sup> Dempster, hist. eccl. Scot. lib. 3. num. 278.

diserte in Iona Scotorum insula natum prodit, quæ extat MS. in Ambrosiana bibliotheca; ut ex literis R. P. Georgii Archangeli Leslæi Capucini apparet. Præterea, in præfatione ad successionem ecclesiæ Dunkeldensis, Alexander Millus canonicus ait hunc sanctum in Duncaledoniensi tractu et Dumblanensi diu munia episcopalia obiisse: idque probat ex actis ibidem MSS. et ex Veremundo presbytero." Quæ partim commentitia sunt, partim ridicula et secum invicem pugnantia. Si enim in montanis Scotiæ natus fuit Cataldus; qui in Iona insula nasci potuit? Et, ut de montanis illis Scotiæ nihil dicam, Ionam insulam quis unquam Hiberniam appellatam audiit? Et quem aliquot post Cataldum seculis Philanus vixerit; quomodo in S. Philani monasterio (quod an ullum in Knapdalia ille habuerit, valde dubito) educari potuit S. Cataldus?

In Hibernia vero natum fuisse et educatum, non solum fratres Moroni, Constantinus Ghinius<sup>r</sup>, et recentiorum alii, sed etiam versiculi illi confirmant, in Tarentina ecclesia ab antiquo decantati:

Gaude felix Hibernia, de qua proles alma progreditur;

Item,

Felix Hibernia, sed magis Tarentum,  
Quæ claudis in tumulo grande talentum.

Et ne de hodiernæ Scotiæ montanis, quæ nunquam tamen Hiberniæ nomen habuisse certum est, scrupulus aliquis hæreat; ut utroque S. Cataldi officio, tam vetere quam novo, Catandum oppidum Numeniæ vel Mononiæ locus illius natalis constituitur. Est autem Mumenia sive Mononia notissima nostræ Hiberniæ provincia: in qua urbs est Lesmorìa, inter quam et Catandum brevissimum interjectum fuisse spatium notat Bartholomæus Moronus.

Ex Cataldi vita, quæ ante Romanum officium restitutum in choro a Tarentinis clericis legebatur, eorum civis Johannes Juvenis, in libri octavi de antiquitate et

<sup>r</sup> Ghin. in sanctor. canonicor. natalib. Mai. 10.

varia Tarentinorum fortuna capite secundo ista recitat; “Beatus Cataldus ex partibus Hiberniæ, quæ suis et ipsa gloriatur in Domino et lætatur sanctis, oppido Numeniæ Catando, patre Eucho, matre Athena, honestis quidem inter cives natus.” Similiter et in novo legimus officio; quod a Guilielmo Sirleto cardinali jussu Gregorii XIII. reformatum, Romæ primum anno MDLXXX. deinde jussu Bonifacii cardinalis Caetani archiepiscopi Tarentini recognitum ac repurgatum, ibidem anno MDCXV. denuo est editum: “Cataldus Hibernus oppido Numeniæ (Momonæ habet secunda editio Romana, pro Momoniæ) honestis parentibus natus, ab infantia Dei præventus benedictione sanctitatis indicia præbuit.” Petrus Equilinus<sup>8</sup> eodem nomine et oppidum natale et ipsum sanctum nuncupat; “Cataldum episcopum ex Hiberniæ partibus, oppido quod dicitur Cataldus, patre Eucho, matre Athena exortum fuisse” scribens.

Adolescentiæ studia Romanum officium ita explicat: “Adolescens liberalibus disciplinis eruditus, ad eam brevi doctrinæ excellentiam pervenit, ut ad ipsum audiendum Galli, Angli, Scoti, Theutones, alique finitimarum illarum regionum quamplurimi Lesmoriam convenirent. Sed cum scientiarum omnium notitiam, nisi sincero cordis affectu puroque mentis intuitu ac pietate in Deum fulciretur, inanem esse duceret; totum se ad Christi cultum et imitationem convertit.” Et Bartholomæus Moronus: “Crescebat interim puer; atque adeo ad optimos mores, et sanctissimas disciplinas indes proficiebat, ut omnes fœcunda virtutum semina, et egregias animi dotes cum ipso natas et altas esse judicarent. Et, ne quid ad perfectissimi hominis deesset exemplar, tantum in sacrarum literarum assidua lectione ac meditatione processit; ut omnes in sui admirationem raperet. Cumque non posset civitas abscondi supra montem posita, undique ex finitimis ac remotis regionibus innumeri pene homines Lesmoriam, ubi tunc ille studiorum causa degebat, celerrime convenirent, ac præsentibus experirentur, beatissimi Cataldi virtutes esse

<sup>8</sup> Petr. de natalib. lib. 4, cap. 143.

et fama et invidia longe majores: quæque potius laudatorem quærerent, quam admitterent æmulatorem." Et Bonaventura Moronus, libro primo Cataldiados:

Interea pueri nomen crescebat, et ætas:  
 Nam nitor egregii vultus, et prævia virtus  
 Signa dabant tantæ ventura in tempora sortis.  
 Duplex cura fuit juveni; præcepta Tonantis  
 Servare, et studiis impendere tempus amicis.  
 Ilinc crescit Domini cultus, reverentia legum,  
 Religionis honos, hinc vena divite manant  
 Ingenii fructus, et veræ præmia laudis.  
 Sic vitæ pars nulla perit: sic conscia facti  
 Anceps turba diu fluitat, quæ major in illo  
 Doctrina, an pietas: tamen hic crescebat utraque;  
 Et pariter virtus virtutem agnata fovebat.

Spargitur occiduas sensim vaga fama per urbes,  
 Huic juveni primis tantum conatibus omnes  
 Concessisse viros, eadem quos edidit ætas,  
 Quantum ignes superat Phœbe jam plena minores.  
 Undique convenient proceres; quos dulce trahebat  
 Discendi studium, major num cognita virtus,  
 An laudata foret. Celeres vastissima Rheni  
 Jam vada Teutonici, jam deserere Sicambri:  
 Mittit ab extremo gelidos aquilone Boemos  
 Albis, et Arverni coeunt, Batavique frequentes,  
 Et quicumque colunt alta sub rupe Gebennas<sup>1</sup>.  
 Non omnes prospectat Arar, Rhodanique fluenta  
 Helvetios: multos desiderat ultima Thule.  
 Certatim hi properant diverso tramite ad urbem  
 Lesmoriam, juvenis primos ubi transigit annos.  
 Mirantur tandem cuncti, quod cognitus heros  
 Spe major, fama melior, præconia laudum  
 Exuperet, nullumque parem ferat æmula virtus.

Et postea:

Cataldus, plebi juvenis sat notus Ibernæ,  
 Quis referat quanta hic edat miracula, quales  
 Hinc abigat pestes, quantorum corda virorum  
 Instruat exemplo, quot mulceat ore diserto?  
 Jam videas populos, quos abluit advena Rhenus,  
 Quosque sub occiduo collustrat cardine mundi  
 Phœbus, Lesmoriam venisse; ut jura docentis  
 Ediscant titulisque sacrent melioribus aras.

Narrant deinde biographi, Cataldum regis jussu Les-

<sup>1</sup> Id est, Genevam, apud lacum Lemanum; ubi Cataldum ejus urbis præsulem ac professorem adorant: inquit Raph. Volaterranus, commentar. Urban. lib. 3.

moriam comprehendens, abductumque inde, et catenis vinctum, in tenebricoso carcere detentum esse: tandem vero mortuo Meltridis duce, ab eodem rege, divinitus per quietem ea de re admonito, liberatum et Meltridis ducatu donatum esse. Ducem illum Meltridis, "Regis animum contra innocentissimum virum sæpenumero concitasse," refert Bartholomæus Moronus. Ipsum vero regem apud Ultonienses egisse, innuunt illi Bonaventuræ Moroni in primo Cataldiados suæ versiculi:

Postera fulgebat roseis Aurora quadrigis,  
Cum videt Oltonios consurgere navita portus  
Fluctibus e mediis; unde improbus ante tyrannus,  
Illus Furiis, geminas miserat alnos.

Duo intelligit navigia, quæ Lesmoriæ ad abducendum Cataldum ab eo missa dixerat. In officio Cataldi reformato, ita rem narratam invenimus: "Rei eventu territus rex, Cataldum illico solvi, et ad se perduci imperat. Cunque veniam ab eo petiisset, eum rogat ut episcopatum Rachau accipiat, cui et ducatum Meltridis donat. Itaque ducatum sanctus Cataldus in duodecim episcopatus distribuens, de suo episcopo archiepiscopatum fecit." In vita ejusdem per Bartholomæum Moronum conscripta similiter: "Cataldum rex adduci jubet; veniam ab eo cum lachrymis petit: atque illum, quamvis obstinate renuentem, Meltridis ducem in demortui locum designat. Cataldus tum diaconus, cum Dei ministerium cum regis insignibus commutare nollet, in episcopum eligitur. Quod non modo rex libentissimo animo approbavit, sed etiam ducatum Meltridis in perpetuum Ecclesiæ concessit; quem duodecim episcopis Cataldus distribuens, episcopalem suam sedem in archiepiscopalem evenit." Quod postremum frater Bonaventura, in libro secundo Cataldiados suæ, sic expressit:

At quoniam se tanto oneri, rebusque gerendis  
Non putat esse parem; sacras partitur habenas  
Bis senis sociis: quos, tota e Meltride lectos  
Egregia virtute animi, diademata neclunt.  
Cataldus mox ipse mitra meliore decorus  
Eminet antistes, duodeno præsule cinctus.

Eandem historiæ partem Johannes Juvenis sic enarrat:

“ Rex defuncti ducis provinciam ecclesiæ quæ etiam tunc erigebatur, cuique Cataldus construendæ præerat, in perpetuum concessit. Erat dux ille Meltridis dominus. Sanctus igitur acceptam provinciam in duodecim episcopatus distribuit; et suum episcopium archiepiscopatum faciens, Rachau archiepiscopus fuit dictus. Cumque Rachausi ecclesiæ multos præfuisset annos; et verbo et exemplo nunquam destitit alios ad fidem trahere, alios jam tractos confirmare.” Petrus Equilinus ita: “ Rex ducatum ducis defuncti ecclesiæ quæ fabricabatur in perpetuum concessit. In qua ecclesia Cataldus post breve tempus archiepiscopus electus est: qui laudabiliter vivens, duodecim sibi suffraganeos episcopos constituit; et totam insulam verbo et exemplo ad Christi cognitionem adduxit.” Et id quidem scribit etiam, hunc, ut videtur, secutus, Bartholomæus Moronus: “ Nullum in universa pene Ibernia relictum esse, qui veræ religionis cultum non addisceret.” Verum universalem Hiberniæ ante B. Patricii adventum conversionem historiæ veritas nulla ratione potest admittere.

Itaque in officio<sup>u</sup> reformato, majore cum verisimilitudine, “ universam Rachau provinciam sua prædicatione ad Christi fidem perduxisse” Cataldus dicitur. Nam, ut in Antiphona canitur ibidem: “ Hunc Racuensis ecclesia pontificem primum suscepit; quem Tarentina patrem amabilem postea complexa est.” Et a Rachau, in Mononiæ<sup>w</sup> seu Momonixæ partibus quondam non obscuri nominis urbe, cognomentum ille accepit. Cum<sup>x</sup> enim Drogonus archiepiscopus Tarentinus sepulcrum Cataldi aperuisset, crucem in eo auream invenisse dicitur,

——— crucem<sup>y</sup> gemmis auroque nitentem;

Nomen ubi exculptum Rbachuensis præsulis ætas

Nostra legit, totusque Taras promulgat in orbem.

Pendet<sup>z</sup> enim ex hodie ante pectus statuæ illius argenteæ,

<sup>u</sup> Offic. a Card. Sirlcto et Caetano edit. in festo S. Cataldi, Mai. VIII. lection. 5.

<sup>w</sup> Barthol. Moron. initio vitæ S. Cataldi.

<sup>x</sup> Id. circa finem Offic. reformat. in festo inventionis S. Cataldi, Mai. X. lection. 4.

<sup>y</sup> Bonaventur. Moron. in ipso fine VI. et ultimi libri Cataldiados.

<sup>z</sup> Barthol. Moron. in fine vitæ Cataldi.

quam S. Cataldo populum Tarentinum posuisse diximus; hasque literas insculptas gerit: CATALDUS RACHAV.

Atque hæc sunt quæ in Cataldi actis ad nostram pertinent Hiberniam. Reliqua enim partim profectionem illius Hierosolymitanam et legationem Tarentinam, atque res in utraque gestas spectant; partim reliquiarum ejus primam inventionem Drogoni, et translationem Giraldi archiepiscopi factam temporibus. Cujus et inventionis et translationis memoriam anniversariam Tarentini die Maii decimo celebrant, quo et nomen ejus Romano martyrologio est appositum, quum ante biduum depositionis ipsius tempus iidem commemorant. De prophetia etiam ejusdem, quæ anno MCCCCXCII. in lucem primum prolata fuisse dicitur, ex codicibus ecclesiæ Tarentinæ, Alexandri ab Alexndro libro tertio Genialium dierum, capite decimo quinto, et Petri Galatini libro octavo de Ecclesia destituta, capite primo, plura addit Bartholomæus Moronus: licet ejus vaticinii inventionem ad annum MCCCCXCIV. perperam, ni fallor, incertus quidam annalium scriptor, de morte Ferdinandi I. regis Aragoniæ, et utriusque Siciliae mentione facta, ita retulerit: "Isto anno fuit repertus Tarenti liber sancti Cataldi consistens in tribus laminis plumbeis, videlicet duabus extremis semiscriptis et media scripta ex utroque latere; qui præsentatus fuit domino regi, loquens de dicti regis repentina morte: et sic fuit repente mortuus."

Antonius Caracciolus, a quo annales isti Neapoli anno MDCXXVI. cum quatuor aliis antiquis Italarum chronologis, sunt editi, in nomenclatore propriorum nominum quam editioni suæ præfixit, de ætate Cataldi ista subjicit: "Vixit S. Cataldus, non anno Christi CL. ut Juvenis opinatur in præfatione ad historiam Tarentinam et libro octavo, sed minimum, post annum CCCXXVI. quo Christi sepulcrum, quod Cataldus in Palæstinam abiens veneratus esse legitur, a B. Helena Augusta repertum est. Fortassis etiam elicitur ex ejusdem vita gestisque, ipsum floruisse post Gothorum in Italiam adventum, hoc est, post annum Christi quingentesimum." Ita ille: hac de re alias diligentius atque fusius se acturum promittens. Jo-

hannis vero Juvenis, in præfatione ad cives suos Tarentinos, de tempore Cataldi verba hæc sunt: “ Reversos ad idolorum cultus, ut canis redit ad vomitum, Tarentinos centesimo et sexagesimo anno post Domini ad patrem ascensum, Aniceto Syro tunc pontifice maximo, beatus Cataldus ab Hibernia usque exteri maris insula oriundus ad pristinam revocavit fidem.” In octavo autem historiae suæ libro, capite secundo, ex antiqua S. Cataldi vita tempus ita delineat: “ Erat annus Domini centesimus et sexagesimus sextus, quando Divus Cataldus Tarentum ingressus est. Sedem Petri tenebat tunc Anicetus Syrus, qui sedit annos novem, a LXIII. usque ad LXXIII. post centesimum a Christo nato, martyr in quarta Ecclesiæ persecutione, imperatoribus M. Antonino Vero et L. Aurelio Commodo.” A quo non multum recedit Bartholomæus Moronus, sic tempus explicans: “ Fuit, cum Cataldus Tarentum ingressus est, annus a partu virginis septuagesimus circiter supra centesimum; cum Ecclesiam Dei regeret Anicetus Syrus, et Antoninus philosophus Romæ imperaret.” Quo et alterius fratris Bonaventuræ versus illi referri poterunt, sub exitum libri secundi Cataldiados:

Syrus Anicetus sacrarum pondera rerum  
Sustinet; et princeps Aurelius eminet orbi.

Dempsterus floruisse dicit anno CCCLXI. quem annum esse putat ejus depositionis. Alexander ab Alexandro, in loco jam citato, “ sanctum Cataldum abhinc annis mille pontificem urbi Tarentinæ præfuisse” scribens, circa annum Christi quingentesimum claruisse eum significat: licet ut eo tempore Tarentini a Christianæ fidei professione ita fuisse credantur alieni, ac nobis Cataldi acta eos exhibent, nemo prudens facile concesserit.

S. Cataldo comes adjungitur frater ipsius S. Donatus, primus Lupiensium in Italia episcopus: ejus ita meminit Bartholomæus Moronus: “ Alii existimant Cataldum, prius quam Tarentum accederet, in Japygiam devenisse cum Donateo, quem primum episcopum Lupiensem faciunt et sancti Cataldi fratrem; atque simul aliquandiu solitariam vitam vixisse juxta oppidulum, quod postea a sancti (Ca-



taldi) nomine nomen accepit." Eam opinionem, ut apud Johannem Juvenem legitur, "dicunt referri a Jacobo Antonio Lupiensi in historia: sanctum scilicet Cataldum ad Japygiam venisse, comitem habentem germanum fratrem Donatium primum Lupiensium episcopum; et per quatuordecim annos vitam cum illo eremiticam egisse prope oppidum, quod ab ipso nomen accepit, hodieque adhuc extat, sanctus Cataldus, ad decem millia passuum ab Hydrunte remotum." Hunc autem Donatum Dempsterus<sup>a</sup>, suo more, scripsisse fingit; "Ad Lupienses Homiliarum librum unum, et Ordinationum ecclesiæ suæ librum alterum.

Calendis Decembribus, "in Castro Ambasio sancti Florentini presbyteri et confessoris, miræ virtutis viri," memoriam celebrari notat, in additionibus ad Usuardi martyrologium, Johannes Molanus. Ejus vitam legimus, "ex antiquis voluminibus capituli ejusdem S. Florentini in oppido Ambasiæ fundati desumptam:" in qua genus ejus ita descriptum invenimus: "Gloriosus Christi confessor Florentinus in Hibernia oriundus, sollicitudine etiam qua debuit a suis parentibus Theophilo videlicet et Benigna benigniter educatus, Dei gratiam a primis infantiae cunabulis accipere meruit." Tum, relicta patria, Florentinum Romam pervenisse scribit auctor, quo tempore Claudius Cæsar Christianorum atrocissimus persecutor imperii Romani culmen adeptus est: ibique Claudii jussu ab Asterio quodam in vincula conjectum, ipsum Asterium cum uxore et tota familia ad Christum in carcere convertisse; virosque ac fœminas numero nonaginta sex a se baptizatos ad sanctum Calixtum, eo tempore sedis apostolicæ summum ac sanctissimum sacerdotem, confirmandos allegavisse. Quæ Calixti mentio, si alia non obstarent, circa annum Christi CCXX. gesta esse ista facile persuaderet: præsertim cum Calixti sive Callisti hujus corpus e puteo in quem demersus fuerat post dies quatuordecim eductum, ab Asterio presbytero in cœmiterio Calepodii sepultum esse, camque ob causam ipsum Asterium post dies sex,

<sup>a</sup> Dempster. hist. lib. 4. num. 388.

jussu Alexandri imperatoris Mammææ filii, e ponte præcipitatum fuisse, Callisti<sup>b</sup> acta confirment. Verum has rationes interturbat, quod in vita Florentini de Claudii Cæsaris imperio præcesserat, multoque magis quod sequitur; Theodebertum et Clotharium eo tempore in Gallis regnavisse, S. Germanum Parisiensium et S. Gildasium Ruthenensium<sup>c</sup> pontificem extitisse, “Arianorum et hæreticorum perfidiam totam fere Aquitaniam polluisse,” et ejus generis alia. Ut in tanta rerum et personarum confusione, qua S. Florentinus ætate vixerit, dictu non sit proclive.

“S. Firminum Scotum, in patria ab Honesto presbytero educatum, ad S. Honoratum Tolosanum episcopum misum multos in Aquitania ad fidem convertisse;” et demum apud Ambianenses, quorum primus factus est episcopus, anno ætatis suæ sexagesimo quarto salutis humanæ CCC. Septembris die vigesimo quinto martyrii palmam percipisse, scribit Dempsterus<sup>d</sup>. Et eo quidem Septembris die, “Ambiani in Gallia beati Firmini episcopi, qui in persecutione Diocletiani sub Rictiovaro præside post varia tormenta capitis decollatione martyrium sumpsit,” memoriam celebrari in Romano martyrologio legimus. Verum ad anteriora tempora referunt eum alii: inter quos et Pseudo-Dexter est, in chronico suo ad annum Christi CX. ita annotans: “S. Firminus Pampilonensis civis et episcopus, discipulus S. Saturnini S. Petri similiter auditoris, Ambiani sub Juliano præside patitur: prius tamen per Hispanias Toletum usque prædicans, provinciam longe lateque pervasit.” Et Heleca Cæsar-Augustanus in additionibus ad Maximum: “Celebris apud Vascones memoria S. Firmani episcopi primi et apostoli Pampilonensis; qui passus est in persecutione Antonini Pii, die octavo mensis Octobris. Fuit consecratus ab Honorato episcopo Toletano, et aquis salutaribus tinctus a S. Saturnino episcopo

<sup>b</sup> Tom. 7. vit. sanctor. a Jacobo Mosandro edit. ad diem XIV. Octobr. cum martyrologio Bedæ et Adonis, prid. Id. Octobr. et XII. Calend. Novembr.

<sup>c</sup> Rodez, sub Bituricensi metropoli.

<sup>d</sup> Dempster. hist. lib. 6. num. 522. et lib. 8. num. 643.

Tolosano S. Petri apostolorum principis discipulo, misso prædicatum Tolosam."

De Firmo quoque Pampilonensi senatore, Honesto presbytero, et hujus discipulo, illius vero filio Firmino, in actis Saturnini habentur ista: "Firmus cum jam totus Christi subditus esset dominio, et maximus haberetur in comitatu Pampilonico, tradidit filium suum primogenitum Honesto presbytero, Saturnini clientulo: et doctus est ab illo omni literali judicio, omnique fidei commercio; et multo post tempore episcopus est ordinatus ab Honorato Toletano<sup>e</sup> præsule, Saturnini successore.<sup>f</sup> Qui Firminus triginta transacto annorum curriculo, Agonensem urbem adiit, et cum Astario quodam presbytero magnum acquisivit ibidem populum Christo. Postmodum multum alumnicorum populum (Pampilonensium scilicet) convertit ad Dominum. Vigerium postea transmeans annem, Andegavinam perrexit ad urbem, et magnam ibi Deo militare fecit gentiliū plebem. Germanicam tandem iens in partem, Beluacensem ingressus est civitatem: ibique manens episcopus electus a credentibus, multos revocavit ab idolorum cultura. Ambianensium vero deinde vadens ad oppidum, ter millenas Deo sociavit animas. Ad ultimum decollatus est in carcerali ergastulo."

Refert ista ex S. Saturnini actis ineditis Franciscus Bivarius, in suo ad citatum Dextri locum commentario; ubi S. Firminum Pampilonensem civem fuisse, tum ex scriptorum omnium qui gesta ejus scripserunt consensu, tum ex ipsius ecclesiæ Pampilonensis officiis ecclesiasticis declarat: quod et Claudius Robertus confirmat, in Ambianensium episcoporum catalogo; et antiqua S. Firmini acta<sup>f</sup> a Francisco Bosqueto edita, in quibus ille "Hispanus genere et civis Pampilonensis" expressis verbis nominatur. Quibus igitur auctoritatibus fretus Dempsterus, cum in Scotorum album retulit? Hagiologorum scilicet, a quibus in Hiberniæ partibus ortus dicitur; et Scotichronici, ex cujus libro quarto, capite nono, verba producit ista:

<sup>e</sup> A Gallis in Tolosano episcopatu Honoratus Saturnino successisse dicitur.

<sup>f</sup> Hist. eccl'es. Gallican. tom. 1. part. 2. pag. 152, 153.

“Hoc tempore in Gallia Firminus docebat, Ambianorum primus episcopus.” Atqui Scotum fuisse illum, auctor iste non dicit; et aliarum nationum viros celebres in Scoti-chronico passim commemorari Dempsterus non ignorabat. Nec quid Hagiologorum Hibernia pro Dempsteri Scotia faciat, videre possumus: nisi putidum illud postulatum simul concedamus; quod priori ævo a scriptoribus Hibernia sumatur pro Scotia. Nam Scotiam ab illis sumi pro Hibernia si dixisset; rem ipsam acu tetigisset.

Ex Hagiologiis vero duo tantum protulit Dempsterus hic loca: ex Constantini Ghinii sanctorum canonicorum natalibus unum; ex Petri Equilini sanctorum catalogo alterum. Sic enim ad vigesimum quintum Septembris diem Ghinius: “Ambiani in Gallia S. Firmini, primi ejusdem civitatis episcopi, et martyris: qui ex Hiberniæ partibus ab Honesto presbytero literis eruditus, et a Tolosano episcopo ordinatus, apud Andegavenses, Beluacenses, et alios populos verbum Dei prædicans, multos ad Christi fidem convertit; Ambiani autem factus episcopus, brevi fere omnes convertit et baptizavit, ecclesias construxit, et pro fide Christi sæpe tentus et flagellatus, sed Dei ope servatus, tandem in perseecutione Diocletiani, sub Rectiovaro præside post varia tormenta capitis decollatione martyrium sumpsit, circa annum Domini CCC.”

Petri Equilini verba, quæ integra Dempsterus exhibere noluit; ne inde Firminus, neque Scotus, neque Hibernus, sed Navarrenus fuisse proderetur, hæc sunt: “Firminus<sup>s</sup> presbyter et martyr apud Ambianum passus est sub Longino et Sebastiano præsidibus; qui ex civitate Hiberniæ, quæ dicitur Pampilonia, ortus patre Firmo senatore, cum adhuc esset puer traditus est Honesto presbytero sacris literis imbuendus.”

Quibus, ut erroris patefaciamus originem, et illa Vincentii Bellovacensis<sup>h</sup> ex gestis Firmini antiquioribus descripta nos adjungimus: “Sub Diocletiano et Maximiano erat in urbe Iberiensi, quæ dicitur Papilonia (Pompilioniam

<sup>s</sup> Petr. de natalib. lib. 8. cap. 119.

<sup>h</sup> Vincent. specul. historial. lib. 12. cap. 79.

habet, qui Vincentium hic exscripsit, Claudius de Rota<sup>1)</sup> senator nobilis in ordine primus, et nomine et opere Firmus, qui filium suum Firminum Honesto presbytero tradidit, divinis literis imbuendum. Qui Firminus annorum decem et septem in sanctitate et doctrina proficiens, ac pro Honesto jam sene prædicans, ab ipso ad Honoratum Tholosanum episcopum missus est, ut ab eo ordinatus episcopus Christum ubique gentibus prædicaret." Pampilonam vero Hispaniæ civitatem, et Navarræ metropolim esse, norunt omnes; Hiberiæ deinde nomine designatam Hispaniam, et pro Hiberia librariorum incuria Hiberniam substitutam, nos non semel observavimus. Ita<sup>k</sup>, ubi adversus Luciferianos scribit Hieronymus: "Nimirum adversarius potens concessit Christo Hiberiam, et Celtiberos, luridos homines." Alii pro Hiberia legunt Hiberniam: ut Erasmus notat. Et in Hibernia nostra Galbam imperium invasisse credidit Arnoldus Mermannius, vulgatas Eusebiani chronici editiones secutus: quam MSS. codices, et ex eis emendata Arnoldi Pontaci editio, Hiberiam nobis hic exhibeant, id est, Hispaniam. Ut de Johanne Lelando nihil dicam, qui, in commentariis ad Cygneam suam cantionem, Hiberniam Iberiam appellandam esse censuit: in ipso quoque poemate de Hibernis ab Henrico VIII. in fidem receptis ita canens:

Fractos undique pœnitudo Iberos  
 Silvestreis domuit, suave legis  
 Ferre et perdocuit jugum Britannæ:  
 Quæ victoria comparanda magnis.

Sub eodem præside S. Firminum et S. Macram martyrium subiisse, Romanum tradit martyrologium: in quo, ad sextum diem Januarii, habetur annotatum: "In territorio Remensi, passio S. Macræ virginis: quæ in persecutione Diocletiani, jubente Rectiovaro præside, cum in ignem esset præcipitata et permansisset illæsa, dehinc mammillis abscissis et squalore carceris afflicta, super testas etiam acutissimas ac prunas volutata, orans migravit ad Domi-

<sup>1</sup> Claud. Rot. addit. ad legend. aur. cap. 205.

<sup>k</sup> Vide supra, cap. 1. op. tom. 5. pag. 18.

num." Similiter et Flodoardus, in ecclesiæ Remensis historia: "Passa<sup>1</sup> est in hoc Remensi pago beata Macra virgo sub Rictiovaro præfecto. Quæ post insuperabilem Christi confessionem gravissima tormenta perpessa, post mammillarum abscissionem, et repentinam curationem per angelicam in carcere visitationem, dum super prunas et testulas accensas nuda volutaretur, cum precibus et gratiarum actionibus immaculatum Deo reddens spiritum, ac triumphans adversarium, læta petiit cælum." Sub Rictiovaro quoque passam docent Bedæ, Usuardi, Adonis et Notkeri martyrologia: nec non Vincentius et Petrus Equilinus. Verum<sup>m</sup> hic "in civitate Augustana martyrium passam esse" dicit: ille<sup>n</sup> ex gestis martyris refert, "Rictiovarum venientem in civitatem Augustanam, comperisse Macram virginem Christum incredulis prædicantem;" passam tamen subjicit "in territorio Remensi, et haud procul a loco illo corpus ejus sepultum fuisse."

De<sup>o</sup> eadem Nicolaus Oudartus, in ephemeridibus suis ecclesiasticis:

Rictius injecit te præses Varus in ignem,  
 Præciditque ferox ubera Macra tibi.  
 Altamen haud quidquam flammæ nocuere regales,  
 Uber utrumque loco restituitque Deus.  
 Quod notum Rhemis; quorum tegeris solo, acula  
 In testa oranti postquam ibi obisse datum.

Et Thomas Dempsterus "S. Macra<sup>p</sup> vel Magra sive ut aliis visum, Machra regis Scotiæ filia, ac sanctissimi Gutha-  
 goni soror; cum quo patriam voto peregrinationis egressa, in valetudinem gravem prolapsa, Romam pergere non potuit: sed ubi frater discessit, in pago quodam Fismes convaluit in agro Remense; ubi habitum postea concilium sub annum DCCCCXXXV. dictumque Remense tomo tertio conciliorum; Nicolao Chesnau autore: sub hoc temporis virgo beata sanitati restituta est; disquisitio per Rictiovarum Galliarum sub Diocletiano et Maximiano Augustis præfectum de Chris-

<sup>1</sup> Flodoard. lib. 4. cap. 51.

<sup>m</sup> Petr. de natalib. lib. 2. cap. 50.

<sup>n</sup> Vincent. specul. historial. lib. 12. cap. 50.

<sup>o</sup> Vid. Andr. Saussaii martyrolog. Gallic. Januar. 6. et Mart. 2. pag. 14. et 134.

<sup>p</sup> Dempster. hist. lib. 12. num. 830.

tianis institui cœpta; et inter alios Macra Scota comprehensa, nec minis nec suppliciis deterreri potuit quin in sancta fidei observatione perseveraret. Hæc ex continuatore Veremundi presbyteri epistola Johannis Fraserii ad Adamum Blacuodeum, apud Gilbertum Brunum in collectaneis." Addit Dempsterus illam passam anno CCC. atque "uno anno citius Guthagonum fratrem excessisse. Siquidem, inquit, inter sanctos nostrates ille refertur sub annum XCIX. a Jacobi Cheinei tabulis: et consentit Calendarium Adami regii. Collectanea Bruni et continuator Veremundi in annum CCXCIX. rejiciunt: quod ex Macræ historia verius esse convincitur."

S. Guthagoni meminit Meyerus<sup>a</sup> in Flandriæ annalibus, Gazetus in historia ecclesiastica Belgii, et Molanus in natalibus sanctorum Belgii: ubi ad tertium diem Julii, ex Oostkerckensis breviarii lectionibus ista recitat: "In Oostkercka, burgo Flandriæ, sancti Guthagoni confessoris, regis Scotiæ; qui ibi peregrinus pro Christo, in pace quievit. Hic sicut suæ posteritati antiquitas reliquit, creditur dum viveret regalis fuisse dignitatis, sed considerans omnia esse vanitatem, quæ sub cœlo sunt, in Flandriam pervenit. Ubi circa littora maris in vicino de Knocken aliquandiu sancte est conversatus, et a clericis ac laicis Oostkerckæ cum devotione sepultus, in occidentali parte cœmiterii. Sed Domino per eum crebra miracula faciente, corpus juxta ecclesiam est majori veneratione reconditum, et capella super eum constructa, ubi nunc est ecclesiæ campanile. Ghillo autem, qui eidem sancto adhuc viventi familiarius adhæserat, ab eo jam defuncto avelli non potuit. Qui etiam creditur post mortem claruisse miraculis. Nam tempore Gregorii curati dictæ ecclesiæ, qui postea in ordine prædicatorum fratrum sancte vixit, manum aridam cuidam, ab eo misericordiam imploranti, restituit. Unde dictus Gregorius metricè scripsit;

Contracto Ghillo scit opem conferre pugillo."

Utrumque anno CCXCIX. depositum Dempsterus<sup>f</sup>

<sup>a</sup> Meyer. ad ann. 1159. et 1444.

<sup>f</sup> Dempster. hist. lib. 7. num. 584. et 585.

scribit, Guthagonum etiam anno CCXLVIII. natum; Findochi utique, si illi credere libeat, XXXI. Scotorum regis filium, fratrem Donaldi II. et Crathlinti, nepotem Athirconis regum. Atqui Scotorum historici Donaldum Crathlinti non fratrem sed patruum faciunt, regesque istos Christianam religionem coluisse volunt: quum Guthagonum tamen relegatum a rege patre propter fidei Catholicæ professionem, in Flandria migravisse ad Dominum, historia Scotica MS. apud Gilbertum Brunum, a Dempstero citata, referat. Et sive Scotiæ rex ille fuerit, ut Oostkerckenium fert traditio, sive regis Scotiæ filius, ut in fastis suis Belgicis ait Miræus, non aliam ea tempora noverunt Scotiam, quam Hiberniam. Ut ad illam Philippi Ferrarii conjecturam confugere nihil hic opus fuerit, forte<sup>†</sup> pro Hibernia scriptam fuisse Scotiam: “quod usu,” inquit, “evenire non semel animadvertimus.” Falsumque omnino est, quod a Dempstero pro concessio sumitur, “nullum in Hirlandia (sic enim barbare eam appellare ille maluit quam, cum Cæsare et aliis Latine loquentibus, Hiberniam) Catholicum aut Christianum, bonum aut malum, hæreticum aut schismaticum, marem aut feminam, puerum aut senem, qui veram pietatem profiteretur” hoc tempore extitisse: nec minus vanum, quod ad illud confirmandum postea subjicit, “quod Hirlandorum traditio habet, ancillam Picticam Evangelium enunciasset in Hirlandia primam, id non nisi post Guthagoni migrationem annis triginta et sex, scilicet anno salutis CCCXXXV. ut Camdenus, Campianus ante eum, et utroque posterior Joannes Antonius Maginus” habet, contigisse.

Nam neque Campianus, ex quo reliquos hoc hausisse fingit Dempsterus<sup>‡</sup>, ejusmodi quicquam habet, neque ulla talis apud Hibernos extat traditio: et Scoticos suos annales, non nostros Hibernicos, hujus rei testes citat Hector Boethius: “Hiberniam<sup>¶</sup>,” inquit, “unde Scotis origo, per id tempus Christi cultum accepisse ferunt. Res a

<sup>†</sup> De quib. supra, cap. 15.

<sup>‡</sup> Ferrar. catalog. general. sanctor. qui in martyrolog. Rom. non sunt, Juli. 3.

<sup>¶</sup> Dempster. hist. lib. 6. num. 522.      <sup>¶</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 6.



modico principio orta, ut nostratium scribunt nonnulli, miraculis coaluit. Mulier Christianæ pietatis cultrix (Pictici eam fuisse sanguinis Scotici asseverant annales) reginæ insinuata, Christi nomen illi mirifice prædicavit, reverendumque effecit. Regina regem docuit: rex universum populum." Quanquam ille etiam fortasse, non tam Scoticos annales, quam Antonium Coccium Sabellicum nominare debuisset; ex quo<sup>x</sup> narrationis hujus singula pene verba transcripsit. Ipse vero Sabellicus non alium secutus, est hic auctorem, quam Philippum Eremitanum (sic enim appellat Jacobum Philippum Bergomensem) qui in libro nono supplementi chronicorum ad annum Domini CCCXXXVIII. ita scribit: "Hibernia, alias Hiberiæ provincia, quæ hodie Scotia nuncupatur, in aquilonari parte constituta, hoc anno fœdera verbi Dei et Christi fidem miraculosissime suscepit: et muliercula quædam Christiana ibidem captiva hujus tanti boni causam præstitit." Tum notissimam illam de Iberorum Asiaticorum conversione historiam commemorat; quam ex relatione Bacurii, gentis ipsius regis, Rufinus exposuit libro primo historiæ ecclesiasticæ, capite decimo, et post eum cæteri historiæ ecclesiasticæ scriptores: Socrates libro primo, capite decimo sexto; Theodoretus libro primo, capite vigesimo quarto; et Sozomenus libro secundo, capite sexto; et martyrologium Romanum, Decembris die decimo quinto "apud Iberos trans Pontum Euxinum sanctæ Christianæ ancillæ, quæ virtute miraculorum gentem illam tempore Constantini ad fidem Christi perduxit," memoriam celebrari annotans.

Neque aliam a Philippo gentem intellectam, ex eo manifestum est, quod "hos Scotos seu Hiberos hodie Georgianos populos appellari" addit, et cum "Armeniis ac Colchis una sub provincia sive regione conjungit." Verum illa a nobis, ubi de S. Firmino egimus, notata similitudo nominum Hiberiæ et Hiberniæ, quæ vetus Scotia est, homini situs orbis terrarum ignaro sic imposuit; ut disjunctissimos populos pro una et eadem gente acceperit. Sed

\* Sabellic. Ennead. 7. lib. 8.

et conversionem Iberiæ Asiaticæ ad nostros traduxit, ante Philippum, Wernerus Laerius; in temporum suo fasciculo "Hiberniam conversam ad fidem per quandam ancillam captivam" annotans: erroremque deinceps mirum in modum auxit Arnoldus Pontacus: S. Palladium simul et S. Patricium a Theodosii junioris ad Constantini Magni tempora retrahens. Sic enim ille in chronographia sua; quam Genebrardus postea interpolavit, sed a fædo hoc anachronismo non repurgavit: "Iberi prædicationibus S. Patricii, qui anno vitæ suæ centesimo et vigesimo secundo obiit, fidem Christi recipiunt. Scoti quoque: quorum primus fuit episcopus Palladius missus a Celestino papa."

Diviso inter Constantini Magni filios Romano imperio, natu maximo Constantino non Britannias solum, sed etiam Orcades, Iberniam et Thylen obvenisse refert, in Romanæ historiæ compendio, Pomponius Lætus; eumque in Cæsariis suis secutus Johannes Cuspinianus, et in secundo cosmographiæ suæ libro Sebastianus Munsterus. Et Eumenius quidem rhetor in Panegyrico ad Constantinum Constantini Magni patrem, dicto audientem ipsi fuisse Hiberniam verbis illis innuit: "Ultra Oceanum vero quid erat præter Britanniam? Quæ a vobis ita recuperata est; ut illæ quoque nationes terminis ejusdem insulæ cohærentes vestris nutibus obsequantur. Nulla progrediendi causa superest nisi si, quod natura vetuit, fines ipsius quærantur oceani." Et Julianus Cæsar<sup>y</sup>; quum sub ejusdem Constantii imperio fuisse significat "τὰς ἐντὸς Ὠκεανοῦ νήσους, αἱ τοσοῦτῃ μείζους τῶν ἐν τῇ θαλάττῃ τῇ καθ' ἡμᾶς ὄρωμένων εἶσιν, ὅσῳ καὶ τῆς εἰσω θαλάσσης ἢ τῶν Ἡρακλείων στηλῶν ὑπερχειμένη<sup>z</sup>. In oceano positas insulas, quæ tanto majores illis sunt quæ in mari nostro (Mediterraneo) conspiciuntur, quanto mari hoc interiori majus illud est quod per Herculeas columnas diffunditur:" sic enim ille magnitudinem duarum<sup>a</sup> Britannicarum insularum hy-

<sup>y</sup> Julian. orat. 2. De regno sive potius de rebus gestis Constantii Aug. Constantini M. filii, pag. 95. edit. Paris. ann. 1630.

<sup>z</sup> ὑπερχειμένη.

<sup>a</sup> De quibus initio capitis sequentis, ex Dionysio: Τάων τοι μέγεθος περιώσιον.

perbolice satis amplificat. Ut ex Menæis Græcorum<sup>b</sup>, ad diem vigesimum primum Maii, illud non urgeamus; quod Constantius filium Constantinum Magnum “διάδοχον τῆς αὐτοῦ βασιλείας κατέλιπεν ἐν ταῖς Βρετανικαῖς νήσοις, successorem regni sui reliquerit in<sup>c</sup> insulis Britannicis.” Verum neque Hiberniam, neque Thulen, dignatum fuisse acquirere Constantium, in Panegyrico ad filium ipsius Constantinum Magnum, idem Eumenius<sup>d</sup> diserte asserit: et quod Beda libro primo historiæ suæ ecclesiasticæ capite undecimo, Romanos ait “eas etiam quæ ultra Britanniam sunt insulas jure dominandi possedisse;” ex tertio ejusdem libri capite est exponendum; in quo, Claudium “Orcadas insulas, ultra Britanniam in oceano positas, Romano adjecisse imperio,” cum Eutropio et Orosio affirmat: quanquam imperante demum Domitiano, Romaniam classem “incognitas ad id tempus insulas Orcadas invenisse domuisseque” doceat in vita Agricolæ Tacitus: et Juvenalis quoque confirmet, in secunda sua canens satyra:

——— Arma quidem ultra  
Litora Juvernæ<sup>e</sup> promovimus, et MOÏO captas  
Orcadas, ac minima contentos nocte Britannos.

Sub Constantini Magni filii Sedulium nostrum claruisse scribit Sigebertus Gemblacensis: qua ratione, ipso quoque Constantino imperante, Hildebertum, quem eundem cum Hildeberto Cenomanensi episcopo, pudendo sane errore, facit Dempsterus<sup>f</sup>, Scotorum archiepiscopum extitisse dicendum esset; si illius, ut vult Trithemius, ab ineunte ætate discipulus fuit Sedulius. Sigeberti de ætate et scriptis Sedulii verba hæc sunt: “Sedulius<sup>g</sup> episcopus ad Macedonium presbyterum scripsit libros de miraculis veteris et novi Testamenti: quos postea sub metrica lege redactos, prætitulavit Paschale carmen. Reparavit etiam reparacterico carmine omnia Domini opera. Claruit tempore Constantis et Con-

<sup>b</sup> Supra, cap. 10. op. tom. 5. pag. 346.

<sup>c</sup> Vid. similem locum supra, cap. 10. op. tom. 5. pag. 346. ex Socrate.

<sup>d</sup> Supra, cap. 15. pag. 112.

<sup>e</sup> Id est, Hiberniæ.

<sup>f</sup> Dempster. hist. eccles. lib. 8. num. 671.

<sup>g</sup> Sigebert. de viris. illustrib. cap. 6.

stantiniani (lege Constantii) filiorum primi Constantini imperatoris." Trithemii ista: "Sedulius presbyter, natione Scotus, Hildeberti Scotorum archiepiscopi ab ineunte ætate discipulus, vir in divinis Scripturis exercitatus, et in secularibus literis eruditissimus, carmine excellens et prosa; amore discendi Scotiam relinquens, venit in Franciam; deinde Italiam perlustravit et Asiam, postremo Achaïæ finibus excedens, in urbe Roma mirabili doctrina elarus effulsit. Scripsit autem et metro et soluta oratione plura opuscula: de quibus ego tantum reperi subjecta. Ad Macedonium abbatem opus insigne, juxta seriem totius Evangelii, quod prænotavit:

Carmen Paschale, metricè, libros quatuor. Paschales quicunque dapes.  
In omnes epistolas Pauli, prosaice, libros quatuordecim. Antequam<sup>h</sup> apostolica verba.

De miraculis Christi, librum unum. A solis ortu cardine.

Ad Theodosium imperatorem, librum unum. Romulidum ductor clari.

In majus volumen Prisciani, librum unum.

In secundam editionem Donati, librum unum.

Exhortatorium ad fideles, librum unum. Cantemus socii Domino.

Epistolas plures ad diversos, librum unum. Sedulius Scotigena.

De miraculis Christi prosaice, libros duos.

Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Hic tandem, ut Sigebertus scribit, episcopus ordinatus fuit: sed ecclesiam, vel urbem ubi, non exprimit. Claruit sub Theodosio, anno Domini CCCCXXX."

Ad episcopatum Sedulii quod attinet, a Sigeberto in libro de viris illustribus commemoratum: extant in illius carmen paschale a D. Liberio<sup>i</sup> poeta (vel Liberato scholastico potius, ut vetus quo ego sum usus codex MS. eum appellat) et Belisario poeta (quorum utrumque anno CCCCXL. vixisse, pro sua auctoritate statuit Dempsterus<sup>k</sup>) editi versiculi: quorum primæ et extremæ literæ hanc nobis quater exhibent Acrostichidem: SEDULIUS ANTISTES. Et opus paschale solutis verbis editum, in

<sup>h</sup> Desideratur hæc præfatio in libris editis.

<sup>i</sup> Bibliothec. patr. edit. Paris. ann. 1589. tom. 8. col. 537, 538. et edit. Colon. ann. 1618. tom. 5. par. 1. pag. 417.

<sup>k</sup> Dempster. hist. ecclesiast. lib. 2. num. 176. et lib. 11. num. 817.

vetusto P. Pithœi codice, hanc præfert ἐπιγραφὴν. “Incipit<sup>1</sup> præfatio Sedulii antistitis in soluta oratione paschalis carminis.” Et pæani de Christo, cujus initium, A solis ortus cardine, sub finem officiorum Alcuini<sup>m</sup> per Ferias, præfixus cernitur hic titulus: “Hymnus beati episcopi Sedulii.” Et sedes illius, si quæ fides Pseudo-Dextro adhibenda, urbs fuit Oretana in Hispania. Sic enim ille in chronico. Anno Christi CCCCXXVIII. “Fœtadio, pontifici Toletano succedit Isicius monachus Palæstinus: qui Sedulium amicum suum, et Oretanum episcopum, prædicationis gratia Toleti detinet; qui dono Dci in poesia oratoriaque præclarus, multos libros componit.” Ad quem locum Franciscus Bivarius: “Hinc,” inquit, “habemus Sedulium Oretanum in Hispania fuisse episcopum; quod tamen non tollit ortum fuisse in Hibernia, ut multi credunt, cum et ipse Isicius Toletanus episcopus Palæstinus fuerit monachus. Sed utrum duo Sedulii olim in poesia floruerint, an unus, non est hujus loci disputare.” Sic ille, non parum hac in re hæsitans: quum ante eum Damianus a Goes et Sebastianus Munsterus, in Hispaniæ descriptione, nulla distinctione adhibita, Sedulium poetam in Hispanorum numero simpliciter collocaverint.

Johannes Tinmuthensis, in vita Dunstani, sapientem ac senatorem Sedulium nominat: Ædilwaldus etiam, Romæ urbis indigenam. Sic enim ille, in carmine ad Winfrithum:

Quemadmodum mellificis  
 Heroicorum versibus  
 Illustris quondam poeta  
 Romæ urbis indigena  
 Styli calamo stridulo  
 Caraxante persedulo  
 Sacris inserit schedulis  
 Doctiloquus Sedulius.

Verum de patria sua Sedulius noster dubitare nos non sinit, cum in epistolarum suarum exordio, ut ex Trithemio intelleximus, Sedulium Scotigenam ipse se nuncupet: ejus-

<sup>1</sup> Bibliothec. Patr. tom. 8. col. 1137. edit. Paris.

<sup>m</sup> Alcuin. oper. edit. Paris. ann. 1617. col. 303.

demque in epistolas Paulinas annotationes, ex Fuldensi vetustatis adorandæ exemplari editæ, hanc inscriptionem præferant: **SEDULII SCOTI HYBERNIENSIS IN OMNES EPISTOLAS PAULI COLLECTANEUM.** Ut desinat Dempsterus<sup>n</sup> “mirari, theologos Colonienses in ultima editione bibliothecæ sanctorum patrum illum SCOTUM cum adjectione HIBERNENSEM appellasse.” Eadem enim adjectio etiam in duabus Basileensibus editionibus ab Henrico Petro excisis cernitur: quarum priori, quæ anno MDXXVIII. prodiit in lucem, hexastichon hoc manu Johannis Lelandi appositum legimus :

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM HENRICUM OCTAVUM, REGEM  
ANGLIÆ ET FRANCIÆ, ET FIDEI DEFENSOREM.

Sacra renascentis tibi collectanea, princeps  
Maxime, Sedulii munera rara damus.  
Nil ctenim pulchro Gallorum vidimus orbe  
Conveniat titulis quod magis usque tuis.  
Fac igitur læta capias hæc munera fronte ;  
Signa animi erga te qualiacunque mei.

Johannes Sichelardus, in nuncupatoria ejusdem operis ad Petrum Tomitium Premisliensem episcopum epistola, Sedulium Hyberniensem vocat : similiterque Georgius Viceilius, in præfatione carminibus theologicis a se editis præfixa, inter Ecclesiæ poetas Catholicos Sedulium Hybernum nominat : eoque etiam Martinus Delrius, in<sup>o</sup> sapientiæ Pharo, eundem appellat nomine.

Peregrinationis Sedulii ita meminit, in libro quarto bibliothecæ sanctæ, Sixtus Senensis : “Velut alter Apollonius Tyaneus, fugientem sapientiam toto terrarum orbe perquirens, Britanniam, Hispaniam, Galliam, Italiam, Græciam et Asiam miro discendi ardore perlustravit : tandemque Romæ, divinis et humanis doctrinis illustris, sub Theodosio Augusto floruit.” In codice Sedulii ante annos quingentos descripto, et in bibliotheca Succentoriæ Thorneyæ apud Halifaxenses olim reposito, annotatum vidimus : “Sedulius versificus primo laicus in Italia philosophiam di-

<sup>n</sup> Dempst. hist. ecclesiast. lib. 3. num. 229.

<sup>o</sup> Delrius, præloquio 2. glossæ literalis in Genesim.

dicit: postea cum aliis consociis heroicum metrum, Macedonio consulente, didicit. In Achaia libros conscripsit tempore Theodosii ac Valentiniani." Similia etiam in suo scriptorum catalogo habet Bostonus Buriensis: addens, "Sedulium poetam et presbyterum Achaiae floruisse anno Christi CCCCXXXIV. tempore Theodosii minoris." Annus enim ille Christi in Theodosii junioris et Valentiniani III. tempora incurrit: quum superior illa notatio ad Theodosii senioris et Valentiniani II. imperium referenda potius videatur. Eo certe nos trahit, quod in vulgatis editionibus legitur, "Coeli Sedulii poetae ad Theodosium Augustum operis sui paschalis carmen dedicatorium;" hoc habens exordium:

Romulidum ductor, clari lux altera solis,  
Eoem quia regna tenes moderamine justo;  
Spes orbis, fratrisque decus.

Nam Valentiniani II. sororem Gallam connubii participem habuit Orientis imperator Theodosius: non ille junior, Arcadii filius, sed senior Arcadii ejusdem pater; quem a poeta hic intellectum, sequentia illa extra omnem ponunt controversiam:

Hæc relegas, servesque diu; tradasque minori  
Arcadio.

Atque hæc ratio me aliquando movit, ut Sedulium poetam ab eo qui in B. Pauli epistolas edidit collectanea necessario distinguendum esse putarem; quippe a quo non postremum<sup>p</sup> solum librum de civitate Dei, quem extremo vitæ tempore ab Augustino scriptum fuisse constat, sed etiam Gennadium<sup>q</sup> citatum observaverim; illum utique Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopum, quem Pauli epistolas exposuisse, Marcellinus comes (Cuspiniani et Sirmondi) annotat ad consulatum Jordanis et Severi, sive annum Christi CCCCLXX. et ante annum CCCCLXXIV. mortuum, Leone seniore imperium tenente, Gennadius<sup>r</sup> alter Massiliensis presbyter confirmat.

<sup>p</sup> Sedul. in epist. ad Ephes. cap. 4.    <sup>q</sup> Id. in I Corinth. cap. 13.

<sup>r</sup> Gennad. scriptor. eccles. catal. cap. 90.

Sed re postea attentius considerata, non exigua est suborta dubitatio, ne carminis illius dedicatorii titulus nos falleret, et quod ad poema vetustius proprie pertinuerat, opere ipso jam deperdito, propter aliquampiam argumenti similitudinem Sedulii scripto ab aliquo antiquario præfixum legeremus. Nam et ab antiquissimis quæ consului exemplaribus illud aberat: neque in ipsius Sedulii metaphrasi prosaica, quam non ante, ut Sigebertus putabat, sed post carmen paschale Macedonii presbyteri jussu elaboratam a se fuisse ipse clare indicat, aliquod illius comparebat vestigium: licet ea præfationis alterius versionem nobis exhibeat, quæ ita incipit:

Paschales quicunque dapes conviva requiris;

Et hoc versu, ab Isidoro<sup>s</sup> quoque citato concluditur.

Rubra quod appositum testa ministrat olus.

Georgius Fabricius, in commentario ad poetarum veterum ecclesiasticorum Christiana opera anno MDLXIV. a se edita, licet Sedulii esse non censeat; putat tamen alterius cujusdam esse præfatiunculam, qui carmen ipsius imperatori ejusque filio voluerit esse commendatum. Ad cujus sententiam quo minus accedam, facit illud: quod liber ille cui carmen dedicatorium ad Theodosium erat præfixum, a mundi creatione et formatione hominis capiebat exordium: ut illa poetæ ostendit pollicitatio, quam paschale Sedulii opus omnino non præstat:

— Hic tibi mundi

Principium, formamque poli, hominemque creatum  
Expediet limo.

Denique consulatus Turcii Rufii Asterii (cujus epigramma Seduliano carmini præmissum in Thorneyensi MS. primum inveni, deinde ex codice Remensi in notis Ennodianis Jacobi Sirmondi rescriptum reperi) de ætate Sedulii scrupulum omnem nobis eximit: et, ut post non Theodosii solum imperium sed etiam Gennadii pontificatum Sedulium vixisse (ne temporis obstare putetur ratio, quo minus idem carminis paschalis et collectaneorum in epistolas auctor

<sup>s</sup> Isidor. Orig. lib. 20. cap. 4.



haberi possit) ita ante Gelasium Romanum pontificém vita functum, iisque omnibus a quibus nominatum eum invenimus anteriorem fuisse demonstrat; Cassiodoro<sup>t</sup> nimirum, Placido Luctatio<sup>u</sup> sive Lactantio, et Venantio Fortunato, qui dulcis<sup>w</sup> et conspicui<sup>x</sup> epithetis illum ornat. Quibus et Arator Romanæ ecclesiæ subdiaconus accenseri potest: qui “contulisse se ad scribendos actus apostolorum idcirco versibus dicitur, quod fecisse idem in evangelio Juvencum ac Sedulium vidisset. Id vero in eo Aratore licet videre, qui Venetiis, et in D. Georgii cognomento Majoris, et Deiparæ semper virginis in hortis bibliotheca alligatus est:” quemadmodum in poetarum Christianorum editione, anno MDII. a se divulgata, Aldus Manutius Romanus monuit.

In ea vero editione, post finem librorum quatuor Mirabilium divinatorum sive carminis paschalis Sedulii, apposita est hæc adnotatio: “Hoc opusculum non a Sedulio auctore editum est, sed a Turcio Rufo Asterio quinto V. C. exconsule ordinario atque patritio, qui id inter scripta Sedulii invenit.” Deinde sequitur Sedulii elegia, in qua finis pentametri continuata epanalepsi similis est principio hexametri, cujus initium:

Cantemus socii Domino, cantemus honorem:

Eique subjicitur, quod in posterioribus editionibus est omissum,

SEDULII EPIGRAMMA.

Hæc tua perpetuæ quæ scripsi dogmata vitæ,  
Corde rogo facias Christe manere meo.  
Ut tibi quæ placeant tete favente<sup>y</sup> requirens,  
Gaudia cælorum te duce Christe metam.

Onuphrius Panvinius<sup>z</sup>, superiorem illam adnotationem

<sup>t</sup> Cassiodor. de divin. lection. cap. 27.

<sup>u</sup> Lactant. in Statii Thebaid. lib. 8. ver. 287.

<sup>w</sup> Fortunat. lib. 8. epigramm. 1.

Sedulius dulcis, quod Orosius edit acutus.

<sup>x</sup> Id. lib. 1. de vita S. Martini.

Hinc quoque conspicui radiavit lingua Seduli.

<sup>y</sup> *Faciente.*

<sup>z</sup> Onuph. commentar. in lib. 3. Pastor. ad annum Christi, 494.

non ad finem operis præcedentis, sed ad initium elegiæ sequentis pertinere ratus, a Sedulio ad "Turcium secundum Asterium V. C. exconsulem ordinarium" hoc elegiacum carmen missum fuisse ait: Melchior Goldastus<sup>a</sup> male Claudio Mamerto tributum, a Sedulio presbytero scriptum, a Turcio Ruffo editum fuisse affirmat; ad annotationis illius sententiam magis accommodate. A qua aberrans longius Johannes Cuspinianus<sup>b</sup>, "a Turcio Ruffo Asterio quinto V. C. exconsule ordinario atque patricio scriptum" fuisse asserit: unde etiam in bibliotheca<sup>c</sup> patrum hoc titulo præscriptum legitur: "Turcii Ruffi Asterii viri consularis, Veteris et Novi Testamenti Sedulio hactenus adscripta collatio." Et Sedulio quidem a Beda in libro de arte metrica, Ædmero<sup>d</sup> in vita Dunstani, Guilielmo Malmesburiensi in libro primo de gestis pontificum, et aliis passim ea attribuitur: Asterio vero a nemine ante Cuspinianum, et illum Aldinæ illius adnotationis sensu non recte percepto in errorem hunc inductum. Eam vero adnotationem ad carmen paschale esse referendam, ex Thorneyensis et Remensis bibliothecæ manuscriptis liquet: in quibus operis illius initio ea præfixa, plenius hunc in modum legitur: "Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit. Quod recollectum adunatumque atque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turcio Rufino Asterio quinto consule ordinario atque patricio:" vel, "adornatumque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turcio Rufio Asterio V. C. consule ordinario atque patricio;" ut ex Remensi codice Jacobus Sirmondus rectius expressit: in quo et sequens epigramma, post epistolam Sedulii ad eundem ipsum Macedonium scriptum, his verbis legi adjicit:

Sume, sacer meritis, veracia dicta poetæ,  
 Quæ sine figmenti condita sunt vitio;

<sup>a</sup> Goldast. not. in S. Columbanii carmin. cap. 6.

<sup>b</sup> Cuspinian. commentar. in Cassiodori consules; ad annum Christi 493.

<sup>c</sup> Bibliothec. patr. edit. Paris. ann. 1589. tom. 8. col. 585. edit. Colon. ann. 1618. tom. 6. part. 1. pag. 334.

<sup>d</sup> Jo. Tinmuthens. concinens illud carmen sapientis ac senatoris Sedulii: Cantemus Domino socii cantemus honorem, &c.

Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,  
 Per quam justus ait talia Sedulius.  
 Asteriique tui semper meminisse iubeto,  
 Cujus ope et cura edita sunt populis.  
 Quem quamvis summi celebrent per secula fasti<sup>e</sup>,  
 Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Hinc ut tempus editi Seduliani carminis eruamus, notandum est, in fastis consularibus duos tantum annos occurrere Asterii nomen præferentes: annum nimirum epochæ nostræ Christianæ CCCCXLIX. quo cum Protogene unus, et CCCXCIV. quo cum Præsidio consulatum ordinarium gessit alter Asterius. Priorem illum in Galliis iniisse consulatum ex Apollinari Sidonio<sup>f</sup> constat, qui se adolescentulum cum patre, prætorio Galliarum tum præfecto, præsentem adfuisse testatur quum “consul Asterius anni sui fores votivum trabeatus aperiret,” et cum sportula fastos daret. Eos fastos fuisse tabellas eburneas consulis nomine insculptas, in notis suis ad Sidonium confirmat Sirmondus: et Asterium hunc magistrum utriusque militiæ ante consulatum fuisse, ex Idatii chronico probat, sub annum CCCCXL. ita de eo scribentis: “Asturius dux utriusque militiæ ad Hispanias missus Tarraconensium cædit multitudinem Bacaudarum.” Et ad annum ab hoc alterum: “Asturio magistro utriusque militiæ gener ipsius successor ipsi mittitur Merobaudes:” et sub annum demum CCCCXLIX. “Asturius vir illustris ad honorem provehitur consulatus.” Ex quibus inter se collatis facile elucescit, cum fastis et diptychis eburneis ab Asturio in auspiciis consulatus sui missis adnumerandum etiam esse eburneum illud sacri Evangeliorum libri operculum, quod in Gallia Belgica apud Leodicos hodieque servari idem Sirmondus in notis ad Ennodium monuit, hoc consulis inscriptum nomine: FL. ASTURIUS V. C. ET INL. COM. ET MAG. UTRIVSQUE MIL. CONS. ORD. Protogenis enim in consulatu collegam Asturium, non solum in Mariano Scoto atque sincerioribus fastorum Cassiodori et Marcellini comitis editionibus, sed etiam in Prosperio<sup>g</sup> chronico, et in

<sup>e</sup> MS. Thorn. *factus*.

<sup>f</sup> Sidon. lib. 8. epist. 6. ad Nammatum.

<sup>g</sup> Tom. 1. hist. Franc. script. ab Andrea du Chesne edit. Paris. ann. 1636. pag. 207.

ipsius Valentiniani III. novellis octava et decima tertia appellatum invenimus.

Quum igitur Flavium Asturium, utriusque militiæ magistrum, anno CCCCXLIX. consulatu functum liqueat: Turcium Rufium Asterium, qui Sedulii versus post ejus mortem recensuisse dicitur, anno CCCCXCIV. consulum gessisse dicamus necesse est. Et cum post biennium e vita excesserit pontifex Gelasius: intra illud temporis spatium putandum est, et Sedulii nuper defuncti paschale carmen ab Asterio recensitum atque Macedonio presbytero adhuc superstiti denuo oblatum, et Romanum illud septuaginta episcoporum sub Gelasio habitum fuisse concilium<sup>h</sup>, qui nuperrime divulgato operi præclarum hoc dederunt testimonium: "Venerabilis viri Sedulii paschale opus, quod heroicis descripsit versibus insigni laude præferimus." Ad quæ verba, in Gratiani decretum relata<sup>i</sup> ex Pierii Valeriani oratione pro sacerdote barbibus lepidam hanc annotationem commemorat Fabricius: "Vulgata hactenus exemplaria pro heroicis versibus, hæreticis versibus habuere. Quod quibusdam legum professoribus suspicionem oggessit omnia poemata esse hæretica; poetasque inter pios, etiam si sacra tractent, nequaquam annumerari." Quanquam Sedulii nostri tanta fuit existimatio atque auctoritas, ut non solum ab archiepiscopo Toletano Hildephonso<sup>k</sup> "bonus ille Sedulius, poeta evangelicus, orator facundus, scriptor Catholicus," appellari meruerit; sed etiam ex ejus de Christo pæane alphabetico duo hymni, *A solis ortus cardine*, et, *Hostis Herodes impie*, in Christi natalis et Epiphaniæ festis solennibus, atque tertius in officio missæ publice decantari consueverit, sic incipiens,

Salve sancta parens, enixa puerpera regem,

ex secundo libro paschalis carminis depromptus. Quibus et ex quarto ejusdem operis libro, de Christo cruci

<sup>h</sup> Vid. supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 528.

<sup>i</sup> Distinct. 15. cap. sancta Romana.

<sup>k</sup> Hildephons. serm. 5. de assumpt. Mariæ.

affixo hexastichon adjungimus ; quod in Thorneyensi codice a vetere quodam poeta Christiano ita laudatum reperimus:

Qualiter adfixus ligno jam Christus in alto,  
Sedulius cecinit, totum complecteret orbem,  
Seu demonstraret pro toto pendere mundo  
Versibus his mundo Christo miserante salutem.

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis :  
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,  
Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ,  
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem ;  
Cunctaque de membris vivit natura creantis,  
Et cruce complexum Christus regit undique mundum.

In epistola ad Macedonium presbyterum paschali carmini præfixa (quæ in Thorneyensi MS. Apologeticus prologus Sedulii rhetoris inscribitur) “ Sincliticæ<sup>1</sup> sacræ virginis et ministræ Christi,” ut illius seculi singularis ornamentum, honorifica fit mentio : Sincliticæ nimirum diaconissæ, cui Basilii Cæsariensis Hexaameron in Latinam linguam a se translatum dicavit Eustathius<sup>m</sup>. Unde liquet eodem tempore vixisse Eustathium illum, cujus in decimo et Sedulium nostrum, cujus in vigesimo septimo capite divinarum lectionum libri Cassiodorus meminit : et ex his quæ dicta sunt corrigendas esse discrepantes illas scriptorum in Sedulii ætate designanda sententias. Nam præter Sigebertum, qui sub filiis Constantini, circa annum videlicet CCCXLV. claruisse eum vult ; Albertus abbas Staudensis in chronico suo “ Sedulium poetam clarum habitum” ad eum annum annotat, quo Valens imperator est mortuus : qui quidem æræ nostræ CCCLXXVIII. fuit, licet ille CCCLXXXI. numeraverit. Sub illius in orientali imperio successore Theodosio I. floruisse, ex carmine illo dedicatorio colligit Margarinus Bignæus, in bibliothecæ patrum indice chronologico. Atque hanc veriorum sententiam, et magis placentem esse Dempsterus<sup>n</sup> ait, vixisse illum sub Theodosio seniore, anno CCCCXXX.

<sup>1</sup> Ita MS. non *Sindeticis* ; ut in editis perperam legitur.

<sup>m</sup> In operum S. Basilii Latina editione, quæ prodit Parisiis anno 1603.

<sup>n</sup> Dempster. hist. ecclesiast. lib. 3. num. 229.

quo tamen tempore non seniozem sed iuniozem Theodosium imperavisse nemo ignorat: sub quo Sedulium collocasse dicendi sunt, quotquot eum vel ad CCCCXXX. annum retulerunt, ut Trithemius, Gregorius Giraldu, Georgius Fabricius et cardinalis Bellarminus, vel ad CCCCXXVIII. ut Dexter, vel CCCCXXXIV. ut Bostonus, vel CCCCL. etiam; quo claruisse eum Balæus, mortuum fuisse Sixtus Senensis voluit.

His quoque doctissimus Sirmondus<sup>o</sup> se adjungit, Turcium Rufium Asterium, Sedulii æqualem, non cum Cuspiniano et Onuphrio Præsidi, sed anno CCCCXLIX. Protogenis in consulatu collegam fuisse existimans: "tum quia hæc illi nomina potius congruunt, tum quia id tempus cum Sedulii obitu cohæret; quem ex integris Gennadii exemplaribus Theodosio juniore, cui opus suum dedicavit, et Valentiniano regnantibus vita functum didicerit:" quum de nominum convenientia aliud nos jam docuerimus, ex Leodicensi inscriptione cum Idatiano chronico collata Protogenis illum collegam Flavium Asturium, non Turcium Rufium Asterium, fuisse declarantes; et carmen illud dedicatorium, cujuscunque fuerit auctoris, non juniore sed seniori Theodosio nuncupatum fuisse ostenderimus: et incerta illa additamenta, in variis MSS. varia, quæ interpolatum magis quam integrum Gennadium nobis exhibent, exiguæ admodum esse auctoritatis experientia nos docuerit. Ad genuinum enim Gennadium quod attinet; nunquam eum meminisse Sedulii et fatetur Aldus et miratur: non miraturus tamen, si et ante annum CCCCXCIV. quo consulatum gessit Asterius, Sedulii opus in vulgus nequaquam fuisse editum, et ultra illum annum (quod a nobis etiam in capite decimo tertio<sup>p</sup>, est ostensum) Gennadium scriptorum ecclesiasticorum catalogum non produxisse didicisset. Indeque Gennadiani catalogi continuatorem Isidorum Hispalensem in suum indiculum Sedulium recepisse videmus: ubi et carminis paschalis (quod ille in tres, nostræ editiones in quatuor, MSS. exemplaria in quinque

<sup>o</sup> Sirmond. not. ad Ennodii lib. I. ep. 24.

<sup>p</sup> Op. tom. 5. pag. 527, 528.

libros distinguunt) ita proponit argumentum : “ Sedulius<sup>q</sup> presbyter edidit tres libros dactylico heroico metro compositos: quorum primus signa et virtutes veteris Testamenti potentissime resonat, reliqui neogestorum Christi sacramenta et miracula intonant:” quod hoc disticho a Radulpho Dunstapulensi est comprehensum :

Surgit Sedulius veterisque novique tenorem  
Textus concinna sedulitate canit.

Duos quoque grammaticos libros huic tribuit Trithemius : In majus volumen Prisciani unum, et In secundam editionem Donati alterum : quibus et Sedulii commentariolum in artem Eutychie addere liceat; qui in bibliotheca Thuaana, cujus manuscriptorum catalogum virorum clarissimorum Puteanorum fratrum beneficio sum consecutus, Parisiis asservatur. Est autem secunda editio Donati, quam Dempsterum<sup>r</sup> ignorasse liquet, quæ de octo<sup>s</sup> partibus orationis agit : extatque Servii<sup>t</sup> et Sergii<sup>u</sup> grammatici commentariis illustrata. Verum ut Donatus et Eutychie sive Eutyches<sup>w</sup> grammaticus antiquior, ita Priscianus Sedulio et qui illius cum laude meminit Gelasio ætate junior fuit : quippe quem suo tempore Constantinopoli grammaticam docuisse Cassiodorus<sup>x</sup> in libro de orthographia significat. Itaque opera hæc grammatica posteriori alicui Sedulio omnino videntur tribuenda : cujus nominis duos, genere etiam Scotos, mediis temporibus floruisse comperimus. Nam et anno DCCCXVIII. “ Sedulium Scottum clarum habitum” annotavit in chronico suo Sangallensis monachus Hepidannus : et concilio Romano sub Gregorio II. anno DCCXXI. habito, una cum Fergusto episcopo Scotiæ Picto, etiam Sedulius episcopus Britanniae de genere Scotorum subscripsisse legitur.

Hujus Sedulii, quem cum Balæo<sup>y</sup> Scotorum australium

<sup>q</sup> Isidor. de illustr. eccles. scriptorib. cap. 7. al. 20.

<sup>r</sup> Dempster. hist. ecclesiast. lib. 17. num. 1028.

<sup>s</sup> Tom. Grammaticor. antiquor. ab Helia Putschio edit. Hanoviae, ann. 1605. col. 1743.

<sup>t</sup> Ibid. col. 1779.

<sup>u</sup> Ibid. col. 1837.

<sup>w</sup> Ibid. col. 2143. et 2311.

<sup>x</sup> Ibid. col. 2281. et 2318.

<sup>y</sup> Balæ. centur. 11. cap. 28.

episcopum facit, meminisse “ Honorium Augustodunensem de luminaribus Ecclesiæ et uberius Johannem Majorem, libro primo historiæ magnæ Britanniæ, capite quarto et capite octavo,” dicit Dempsterus<sup>z</sup>: quum senioris tantum Sedulii Honorius, neutrius vero vel uno verbulo Major meminerit. Scripsisse etiam eum Dempsterus ait, “ Statuta concilii generalis, librum unum; In evangelium D. Matthæi, librum unum, quod opus MS. penes se habet eruditissimus Jacobus Sirmondus: et De sancto Missæ canone, librum unum.” Quorum librorum primum ex Balæi mutuatus est officina, postremum commentus est ipse, medium quoque adulterina accessione adjuncta incrustavit; Fergusti<sup>a</sup> etiam hujus Sedulii socii, in evangelium D. Matthæi commentarium doctissimum Parisiis ab eodem Sirmondo servari fingens: quum apud illum tantum extet Collectaneum Sedulii in Matthæum ex diversis patribus excerptum: alterius vero Fergusti hujus, ne γὰρ quidem.

Ad tempora Constantii jam redeo: quibus nati fuisse putantur B. Patricii quatuor illi præcursores, de quibus in vita Declani legimus: “ Quatuor sanctissimi episcopi cum suis discipulis fuerunt in Hibernia ante Patricium, prædicantes in ea Christum: scilicet Ailbeus, Declanus, Ibarus et Kiaranus. Et hi plures ad Christum rete evangelico traxerunt; sed tamen S. Patricius majores Hiberniæ et potentiores ad fidem convertit; et ipse summum habet archiepiscopatum Hiberniæ per circuitum.” Et in vita Kiarani: “ Interca fides Christiana crescebat in Hibernia: quia alii tres sancti episcopi (præter Kiaranum scilicet) ante adventum Patricii prædicabant in ea. Ailbeus episcopus hinc et inde per diversa loca, similiter S. Ibarus episcopus, et beatissimus episcopus Declanus in sua natione quæ dicitur Nandesi, et multos per circuitum et plurimos gentis suæ Osraigi sanctus pontifex [Kiaranus] ad fidem convertit. Deinde gloriosus archiepiscopus Patricius missus a Celestino papa venit in Hiberniam; qui Dei gratia reges, duces, principes populosque ad Christum convertit. Et tota Hibernia repleta est fide et baptismo Christi.”

<sup>z</sup> Dempster. hist. libi 17. num. 1040.

<sup>a</sup> Id. lib. 6. num. 533.



Albeus, ut in vita ejus legimus, “ex orientali parte regionis Eliach quæ est in Mumenia ortus est. Pater autem illius vocabatur Olenais, qui apud regem Cronanum in regione Artrigi habitavit; ibique regis ipsius ancillam nomine Sandith occulte affidavit, et cum ea dormivit.” Ex his natus Albeus, sub petra expositus a Lochano quodam inventus est: “Lochanus hic filius Luidir, quibusdam Britonibus, qui apud eum in oriente Eliach fuerunt, dedit sanctum puerum; et ipsi diligenter nutrierunt eum, nomenque ei dederunt Albeus, eo quod vivus sub rupe repertus est: et gratia Dei erat cum illo. Post hæc venit quidam Christianus sacerdos missus a sede apostolica ad Hiberniam insulam, multis annis ante Patricium, ut fidem Christi ibi seminaret. Hibernienses autem tunc fuerunt gentiles: et non receperunt eum, nec crediderunt ei nisi pauci. Cum ergo venisset ille ad Mumenienses, invenit sanctum puerum Albeum foris orantem, aspicientem in cælum, rogantemque assidue ut ostenderetur ei vera credulitas, dicens: Oro ut sciam Creatorem omnium, et credam ei qui fecit cælum et terram et omnes creaturas: scio enim quod omnia elementa non sine artifice facta sunt, nec humanus artifex potuit facere illa. Cum ergo hanc orationem sanctus puer Albeus orasset, sacerdos ille de propinquo audiens salutavit eum: et secundum sui cordis desiderium docuit eum de his omnibus, et baptizavit eum; ponens illi idem nomen, Albeus.” Ubi, cum multis annis ante Patricium Christianus hic sacerdos a sede Romana in Hiberniam missus fuisse memoretur, in eorum sententiam concedere non possumus, qui Palladium eum fuisse existimarunt; quem proximo ante Patricium anno legatione apud Hibernos functum fuisse postea docebimus.

Ex Declani jam vita, de primis ipsius annis, deque Colmano Momonensi presbytero, Dymma viro pietate et eruditione insigni, atque aliis illorum temporum Christianis, sequentia visum est excerptere: “Beatissimus episcopus Declanus de nobilissimo Hiberniæ regum genere, qui per multos temporum cursus in civitate Temoria<sup>b</sup> reg-

<sup>b</sup> Taragh, in Midia.

num totius Hiberniæ fortissime tenuerunt, oriundus fuit. Ejus pater Ercus, dux Nandesi vocatus, venit cum multis ad domum cognati sui qui dicebatur Dobranus; et uxor sua nomine Dethidin (id est, Cura) cum eo. Tunc ei tempus parturiendi advenit: prægnans enim erat habens Declanum in utero suo. Tunc jam Hibernia gentilitati dedita erat: et eo tempore raro singuli Christiani inveniri solebant et poterant ibi esse sine persecutione. Colmanus religiosus et sanctus presbyter, qui postea præclarus episcopus extitit, venit cum gaudio magno, repletus spiritu prophetiæ, ad locum in quo natus erat sanctus infans Declanus. Et prædicavit parentibus illius de fide Christi, qui coram eis in filio suo gratiam ostendit suam: et prophetavit de gloria filii eorum coram Deo et hominibus, et prædixit seriem futuræ ejus vitæ in hoc seculo. Illi nutu Dei credentes sancto Colmano sacerdoti, tradiderunt ei filium suum ut baptizaret illum. Tunc sanctus Colmanus baptizavit sanctissimum infantulum, Declanum nomen ei imponens."

"Post talia jam dicta et facta, beatus Colmanus ad locum suum in gaudio recessit: commendans ut diligenter nutriretur sanctus infans, et septimo anno ad legendum traderetur, si Christianus literatus prope inveniretur. Et apparebat magna lætitia in vultu sancti infantuli, in præsentia beati baptizatoris sui: et omnes illi sentiebant, quod ipse intus spiritualiter gauderet. Omnia hæc audiens et videns Dobranus prædictus, cognatus Erci ducis patris sancti Declani, rogavit multum parentes S. Declani ut sibi traderent eum ad nutriendum, in cujus villa S. Declanus natus est: et traditus est ei S. Declanus, ut nutriret eum. Locus ille in quo natus est S. Declanus, Atrium Dobrani prius vocabatur; modo autem Atrium Declani vocatur. Ipse enim Dobranus nutritor S. Declani obtulit ipsum locum S. Declano; et movit castrum suum in alio loco. In quo loco post multum tempus S. Declanus, cum esset pontifex, cellam Deo ædificavit: et ipse locus in australi plaga Nandesi<sup>c</sup> est, in oriente scilicet campi quem Scoti<sup>d</sup> vocant *Maꝝ ꝥcethjh*, id est, Cam-

<sup>c</sup> Desia, in Waterfordiensi comitatu.

<sup>d</sup> Id est, Hiberni: ut clarum est.

pus scuti; a quo non longe est clara civitas S. Carthagi, quæ dicitur Lessmor. Et per septem annos S. Declanus nutritus est cum magna diligentia apud prædictum Dobranum cognatum patris sui; quem sanctus puer multum diligebat.”

“ Completis itaque septem annis ætatis S. Declani, traditus est ad legendum a parentibus et nutritoribus suis, sicut beatus Colmanus mandavit, sancto Dymmæ qui fuit vir religiosus et sapiens atque probatus in Christi fide, (qui nutu Dei nuper illo tempore ad Hiberniam unde erat ipse natus venit, factus fidelis Christianus, et cellam in illa regione ædificavit) ad literaturam discendam sanctus puer Declanus traditus est. Et alius puer nomine Carpre (vel Coibre) filius Coluim, qui postea sanctus et venerabilis episcopus fuit, simul cum S. Declano traditus est B. Dymma ad legendum: et ipsi ambo apud eum sedulo legerunt. Apud prædictum siquidem sanctum Dymmam beatissimus Declanus multo tempore legit, et dulcia diversarum pocula scriptarum exhaustit disciplinarum; et subtilis atque astutus ac facundus in illis effectus est. Plures jam scientes nobilitatem S. Declani, et videntes et audientes sanctitatem, religiositatem et caritatem ejus per omnia venerunt ad eum, et sub jugo disciplinæ ejus sponte colla sua posuerunt.” Hæc vitæ illius scriptor: qui septem quoque sanctorum ibi meminit, Mochelloci scilicet, Beani, Colmani, Lachmini, Mobi, Findlugi et Caminani; quos in S. Declani pueritia sacro baptismo tinctos de eo prophetavisse ita retulit: “ Septem viri, qui habitabant in illo Campo scuti, simul venerunt ad S. Declanum, et accipientes eum dominum et magistrum suum, prædicaverunt coram omnibus ipsum futurum suum episcopum, et dicebant prophetice. Veniet jam dies in quo, fili care, serve D ei magni, nosmetipsos et loca tibi offeremus. Et sic factum est. Ipsi videlicet Deo credentes, baptismum in Trinitatis nomine acceperunt, et viri sanctissimi effecti sunt, et septem claras construxerunt Deo cellas in circuitu prædicti Campi scuti.”

Ibarus, quem *Ibujr* nominant, de gente Ultorum ortus est, quæ est quinta pars Hiberniæ: ut in vita Abbani nepotis ejus legimus, et in vita ipsius Ibari: “ S. Ibarus,

qui et Yvorus episcopus, natus est in Hiberniæ provincia Ultonia ex patre Lugna, matre Daferia : quæ et eidem peperit Mellam, postea reginam Laginensium nuptam Cormaeo regi, qui pater fuit S. Albani confessoris, et abbatis cœnobii Magarnoide in regione Keniellach. Cum natus esset Ibarus in terra Cruintain, in eadem regnabat Colmannus Nemani filius." Additur ibidem, " Ibarum a puero sanctum, literis etiam bonis eruditum a S. Motta abbate." Quod si verum, aliuma S. Mochtheo Ludunensi sive Louthiano episcopo S. Patricii discipulo, (de quo in sequente capite videbimus) illum fuisse oporteat.

In Lageniæ vero provincia inter Ossorienses, circa annum CCCLII. natus est Kiaranus, quem a monasterio ab ipso condito Saigrum vocant. In Cornubia, ubi quiescit, Piranum appellari affirmat in ejus vita Johannes Tinmuthensis : cujus nomini capellam quoque dicatam in Caerdyff apud Monemuthenses Giraldus Cambrensis\* memorat. Eum " Piranum Ossiriensi Hiberniæ provincia ex patre Domuel et matre Wingella originem traxisse," idem Johannes addit : licet alios Kiarano parentes in vita ipsius, quam MS. habeo, ita assignatos inveniam : " Pater ejus vocabatur Lugneus, qui erat de nobilioribus gentis Osraigi : mater vero Liadain dicebatur ; quæ orta est de australi plaga Mumenensium, id est, de gente quæ dicitur Corculagide." In qua et natum et educatum illum fuisse, ibidem paulo post subjicitur : " Conceptus est electus Dei Kiaranus, natusque et nutritus est in regione Coreulaigde, videlicet in Clera insula." Quæ in libro Ballimotensi Fiontraght Cleire appellatur.

Sub hæc tempora S. Eliphiius martyrium passus est : cujus acta fusius a Ruperto abbate Tuitiensi descripta, summatim in libello de sanctis Germaniæ ita perstrinxit Petrus Merssæus Cratepolius : " S. Eliphiius filius regis Scotiæ, relictis suis confessionibus amplissimis, Christo Domino Deo in paupertate servire dulce habuit. In civitate Tullensi una cum sociis suis tribus et triginta fidelibus est captus, et quasi patriæ proditor in carcerem con-

\* Girald. Hibern. expugnat. lib. 1. cap. 39. et itinerar. Cambr. lib. 1. cap. 6.

jectus. Verum Dei beneficio nocte ipsa mirabiliter liberatus est. Inde ipse Dei verbum constanter et sedulo ubique prædicavit, et magnam fecit in vinea Domini messem. Ultra quadringentos homines brevi convertit, quos et baptizari curavit. Julianus vero imperator apostata in eum iratus, et quod Christi gloriam (cui ille plurimum invidebat) audacter profiteretur, eum comprehendi fecit, et anno Domini CCCL. decollari :” vel CCCLXIII. ut in Colonien- sium archiepiscoporum catalogo, num. XXIX. idem habet Cratepolius : quo tamen anno cum apud Persas Julianum interiisse constet, CCCLX. substituendus fuisset potius, quo et in Galliis illum commoratum, et ab exercitu Augustum acclamatum fuisse non est dubium.

Juliano enim præsentem passum fuisse Eliphium refert Rupertus Tuitiensis<sup>f</sup>, decimo sexto die Octobris, quo etiam in martyrologiis Bedæ, Adonis et Romano ejus celebratur memoria, juxta civitatem Grandensem ad ripam Veræ fluvii, et in monte per unius miliaris spatium inde remoto sepultum: “ Unde hactenus mons ille,” inquit, “ mons dicitur sancti Eliphii. Est autem inter Frumentosam et Grandem medius, ab utraque milibus distans senis : ab aquilone Tullensem urbem, ab austro vero Grandem habens.” Inde postea translatum ejus corpus fuisse traditur a Brunone I. Coloniensi archiepiscopo, et in ecclesia S. Martini Majoris intra Coloniam Agrippinensem, nationi Scoticæ olim assignata, repositum. Cujus loci abbati Albano vitam Eliphii a se editam Rupertus dedicavit: in qua de ejus fratre quoque Euchario et tribus sororibus strictim ista retulit: “ Frater<sup>g</sup> ejus Eucharius, episcopalis gratiæ functus honore, palmam quoque martyrii feliciter adeptus est; corpusque ejus in castro, quod dicitur ad Liverdum, conditum est. Prima sororum ejus Menna, secunda Libaria, tertia dicta est Susanna: fueruntque sicut unius fidei, ita et unius ejusdemque, scilicet monachicæ, professionis. Et prima quidem, videlicet Menna, sacra virgo utrum per martyrii palmam præsentem vitam finierit, antiquitas literis non

<sup>f</sup> Rupert. in vita Eliphii, cap. 12. apud Surium, tom. 5. Octobr. XVI.

<sup>g</sup> Ibid. cap. 1.

expressit; nisi quod in virginitate permanens defuncta, et in loco, qui Porces dicitur, condita est. Secunda Libaria, et tertia Susanna sanctæ vitæ propositum sanctiore martyrii gloria consummaverunt. Et Libaria quidem apud civitatem, nomine Grandem: Susanna vero in Campania tumultata est." S. Mennæ virginis natalem die Octobris tertio in ecclesia de Portu suavi Tullensis territorii; ejusdemque "mensis die vigesimo quarto, S. Eucharii episcopi Tullensis et martyris gloriosi, in prædicatione divinæ veritatis et gregis sui tutela a Barbaris impie furentibus obtruncati natalem celebrari", in Gallicani sui martyrologii supplemento Andreas Saussayus annotavit. De Eliphio vero et germanis suis in annalibus ecclesiasticis ad annum Domini CCCLXII. numero CCLVI. ita scribit Baronius: "In Galliis, ubi præfecturam gessit Sallustius Juliano omnium charissimus, ob id quæ Christianorum acerbissimus hostis, passos reperimus quatuor germanos; Eliphium Tullensem virum, ejus fratrem Eucharium episcopum, et sorores Libariam atque Susannam, ut eorundem martyrum acta significant. At perperam, mea sententia, dicuntur consummasse martyrium, dum Julianus adhuc cum exercitu in Galliis moraretur: nam eo tempore ipsum se Christianum fecte saltem exhibuisse, et de rebus Christianorum bene meritum esse liquet." Cui ut in hac re assentiamur, Ammiani Marcellini hominis ethnici clarissimum nos cogit testimonium, in historiarum suarum libro vigesimo primo, de Juliano ista referentis: "Ut omnes, nullo impediante, ad sui favorem alliceret, adhærere cultui Christiano fingeat; a quo jam pridem occulte desciverat arcanorum participibus paucis, aruspicinæ auguriisque intentus, et cæteris quæ Deorum semper fecere cultores. Et ut hæc interim celarentur, feriarum die quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dietitant, progressus in eorum ecclesiam solemniter numine orato discessit:" ineunte videlicet CCCLXI. æræ Christianæ vulgaris anno. Saussayus<sup>b</sup> vero die Octobris undecimo (non decimo sexto) commemorat "passionem sancti Eliphii martyris necnon fratris ejus Eucharii epis-

<sup>b</sup> Andr. Saussay. martyrolog. Gallican. Octobr. XI. pag. 727.

copi et sororum eorundem Libariæ et Susannæ, quos patria Tullenses Sallustius Galliarum præfectus, sub Juliano apostata, sævissimas de Christianis exercens quæstiones ob constantem Christi confessionem Servatoris gladio obtruncavit." Ubi patria Tullenses hos existimavit, quia in Tullensibus debebant partibus: quas tamen ex transmarinis Scotorum finibus moris erat expetisse multos; ut supra<sup>1</sup> ex actis S. Mansueti ab Adsone monacho descriptis declaravimus.

S. Renanum monachum Hiberniæ tempore S. Martini extitisse, author est Hugo Kirkestedi Cisterciensis, in monachorum sanctitate illustrium catalogo. Neque aliud quicquam de illo legere memini: nisi huc fortasse spectare quis putaverit obitum S. Rieranini, quem in annalibus Connaciensibus ad annum Domini CCCCV. annotatum reperi, aut Romanum pro Renano Hunonem accepisse: qui, ut in vita ejus legitur, gente Conacteus, puer ex obsidibus illis quinquaginta unus fuit, "quos magnates Hiberniæ quondam dederunt regi Lagerio (sub quo S. Patricius huc advenit) degenti in Themoria et imperanti universæ Hiberniæ." A cujus tyrannide, opera S. Kistani episcopi liberatus, et bonis moribus literisque a religiosissimo viro Nathano eruditus, postea "Gallias adiit et apud urbem Turonicam in cœnobio S. Martini episcopi (ipso aliquot jam per annos vita functo) induit habitum monasticum, et disciplina regulari fuit exacte instructus." Unde redux, primum in Conactia plurimos ad Christianam fidem convertit; deinde Lageniam petens, in loco "qui in hanc usque diem Sylva Kenani vocatur," ecclesiam ædificavit et populum multum Christo aggregavit: ac demum in terras<sup>k</sup> gentis Eugeniciæ (a rege Eugenio denominatæ, ejus neptis Ethne ipsius Kenani mater fuisse memoratur) profectus, idolum ibi et ejus altare destruxit; ejusque loco Christianam construxit ecclesiam, cui dilectum suum discipulum S. Congellum præfecit.

Kebius Britannus, Salomonis Cornubiæ ducis filius, et Celestii Scoti parentes jam sequuntur: e quibus Ke-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 296.

<sup>k</sup> Tir-oen.

bium<sup>1</sup>, gradu episcopali ab Hilario Pictavorum antistite accepto, in patriam reversum Meneviam concessisse, “ et inde transfretantem in Hiberniam, in quadam insula constructa ecclesia annis quatuor mansisse ;” ac demum cum discipulis suis inde recedentem in insula Mona sive Anglesea consedissee, refert in illius vita Johannes Tinmuthensis. Celestium, Rufini auditorem et Pelagii Britanni hæresiarchæ satellitem, labuisse progeniem Scotticæ gentis de Britannorum vicinia, ex Hieronymo<sup>m</sup> dictum est. De eo Gennadius Massiliensis, in ecclesiasticorum scriptorum catalogo, capite quadragesimo quarto, “ Celestius antequam Pelagianum dogma incurreret, imo adhuc adolescens, scripsit ad parentes suos de monasterio epistolas in modum libellorum tres, omnibus Deum desiderantibus necessarias. Moralis siquidem in eis dictio, nihil vitii postmodum proditi, sed totum virtutis incitamentum tenuit.” Ex quibus Gennadii verbis etiam colligitur, non minus Celestium in Scotia sive Hibernia, quam Pelagium in Britannia, ex Christianis procreatum fuisse parentibus.

In Britannicis enim nostris insulis Christi fidem, apostolorum temporibus primum acceptam, haudquaquam hactenus interiisse, Johannis Chrysostomi luculenta confirmant testimonia. Sic enim ille in demonstratione, quod Christus sit Deus : “ Αἱ<sup>n</sup> Βρετανικαὶ νῆσοι, αἱ τῆς θαλάττης ἐκτὸς κείμεναι ταύτης καὶ ἐν αὐτῷ οὔσαι τῷ ὠκεανῷ, τῆς δυνάμεως τοῦ ῥήματος ἦσθοντο· καὶ γὰρ κἀκεῖ ἐκκλησίαι καὶ θυσιαστήρια πεπήγασι. Britannicæ insulæ extra hoc mare sitæ, et quæ in ipso oceano sunt, virtutem verbi senserunt : sunt enim etiam illic fundatæ ecclesiæ, et erecta altaria.” Et in sermone de utilitate lectionis Scripturæ : “ Κἂν<sup>o</sup> εἰς τὸν ὠκεανὸν ἀπέλθης, κἂν πρὸς τὰς Βρετανικὰς νήσους ἐκείνας· κἂν εἰς τὸν Εὐξείνιον πλεῦσης πόντον, κἂν πρὸς τὰ νότια ἀπέλθης μέρη, πάντων ἀκούσῃ πανταχοῦ τὰ ἀπὸ τῆς γραφῆς φιλοσοφούντων, φωνῇ μὲν ἑτέρα, πίστει δὲ οὐχ ἑτέρα, καὶ γλώσση μὲν διαφόρη, διανοία δὲ συμφώνη.

<sup>1</sup> Vide supra, cap. 5. et cap. 8. et Camden in Anglesey, pag. 541.

<sup>m</sup> Supra, cap. 8. op. tom. 5. pag. 254.

<sup>n</sup> Chrysost. oper. tom. 1. pag. 575.    ° Ibid. tom. 3. pag. 71.



Sive ad oceanum te conferas, sive ad Britannicas illas insulas; sive ad Euxinum pontum naviges, sive ad australes partes abeas: omnes ubique audies de iis quæ in Scriptura sunt philosophantes, alia quidem voce sed non alia fide, ac lingua quidem diversa sed mente consona." "Καὶ<sup>p</sup> βαρβαρίζουσι μὲν τῇ γλώττῃ, φιλοσοφοῦσι δὲ τῇ γνώμῃ· καὶ σολοικίζουσι μὲν τῷ φθόγγῳ, εὐσεβοῦσι δὲ τῷ τρόπῳ. Et lingua quidem barbære loquuntur, sed animi sensu philosophantur: solœcismos faciunt sono, sed pietatem moribus colunt." Et in posterioris epistolæ ad Corinthios capite duodecimo, homilia vigesima octava. "Ὅπου<sup>a</sup> περ ἂν εἰσέλθῃς εἰς ἐκκλησίαν κἂν ἐν τῇ Μαύρων, κἂν ἐν τῇ Περσῶν, κἂν πρὸς αὐτὰς τὰς Βρετανικὰς νήσους, ἀκούεις βοῶντος τοῦ Ἰωάννου, Οὐκ ἔξεστὶ σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ σου. In quacunque ecclesiam ingressus fueris, sive apud Mauros, sive apud Persas, sive apud ipsas Britannicas insulas, clamantem Johannem audis; Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui." Cui geminum est, quod vel in illius, vel in alterius, illi æqualis, sermone de Pentecoste, quem sub Arcadio senioris Theodosii filio et junioris patre habitum, ex fine liquet, legitur: "Ὅπου<sup>r</sup> δ' ἂν ἀπέλθῃς, εἰς Ἰνδοὺς, εἰς Μαυροὺς, εἰς Βρετανοὺς, εἰς τὴν οἰκουμένην, εὐρήσεις, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ βίον ἐνάρετον. Quocunque ieris, ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, usque ad ultimum finem terrarum; invenies, In principio erat verbum, et vitam religione plenam." Ut ad Georgii patriarchæ Alexandrini drama recurrere nihil hic sit necesse; in quo Chrysostomus circa decimum octavum ætatis suæ annum, coram Demosthene præfecto Athemensium, cum Anthemio philosopho ita disserens introducitur: "Ποῖος<sup>s</sup> τόπος ἐστὶ σήμερον, ἔνθα οὐ προσκυνεῖται Χριστὸς ἐν αὐτῷ; ἢ ποῖον ἔθνος οὐχ ὁμολογεῖ αὐτὸν Θεόν· πᾶσαι γὰρ αἱ πατρίαι τῶν ἐθνῶν αὐτὸν δοξολογοῦσι, σὺν τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἀγίῳ αὐτοῦ πνεύματι, ἀπ' ἄκρον τῆς οἰκουμένης μέχρι τῶν τερμάτων αὐτῆς. Quis ubilibet terrarum locus est hodie, ubi Christus non adoretur; aut quæ

<sup>p</sup> Chrysost. oper. tom. 3. pag. 71.      <sup>a</sup> Ibid. tom. 10. pag. 638.

<sup>r</sup> Ibid. tom. 3. pag. 791.      Vid. supra, cap. 15. pag. 118.

<sup>s</sup> Georg. Alex. in vita Chrysos. op. Chrys. ed. Savil. tom. 8. pag. 164, 165.

usquam est gens, quæ non Christum confiteatur esse Deum? Omnes enim patriæ sive familiæ illi, una cum Patre et sancto ipsius Spiritu, gloriam concinunt a supremo cardine terræ habitalis adusque ejus extremum limitem."

Johannes Tinmuthensis Kiaranum Saigrum, quem ille Piranum vocat, ad insulam Cleram accedentem, "triginta annis in magna abstinentia et operibus sanctis Deo servasse: ac demum Romam profectum, Scripturas sanctas legentem et ecclesiasticam regulam discentem, quindecim annis ibidem mansisse, et gradum episcopalem suscepisse refert." Cum quo de primis triginta annis in Hibernia transactis etiam alteri vitæ ejusdem scriptori convenit: licet commorationi in urbe Romana viginti annos ille tribuat: "Triginta," inquit, "annis S. Kiaranus, in sanctitate et integritate corporis et animæ in Hibernia habitavit sine baptismo, quia gentiles tunc erant Hibernienses: sed tamen, inspirante sancto Spiritu in suo sancto famulo Kiarano, religiosus perfectusque in moribus ipse vivebat. Et audiens famam Christianæ religionis in urbe Roma esse, deseruit Hiberniam, et adivit Romam; perveniensque illuc, baptizatus est et doctus in fide Catholica: ibique viginti annis mansit, legens divinas Scripturas, librosque earum colligens, et ecclesiasticas regulas sedulus discens." Deinde ordinatum ibi episcopum, ad patriam suam Hiberniam missum fuisse subjicit, triginta annis ante adventum B. Patricii, quem anno Domino CCCXXXII. contigisse postea docebimus. Unde inita subductaque ratione, anno CCCLII. in lucem editum, CCCLXXXII. Romam adiiisse, et CCCII. in patriam rediisse Kiaranum comperiemus.

S. Albeum quoque "perrexisse Romam, ibique apud Hilarium episcopum divinam didicisse Scripturam," in vita ipsius legimus. Cujus autem sedis episcopus fuerit ille Hilarius, auctor non explicat: alium tantum a Romano pontifice fuisse, in sequente narratione significat: "Videns sanctus Hilarius magnam sanctitatem S. Albei et maxima mirabilia quæ fiebant per illum a Deo, et probatum esse in omni sapientia; misit illum ad dominum papam

ut ab eo ordinaretur episcopus. Et sanctus papa gavisus est in adventu ejus: mansitque apud eum uno anno et quinquaginta diebus. Tunc autem viri sancti quinquaginta de Hibernia post sanctum Albeum Romam perrexerunt. Cum ergo venissent ubi erant sanctus papa et Albeus; dedit eis papa cellam seorsum, et misit sanctum Albeum cum eis ut ipsis præset. Multi erant ex ipsis unius nominis, id est, duodecim Colmani, et duodecim Coemgeni, et duodecim Fintani, et beatissimus Declanus cum cæteris."

S. Declanum Romæ tum adfuisse, vitæ ipsius scriptor etiam confirmat. Tunc, inquit, "in mente S. Declani Romam ire venit: ut ibi mores ecclesiasticos disceret, et gradus acciperet, et licentiam prædicandi a sede apostolica haberet, et ordinem et regulas secundum institutionem Romanam secum duceret. Et ipse quosdam assumens in comitatu suo discipulos transnavigavit, et perrexit Romam: mansitque ibi multis diebus. Eodem tempore S. Albeus erat Romæ multis annis in discipulatu S. Hilarii episcopi: ex cujus jussione et rogatu a beato papa Albeus ordinatus est episcopus. Veniensque S. Declanus Romam cum discipulis suis, magna lætitia in adventu ejus gavisus est papa; et de nobilitate ejus et sanctitate populo Romano indicavit. Et magnum honorem et dilectionem apud populum et clerum Romanum invenit beatissimus Declanus intelligentes bonitatem ejus. Sanctus enim Declanus forma pulcher erat, genere nobilis, habitu et incessu humilis, duleis eloquio, magnus consilio, strenuus in sermone, caritate ardens, conversatione hilaris, in donis largus, vita sanctus, in prodigiis et miraculis frequens, et clarus. Et post multos dies sanctus Declanus a domino papa, suadentibus multis, ordinatus est: et postea, traditis sibi libris et regulis, missus est ad patriam suam, scilicet Hiberniam, ut prædicaret in ea. Acceptaque licentia et benedictione ab apostolico et populo Romanæ ecclesie, sanctus episcopus Declanus iter cœpit arripere ad Hiberniam. Et multi a Roma secuti sunt sanctum episcopum Declanum, volentes in peregrinatione sub eo vivere: inter quos filius regis Romanorum Lunanus nomine venit, quem S. Declanus multum diligebat. Obviaveruntque sibi in-

vicem in Italia S. Declanus et S. Patricius, qui postea a Celestino papa ad prædicandum Hiberniensibus missus est: et ipse est totius Hiberniæ archiepiscopus. Et salutantes se invicem pacifice, fraternitatem inter se fecerunt: et in osculo pacis sanctus Declanus venit ad Hiberniam, sanctus autem Patricius Romam perrexit."

Factum hoc anno CCCCII. ex S. Kiarani vita colligitur: in qua illi etiam in patriam revertenti S. Patricius in Italia occurrisse legitur, promissisque post triginta annos visurum se illum in Hibernia: quod antiquissima quoque carmina Hibernica, in libro Ballimotensi et actis B. Patricii Hibernice scriptis laudata, confirmant. In actis vero hisce Patricianis quinque illi clerici natione Hibernici Kiarano in hoc itinere comites adjunguntur, quos "casu felici S. Patricium de Britannia regressum obvium habuisse postea" retulit Jocelinus: Horum, inquit ille<sup>a</sup>, "Sanctorum nomina fuerunt; Lugacius, Columbanus, Meldanus, Lugadius, Cassanus<sup>r</sup>, Cheranus: quorum sedium episcopaliū nomina describere certa de causa supersedemus. in multis enim vocabula locorum, et etiam personarum, ob inconditam verborum barbariem devitamus; ne Latinis auribus fastidium aut horrorem ingeramus. Prædicti tamen pontifices in Ecclesia Dei verbo et exemplo plurimum profecerunt; et in magna sanctitate vitam terminaverunt." Sedes autem episcopales, si quem nominum barbaries non offendat, in Laginiensi provincia antiquiora illa acta Hibernica hisce assignant: Lugacio quidem Cill-airthir, Columbano Cluainernain, Meldano Cluano-crema, Lugadio Erci filio Fordrum, Cassano Domnach mor Maigeechnach, et Cherano sive Kiarano nostro Saigre, de qua postea.

Hujus S. Kiarani, quem et Keranum et Piranum nominant, atque S. Patricii congressus Johannes Tinmuthensis ita meminit: "Illis diebus fuit in Italia sanctus ille magnus Patricius: qui Spiritu sancto edoctus, beato Pirano ait, Festina ante me, fili dilecte, et in medio insulæ super ripam fluminis Waran tibi locum construe. Placet enim

<sup>a</sup> Jocelin. vit. Patricii, cap. 93.

<sup>r</sup> Vid. ibid. cap. 144.

Deo, et prævidit quod in eo loco honor sanctitatis tuæ hominibus declaretur: in Britannia tamen demum perveniens, et usque ad finem vitæ tuæ Deo serviens, communis resurrectionis et vitæ æternæ beatitudinem expectabis." Hæc ille: hypothesi suæ accommodate, qua sanctus hic sepultus ponitur "in<sup>s</sup> Cornubia supra mare Sabrinum, a Petrokstowe (sive Padstowe) miliaribus quindecim et a Mousehole viginti quinque." At alter vitæ Kiarani scriptor, qui in Hibernia eum vitam finivisse statuit, hoc rem modo narrat: "Occurrit ei in via in Italia S. Patricius archiepiscopus totius Hiberniæ: et videntes se invicem sancti Dei, gavisus sunt. Tunc sanctus Patricius non erat episcopus: sed postea (post annos scilicet triginta, ut dictum) a Celestino papa ordinatus est archiepiscopus, et missus est ad prædicandum in Hiberniam. Cui jam, quamvis alii sancti ante se erant in Hibernia, Deus custodivit magisterium et omnem archiepiscopatum Hiberniæ: quia per neminem reges vel duces Hiberniæ ante Patricium Deo crediderunt. Et ait S. Patricius ad S. Kiaranum: Vade ad Hiberniam ante me, et adi fontem in medio Hiberniæ, in confinio australium et aquilonalium Hibernensium, qui vocatur Fuaran, et constitue ibi monasterium; quia illic honor tuus et resurrectio tua erit."

"Fons vero ille," ut ibi sequitur, "constat in confinio duarum partium Hiberniæ, sed tamen in australi parte in regione Mumeniæ, videlicet in plebe quæ vocatur Hele. Et cœpit beatus pontifex Kiaranus ibi quasi eremita habitare, quia eremus lata densa sylvis per circuitum erat, et de vili materia cellulam suam incepit; et inde monasterium, et postea civitas, crevit Dei dono per gratiam S. Kiarani: quæ omnia vocantur uno nomine, id est, Saiger." Vulgo Sier-Keran dicitur, in Hele, sive Eliæ Carolinæ territorio, quod Lageniæ hodie accensetur, non Mumeniæ vel Mõmoniæ, ejusque in annalibus suis Johannes Clinnus Kilkenniensis ad annum MCCLXXXIV. ita meminit: "Dominus Galfridus de sancto Leodegario episcopus Ossoriensis acquisivit per duellum manerium de Seirkeran."

\* Vid. Camden. in Cornwall, pag. 140.

Ipsum vero Kiaranum collecta, quæ in officio ejus olim legebatur, ita celebrat: "Deus, qui B. Kiranum seniore[m] confesso[re]m tuum atque pontificem ante alios sanctos in Hiberniæ insulam misisti," &c. Indeque jam dictus biographus Hiberniæ sanctorum primogenitum illum appellat: tum præterea addens, non modo Liadanam eum matrem "fidelem Christianam et sanctam Dei famulam effecisse (cella eidem in propinquo loco ædificata, quæ dicitur Scotice Ceall Iyðajr); sed etiam suam gentem, id est, Osraig, et plurimos alios de errore gentilitatis ad Christi fidem convertisse." Idem quoque a Declano in patria sua Desia præstitum, scriptor vitæ ipsius ita indicat: "Venit sanctus antistes Declanus ad propriam gentem suam Nandesi: et cœpit fidem sanctæ Trinitatis eis prædicare, et illos baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et a Diabolo ad ipsum unum Deum omnipotentem convertere. Et multa Deo loca instituit: in quibus quosdam de discipulis suis manere constituebat, ad servendum Christo, et ad gentiles in fide Christiana imbuendos et a Diaboli cultu ad Christi Evangelium revocandos."

De Albei etiam laboribus hæc, inter alia, in vita illius habentur tradita: "S. Albeus a sede apostolica missus est ad gentes, ut apostolico more Evangelium Christi illis prædicaret: et magna plebs de gentibus per illum Domino credit, et baptizati sunt. In illa autem regione S. Albeus monasterium construxit, in quo reliquit sanctos filios Guill: benedixit autem totam illam regionem, et recessit ab eis. Post hæc S. Albeus quasi apis prudentissima cum mellis onere ad suam patriam Hiberniam, Deo comite, reversus est. Cumque venisset ad mare, benedixit illud: et cum serenitate magna sine ulla offensione, in navi vilissima, ipse et omnis populus suus trans mare navigaverunt; et in aquilonali parte Hiberniæ portum tenuerunt. Ibi autem jubente S. Albeo unus de familia ipsius, Colmanus nomine, cellam ædificavit quæ dicitur Chell-ruaid."

"Postea rex illius regionis quæ dicitur Dal-araidi (et de illa gente origo S. Albei erat) bellans contra Connaclitos, illis diebus versus est ipse in fugam magnam, et tres filii ejus occisi sunt: habensque corpora illorum, venit ad

Albeum, dicens: Ecce ego miser homo veni ad te, sancte Dei, ut mihi auxilium præstes: quia audivi quod facis magna mirabilia. Ille autem rex vocabatur Fintanus, et gentilis erat. Cui Albeus ait: Si tu credideris et baptizatus fueris, divinum auxilium rogabo pro te et filiis tuis. Tunc rex, fidem Christianam edoctus, credidit et baptizatus est. Sanctus vero Albeus accessit ubi erant filii, et oravit pro eis ad Dominum Jesum Christum: ac illi vivi surrexerunt ad patrem suum, et illi omnes firmati sunt in fide Christi. Tunc Albeus illos benedixit, et ait eis: Quia vos suscepistis fidem veram et credidistis in Christum, superabitis inimicos vestros. Illico autem ille rex, secundum verbum S. Albei, perrexit ad bellum contra Connachtos, et vindicavit in eos injuriam suam: accipiensque obsides, cum triumpho magno ad domum suam gaudens reversus est. Sanctus vero Albeus circuibat totam Hiberniam, prædicans baptismum; et multos ibi convertit ad fidem, sed non omnes, quia voluit Dominus omnipotens ut beatus Patricius episcopus, qui post Albeum in Hiberniam venit, converteret omnes Hibernienses ad fidem."

Porro S. Albeus et S. Declanus, ita in hujus vita legimus, "sanctusque Ibarus magnam fraternitatem et societatem inter se et posteros suos, usque ad finem mundi, in terra et in cælo fecerunt; diligentes se invicem. Sed præcipue S. Declanus, et S. Albeus nimio se germanico amore diligebant; ut vellent simul esse semper, nisi a discipulis necessitas separandi suaderet." Vitæ Brigidæ scriptor ineditus, libro secundo, capite decimo quarto: "Sanctum Ibarum episcopum, qui seminator fidei in multis locis in Hibernia fuit ante beatissimum Patricium, in campo Gessyll mansisse" narrat. Conchubranus in vita Monennæ sive Modwennæ virginis, Arranicas primum insulas, deinde Inis Beg-cry prope Wexfordiam illum incoluisse significat. Cum enim in primo scripisset libro, "sanctum episcopum Ibar commoratum in insulis ultra Hiberniam in occidentali oceano positis, tribus in uno vocabulo coarctatis;" in secundo subjicit: "Sanctus vero Ibar episcopus de prædictis insulis, Domino itineris duce, in meridianam Hiberniæ partem pergit;

audiens ibi parvam insulam quam modicam Hiberniam vocant, in qua et postea post gloriosam vitam reconditus est." Cui et illud addere liceat, ex vita S. Albani: "Beatus episcopus Ibarus in famosissimo et in optimo suo monasterio, quod vocatur Beckerin, plus habitabat quam in aliis locis, quia multum illum locum diligebat. Illud verò monasterium in australi parte Huachensealay est positum, in insula vallata mari: et insula et monasterium uno nomine dicuntur, id est, Beckherind; quod interpretatur Latine, parva Hibernia. In illo autem monasterio reliquæ beatissimi antistitis Ibari jacent et honorifice coluntur: atque ipse locus honoratur ab Hiberniensibus pro nomine sancti Ibari valde; quia ipse unus erat egregius dispensator divini dogmatis de prioribus prædicatoribus, quos elegit Deus ut Hibernienses de gentilitate ad Christi fidem converterent." Et ex ipsius Ibari vita, "Adultus, sacerdos et multa sanctimonia vitæ pollens, Ibarus missus est ad evangelium prædicandum per Hiberniam; in qua innumeros ad fidem Christi convertit, et ad honestatem morum ac pietatis Christianæ: et suis precibus universum regnum pestilentia gravi oppressum liberavit, sed præsertim regionem Magni Colmani regis Midie. Ad fines Laginensium venit, et australem ejus partem ubi est litoralis parva insula Beg-erin, id est, Parva Hibernia dicta: ubi celebre condidit cœnobium, et sacras ibidem literas aliasque artes optimas docuit maximam multitudinem Hibernorum et aliorum."

Papiæ, die vigesimo secundo Augusti, Romanum martyrologium memoriam celebrari notat S. Guniforti martyris: cujus acta habentur apud Mombritium tomo primo, Philippum Ferrarium in catalogo sanctorum Italiae, et Jacobum Guallum J. C. in sanctuario Papiæ ita de eo scribentem: "Gunifortus Scotica gente natus, nobili genere, giganteoque corpore, cum apud eam Scotticam gentem magna fureret persecutio, sibi que esset cordi pro Christo mori, et altum suæ mentis arderet votum, potentia nobilis suæ familiæ impediri veritus, cum fratre suo Gunibaldo ac duabus sororibus perrexit in Germaniam, ubi Christiani variis tormentis occidebantur: unde ut eorum votum per-



ducerent ad effectum, Christi fidei flamma incensi magno spiritu illam prædicabant. Tunc capiuntur, et suppliciiis crudeliter cæduntur; unde, Dei virtute operante, salvantur ipsi fratres: sorores vero genere et forma speciosæ, speciosiores fide et virginitatis zelo, superata fœminea fragilitate, accedente etiam pia fratrum exhortatione, oculis ac manibus in cœlum intentis, Christum confitentes, cruentissima cæde martyrii palnam adipiscuntur. Quibus tam impie peremptis, Gunifortus Gunibaldusque inde discedentes, superatis Alpibus, descendunt in Italiam ad Camaram usque civitatem; ubi etiam Christiani crudeliter mactabantur. Tunc ibi ad populum fidem Christi alta voce tollere cœperunt; multos etiam quo poterant spiritu ad martyrii coronam accendebant. Verum Gunibaldus captus cruento mactatur gladio." Totam deinde seriem martyrii S. Guniforti subjungit: ut Mediolanum venerit, ut sagittis confixus fuerit, ut Ticinum divino monitu venerit, ut in paupertinæ anus tugurio obdormierit, ut sacrae ibi reliquiæ asserventur.

Hæc ex Guallo recitat Thomas Dempsterus<sup>†</sup>: qui duas sorores affirmat "martyrium" passas esse citius uno anno quam fratres, hoc est, anno CCCCXIX." quum tamen earum alteram, quam S. Dardalucham Scotam fuisse existimat, (cujus memoria Calendis Februariis apud Frisingenses celebratur in Bavaria) una cum fratribus anno CCCCXX. Scotia excessisse scribat; et fratres<sup>x</sup> anno CCCCXVII. passos fuisse martyrium opinetur, Theodosio Mediolani agente. Quæ nimis inconsiderate temporibus divisa esse, non modo annorum illa dispositio inconcinna secumque discordans, sed illud præcipue arguit, quod in Italia Gunibaldus quidem Camaræ vel Comi pro Christo cæsus, Gunifortus vero Mediolani ab infidelibus confixus sagittis fuisse dicatur, ipso etiam Theodosio Mediolani agente: ac si Theodosio imperante pagana fuissent, non Christiana tempora. Ubi tamen de Camara vel Como non prætermittenda est illa eruditissimi Da-

<sup>†</sup> Dempster. hist. eccles. lib. 7. num. 576.

<sup>u</sup> Id. lib. 1. num. 20.

<sup>w</sup> Id. lib. 4. num. 39.

<sup>z</sup> Id. lib. 7. num. 575, 576.

vidis Blondelli ex Gallia ad me missa observatio : “ Cum vix ullus qui pro Como Cameram scripserit hactenus repertus sit, Gualli textum alicunde corruptum fuisse verisimile est. In hac autem phrasi *ad Camaram usque civitatem* vocis *usque* peculiarem *ἔμφασιν* esse, Gunifortumque non ad Alpium Rhæticarum radices ipsumque Italiae limen Comum hæsisse, sed progressum longius, insinuare palam est. Forte legendum *ad Camarinam civitatem* siquidem Camerinam Flaminiae seu veteris Umbriae urbem *Καμαρίναν* Ptolemæus vocat : potuitque Germania pertæsus Gunifortus per Carnicas Alpes et Venetiam in Flaminiam irrupere exindeque in Liguriam retroacto pede secedere.” Illud vero multo magis est ridiculum, quod de Rosino quodam Florido apud eundem Dempsterum legimus : “ Rosinus<sup>y</sup> Floridus, unus ex Culdeis, episcopatum alicubi gessit : ut indiculus scriptorum Scotorum anonymi præfert. Eo vivebat seculo, quo hæresis Pelagiana Britanniam inficiebat; et strenuam piæ causæ operam navavit, communicato cum Palladio consilio. Scripsit,

Contra Severianum<sup>z</sup> et Julianum episcopos Pelagianos, librum unum.

Ad ecclesias Scoticas antidotum, librum unum.

Epistolas ad Celestinum pontificem : a quo consecrationis suæ insignia Romæ acceperat, ut moris erat.

Epistolas ad Palladium, librum unum.

Sermonis de sanctis, librum unum.

Claruit sub Fergusio II. anno CCCCLXI. aut præter propter.”

Ubi leviculum illud, quod annus CCCCLXI. vel etiam CCCXLI. in Scotorum scriptorum nomenclatura notatus, cum regno Fergusii non cohæreat : unde novus iste episcopus nobis prodierit, potius inquirendum. Rufinum igitur natione Gallum<sup>a</sup>, Elusa<sup>b</sup> vetere Novempopuloniae metropoli, oriundum, “ ex<sup>c</sup> magistro officiorum factum in consulatu præfectum prætorio orientis,” anno CCCXCV.

<sup>y</sup> Dempster. hist. eccles. lib. 16. num. 1067.

<sup>z</sup> De quo supra, cap. 11. op. tom. 5. pag. 367.

<sup>a</sup> Κελευθός τὸ γένος ; Zos. hist. lib. 4. et eum secutus Suidas, in Θεοδοσίος.

<sup>b</sup> Claudian. lib. 1. in Rufin.

<sup>c</sup> B. Ambros. epist. 52. ann. 392. op. tom. 2. pag. 1001.

contra Arcadium, et post triennium Gildonem Africæ præsidem, natione Gothum, contra fratrem illius Honorium tyrannidem molitum esse; tum ex Romana<sup>d</sup> historia, tum ex Claudiani poetæ in Rufinum libris duobus et de bello Gildonico libro altero, nemo est qui non intelligat. Jam, ut bellum hoc Claudiani Gildonicum Hector Boethius<sup>e</sup> et Johannes Leslæus<sup>f</sup> ad prælium in Hibernia ante imperium Julii Cæsaris gestum, in quo Gillus nescio quis Scotorum Albionensium tyrannus occubuerit, ineptissime traduxerunt: ita et Johannes Balæus<sup>g</sup>, quum Rufinum illum, quem Claudianus duobus libris insectatus est, Gallicum vel secundum alios Britannum fuisse, apud Johannem Cuspinianum<sup>h</sup> legisset, “Rufinum poetam Britannum inde effinxit: quem “ex illis Britannis unum fuisse, qui cum<sup>i</sup> Cæsare Maximo in Armoricam classe trajecit,” et anno CCCCXIV. post mortem videlicet annis ipsis novemdecim, claruisse asserit. Ac ne poetæ a se creato deesset cognomentum, Floridi illum ornatum esse voluit epitheto: et ne carmina quoque desiderarentur, non solum contra Claudianum epigrammata viginti octo et alia his similia plura scripsisse illum ait, sed etiam Rufi, ni fallor, Avieni librum ad Theodosium et De oris maritimis eidem tribuendum censuit. Balæi postea expilator Pitseus<sup>k</sup> in scriptorum Britannicorum universali indice Rufinum Floridum collocans, in ipso opere auctorem cum adscriptis illi librorum titulis reponere oblitus est. Atque hinc ab anonymo illo, scriptorum nomina ex Pitseo excerpta, pro Rufino Florido, Rosinum Floridum exaratum; deinde a Dempstero, scriptorem sine libris commemoratum reperiente, pro poeticis (usitato sibi quidvis comminiscendi artificio) theologica supposita fuisse opuscula, facile animum induco ut existimem.

De Celestino vero, a quo commentitius iste episcopus

<sup>d</sup> Vid. Marcellini comitis chronicon.    <sup>e</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 2. fol. 28. b.

<sup>f</sup> Leslæ. de reb. gest. Scot. lib. 2. in rege X.

<sup>g</sup> Balæ. script. Britan. centur. 1. cap. 42.

<sup>h</sup> Cuspinian. de Cæsarib. in Arcadio et Honorio.

<sup>i</sup> Vide supra, cap. 8. op. tom. 5. pag. 241.

<sup>k</sup> Jo. Pits. relationum Anglicanar. tom. 1. pag. 936.

consecrationis suæ insignia accepisse fingitur, Pelagianam pestem a Britannis propulsante et fidem Christianam inter Scotos propagante, in undecimo<sup>1</sup> capite ex Prosperi libro contra Collatorem præclarum hoc a nobis recitatum est elogium: “Nec segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ, solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit oceani; et ordinato Scotis episcopo, dum Romanam insulam studet servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.” Britanniam nimirum Romanicæ, Hiberniam et alias gentes a Romanorum ditione et cultus alienas Barbariæ nomine notatas fuisse, jam ante<sup>m</sup> diximus. Et Prosper, Scotorum insulam hanc a Britanniis discrete distinguens, de majore Scotia, id est, Hibernia, non de minore, id est, Albania (quæ neque tum temporis Scotia fuit, neque insula etiam nunc est, sed pars insulæ majoris Britannicæ) necessario intelligendus est. “Certe,” inquit Richardus Vitus Basinstochius<sup>n</sup>, “cum Prosper numero plurativo Britannias dixit, utique Romanam insulam vocavit Britanniam; et alteram, quam dixit barbaram, intellexit Hiberniam, quo Romana potestas armorum nunquam pervenisse creditur.” Et Nicolaus Serarius<sup>o</sup>: “Scotos hic Hibernos vocari, testis in S. Patricii (apud Bedam) historia Probus.” Ex hoc enim, uti etiam ex Ninio, Mariano, Sigeberto, Antonino, Jocelino et reliquis vitæ Patricianæ descriptoribus mox producendis, manifestum est, ad eosdem Scotos destinatum fuisse Palladium, ad quos eo defuncto postea missus est Patricius.

Neque vero vel Palladii vel Celestini tempore putandum est sic “barbaram insulam factam esse Christianam,” ut aut nullos eam antea Christianæ fidei professores habuisse, aut illis viventibus eam universam Christo nomen dedisse, existimandum sit: sed cogitandum, uno vel altero post missum Palladium anno, sub ipsis, ut indicavimus<sup>p</sup>, Xysti successoris Celestini initiis, scriptum a Prospero fuisse

<sup>1</sup> Op. tom. 5. pag. 366.

<sup>m</sup> Supra, cap. 12. op. tom. 5. pag. 468.

<sup>n</sup> Vit. in lib. 1. hist. Britan. not. 6.      <sup>o</sup> Serar. in vit. Kiliani, not. 9.

<sup>p</sup> Supra, cap. 12. op. tom. 5. pag. 418, 419.

contra Collatorem hoc opusculum; quum vix tanto operi manum adhuc admoveere cœpisset Patricius, cui universam et absolutam gentis suæ conversionem constanti traditione acceptam Hiberni referunt. Ut de primis Palladii conatibus recente, ut fit, crescente fama et eundo vires acquirente, facile induci potuerit Prosper ut crederet quod libenter audiit, Scotos nostros in eorum populorum censu reponendos, in quo fuerunt quum postea<sup>1</sup> cecinit:

—— Nunc sævas gentes et barbara regna  
 Ignoti prius aut sprete nova gratia Christi  
 Attrahit, et terra sibi templum condit in omni.

Itaque idem in chronico, re melius intellecta, sic potius hanc historiam referendam fuisse censuit; “Ad Scotos in Christum CREDENTES ordinatus a papa Celestino Palladius episcopus mittitur:” quod et Beda, Freculphus Lexoviensis, Ado Viennensis, Marianus Scotus, Florentius Wigorniensis, Hermannus Contractus, Sigebertus Gemblacensis, Henricus Huntingdoniensis, Matthæus Florilegus, Antoninus Florentinus et alii sunt secuti: ne quis in credentium nomine a librariis commissum hic fuisse errorem suspicetur. Neque enim frustra Kiaranum, Albeum, Declanum et Ibarum in messe Hibernica ante Palladium et Patricium laboravisse declaravimus: ut Chrysostomi de Britannicarum insularum fide laudata testimonia non urgeamus; neque illud etiam Augustini, ante missum huc Palladium vita functi, verba hæc prophetæ *Adorabunt<sup>r</sup> unusquisque de loco suo, omnes insulæ gentium* ita explicantis: “Omnes<sup>s</sup> insulæ, dixit, tanquam diceret, etiam omnes insulæ: hinc ostendens quam nulla pars relinquatur orbis terrarum, ubi non sit ecclesia, quando nulla relinquatur insularum; quarum nonnullæ etiam in oceano sunt constitutæ, et quasdam earum Evangelium jam suscepisse didicimus. Atque ita et in insulis singulis quibusque impletur quod dictum est, *Dominabitur<sup>t</sup> a mari usque ad mare*, quo unaquæque insula cingitur, sicut in universo orbe terrarum, quæ tan-

<sup>1</sup> Prosper. de Ingratis, cap. 14.

<sup>r</sup> Sophon. 2. 11.

<sup>s</sup> Augustin. epist. 199. ad Hesychium. Vid. supra, cap. 1. op. tom. 5. pag. 13.

<sup>t</sup> Psalm. 72. (al. 71.) ver. 8

quam omnium quodammodo maxima est insula, quia et ipsam cingit oceanus: ad cujus litora in OCCIDENTALIBUS partibus ecclesiam pervenisse jam novimus; et quocunque litorum ejus nondum pervenit, perventura est utique fructificando atque crescendo."

In vulgatis<sup>u</sup> Prosperi editionibus, quas Beda etiam et alii illi a nobis nominati chronographi sunt secuti, a Celestino Palladius PRIMUS episcopus missus fuisse dicitur: cujus primatus mentio in chronico illius integriore, ex quo<sup>w</sup> locum illum proxime citavimus, omnino non habetur. Sed hinc tamen quaestio est exorta, qua ratione primus episcopus missus dici potuerit Palladius, si Scotos ante eum alios fidei doctores habuisse admiserimus. Johannes Major<sup>x</sup> prioribus illis temporibus "per sacerdotes et monachos sine episcopis Scotos in fide eruditos" fuisse affirmat. Et ita sane ante Majorem scripsit Johannes Fordonus<sup>y</sup>: "Ante Palladii adventum habebant Scoti fidei doctores ac sacramentorum ministratores presbyteros solummodo vel monachos, ritum sequentes Ecclesiae primitivae:" quod postremum ab iis accepisse videtur, qui<sup>z</sup> dixerunt "quod in prima primitiva Ecclesia commune erat officium episcoporum et sacerdotum; et nomina erant communia, et officium commune: sed in secunda primitiva coeperunt distinguere et nomina et officia." Hector Boethius fuisse dicit "Palladium primum omnium qui sacrum inter Scotos egere magistratum, a summo pontifice episcopum creatum: quum antea populi suffragiis ex monachis et Culdeis pontifices assumerentur." A Celestino illum missum ait Johannes Balæus<sup>b</sup>, "ut sacerdotalem ordinem inter Scotos Romano ritu institueret. Habebant antea Scoti suos episcopos ac ministros, ex verbi divini ministerio plebium suffragiis electos, prout Asianorum more fieri apud Bri-

<sup>u</sup> Ut supra, cap. 11. op. tom. 5. pag. 367.

<sup>w</sup> Tom. 1. rer. Francicar. scriptor. ab Andr. du Chesne edit. pag. 205.

<sup>x</sup> Jo. Major, de gest. Scot. lib. 2. cap. 2.

<sup>y</sup> Jo. Fordon. Scotichron. lib. 3. cap. 8.

<sup>z</sup> Jo. Semeca in glossa Decreti, distinct. 93. ca. Legimus.

<sup>a</sup> Boeth. Scot. hist. lib. 7. fol. 123. b.

<sup>b</sup> Balæ. Scriptor. Britann. centur. 14. cap. 6.

tannos videbant : sed hæc Romanis, ut magis ceremoniosis atque Asianorum osoribus, non placebant."

Sed cum quatuor illi superiores episcopi ante pontificatum Celestini et missionem Palladii Romæ ordinati fuisse memorentur : videretur de Palladio statuendum potius, vel duorum episcoporum quos papa Celestinus Scotis miserit fuisse illum primum, siquidem post eum ad eosdem missus ab illo est Patricius, vel primum et primæ sedis episcopum ordinatum ; ut licet alios antea haberet episcopos, primum tamen archiepiscopum Palladium, secundum Patricium nostra accepisse dicenda esset insula : quanquam antiquiores illi episcopi ægre fasces Patricio submiserint : si incerto vitæ Declani scriptori fidem adhibere libeat, ita rem narranti : " Supradicti quatuor episcopi qui erant in Hibernia ante Patricium, missi a Romano pontifice sicut et ipse, id est, Albeus, Declanus, Chiaranus et Ibarus, non unam voluntatem cum sancto Patricio habebant sed diversam : tamen in postremo concordiam cum illo fecerunt. Chiaranus enim omnem concordiam et subjectionem et magisterium dedit S. Patricio, ipso præsentem et absentem. Albeus autem videns majores Hiberniæ post Patricium concurrere, venit ad S. Patricium in civitate Caissel, et accepit eum ibi cum omni humilitate magistrum suum coram rege Ænguso ; quod prius non habuit in mente. Ipsum jam Albeum illi episcopi magistrum suum antea constituerunt : et ideo ipse ante eos venit ad S. Patricium, ne ipsi pro se contradicerent illi. Ibarus vero nulla ratione consentire S. Patricio neque ei subjectus esse voluit : nolebat enim patronum Hiberniæ de alia gente habere. Patricius enim de gente Britonum natus est : sed in Hibernia nutritus est, captus in provincia sua. Et conflictus magnos inter se ipse Ibarus et Patricius fecerunt in primis : sed postea, suadente angelo, pacem et concordiam ac fraternitatem inter se fecerunt. Declanus autem nolebat contradicere S. Patricio, quia antea fraternitatem cum eo in Italia fecit ; neque subditus quidem ejus esse cogitavit, quia ipse dignitatem apostolicam habuit : sed ita ab angelo admonitus est, ut veniret ad eum et voluntatem ejus faceret."

Missum vero huc Palladium docet Prosper in consularu Bassi et Antiochi: qui in annum epochæ Christianæ CCCCXXXI. incidit; quo tertia synodus œcumenica Ephesi est habita. Ad annum octavum imperii Theodosii junioris refert Beda, libro primo historiæ Angliæ, capite decimo tertio, quem ex Prospero corrigendum monet Baronius<sup>c</sup>; quia "Pontificatus ipsius Celestini ab eo tempore post annos octo contigerit, nempe decimo sexto ejusdem Theodosii imperatoris." Verum non animadvertit optime Bedæ cum Prospero convenire: quandoquidem uterque annos imperii Theodosii non ab eo tempore quo simul cum Honorio regnavit quod facit Baronius, sed ab Honorii morte, quam in eundem annum conjicit Prosper, quo pontificatum adeptus est Celestinus, deducit: quemadmodum tum ex illo ipso loco historiæ ecclesiasticæ Bedæ, ubi anno Dominicæ incarnationis CCCCXXIII. Theodosium juniorem post Honorium regnum suscepisse, et viginti septem annis tenuisse notat, tum ex tota serie chronici Prosperi et libri Bedæ de sex ætatibus, luce clarius apparet.

Ex eodem quoque Prospero<sup>d</sup> liquet, ante biennium Palladium, diaconum tunc existentem, ut Germanus Antissiodorensis episcopus ad Britanniam a Pelagiana corruptela liberandam mitteretur, a Celestino obtinuisse. Unde Palladius noster a Ranulpho Cestrensi<sup>e</sup> Romanus diaconus, a Probo<sup>f</sup> et Jocelino<sup>g</sup> Celestini papæ archidiaconus, a nostrorum temporum scriptoribus Romanæ<sup>h</sup> ecclesiæ cardinalis et apostolicus<sup>i</sup> nuncius appellatur. Patriam illi pro libitu recentiores assignant, alii aliam. Johannes Sichardus Hiberniensem fuisse vult. Ad mutilatum enim illum Sedulii locum, in primum caput epistolæ ad Romanos, "aliter secundum Pil." ita annotat: "Crederem legendum Palladium, qui item Hiberniensis fuit; nisi aliquot annis

<sup>c</sup> Baron. ann. 429. sec. 7. Vid. supra, cap. 12. pag. 199.

<sup>d</sup> Supra, cap. 11. op. tom. 5. pag. 367.

<sup>e</sup> Ranulph. polychron. lib. 4. cap. 32.

<sup>f</sup> Prob. vit. Patricii, lib. 1.

<sup>g</sup> Jocelin. vit. Patric. cap. 25.

<sup>h</sup> Possevin. apparat. sacr. in Palladio Britanno.

<sup>i</sup> Jo. Leslæ. parænes. præfix. historiæ Scotor. vel Rob. Turner. potius, epist. 5.



fuisset Sedulio minor." Cujus tamen conjecturæ non assentior; non quidem ob rationem ab eo allatam (cum Sedulium Palladio ætate posteriorem fuisse jam demonstraverim) sed quod Pilagium potius reponendum hic existimem: quo nomine Pelagii in Pauli epistolas scholia non semel in antiquioribus manuscriptis notata reperi. Antonius Possevinus in apparatu sacro Palladium Britannum appellat: pro quo et notula illa marginalis facit, quam ad Chartam Patricio tributam, in Guilielmi Malmesburiensis libro De antiquitate Glastoniensis ecclesiæ, MS. in bibliotheca Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ, manu satis antiqua appositam reperi: "Eodem anno vel præcedente misit idem papa [Celestinus] ad prædicandum ibidem (ad Hibernicos scilicet) virum nomine Palladium, BRITANNICUM genere: sed idem cito repatriavit sine ullo effectu." Johannes Trithemius, in suo scriptorum ecclesiasticorum catalogo, natione Græcum fuisse ait.

Trithemium et Balæus hic secutus est, et Romanæ editionis operum B. Ambrosii procuratores: in quorum quinto tomo, de origine et moribus Brachmanorum tractatus legitur, sic incipiens: "Desiderium mentis tuæ, Palladi, quæ immenso sapientiæ amore incensa nova semper discere optat, novum etiam arduumque opus efficere nos compellit, id vero est, Brachmanorum patriam consuetudinem vitamque recensere:" de quo editores illi ita censuerunt, "Opus certe ipsum non admodum expoliturum. Vel fortasse Ambrosius, si illius dicendus est auctor, Palladio Græco homini scribens, linguæ Latinæ parum erudito, et adhuc juveni (is enim est, ut conjicitur, qui postea Hibernorum episcopus fuit ordinatus) ut ejus capacitati se accommodaret, magis aperto et communiore sermone usus est." Hæc illi; Latine opusculum hoc primo scriptum fuisse existimantes: quod Græce tamen in bibliotheca Sfortiana tum alibi MS. adhuc extat, non Ambrosio alicui sed ipsi Palladio attributum.

Balæi de Palladio, et illius pernecessario Johanne Hierosolymitano<sup>k</sup>, verba hæc sunt: "Palladius Græcus<sup>l</sup>, primus

<sup>k</sup> De quo supra, cap. 9. op. tom. 5. pag. 285. 287. 297.

<sup>l</sup> Balæ. centur. 14. num. 6.

Scotorum apostolus, Johannis quadragesimi quarti Hierosolymorum episcopi discipulus olim fuit, ut author est Nicolaus Harlemius, dum adhuc eremi cultor, solitaria Syriæ loca, potissime Carmelum incoleret. Ejus inquam Johannis, qui ob Origenis allegoricum dogma Hieronymi atque Epiphani in se concitavit scripta: quibus tamen ipse sui studii rationem reddens, respondit se non Origenis fidem, sed ingenium esse imitatum: ediditque librum contra sui studii obtrectatores, et de institutione primorum monachorum ad Caprasium librum allegoriis plenum, quem e Græco translatus vidi." Verum multa castigationem hic desiderant. Nam, ut qua ratione Palladius primus Scotorum apostolus haberi potuerit non excutiam: illud de Carmelo a Johanne Hierosolymorum episcopo Origenista et aliis vitæ monasticæ professoribus tum culto figmentum exufflavit jampridem Cæsar Baronius<sup>m</sup>; librumque illum de prima institutione monachismi Carmelitani ad Caprasium, qui tomo nono bibliothecæ patrum, Parisiis anno MDLXXXIX. editæ habetur insertus, Johanni huic falso esse adscriptum, in tomi illius censura ostendit pontificii palatii magister Johannes Maria Brasichellanus<sup>n</sup>. Manifesto denique errore Palladius noster et alter ille Origenista, cum Johanne Hierosolymitano benevolentia conjunctus, unus et idem fuisse statuitur: licet eandem falsam opinionem Johannem Fordonum<sup>o</sup> quoque, Scotorum Palladium cum Palladio discipulo Evagrii confundentem, habuisse animadverterim.

Patria Galatam fuisse Palladium illum Origenistam, Evagrii<sup>p</sup> discipulum, et Epiphanius in epistola<sup>q</sup> ad Johannem Hierosolymitanum, et ipse in Lausiaca<sup>r</sup> sua historia confirmat; quam in procemio ad Lausum præfectum, a se etiam scriptam fuisse indicat anno tricesimo et tertio postquam vitæ sese addixisset monasticæ, quum viginti quidem in episcopatu,

<sup>m</sup> Baron. ann. 444. sec. 17.

<sup>n</sup> Tom. 1. Indicis librorum expurgandorum, edit. Romæ, ann. 1607.

<sup>o</sup> Fordon. Scotichronic. lib. 3. cap. 8.

<sup>p</sup> De quo supra, cap. 8. op. tom. 5. pag. 249.

<sup>q</sup> Inter Hieronymianas, num. 110.

<sup>r</sup> Pallad. hist. Lausiæ. cap. 43. Heraclid. Paradis. cap. 22.

totius vero vitæ quinquaginta et tres exegisset annos. Quum vero in<sup>8</sup> secundo senioris Theodosii consulatu, qui in annum æræ nostræ CCCLXXXVIII. indicit, monasticam primum vitam amplexatum illum fuisse constet: anno CCCLVII. natum, CCCC. episcopum ordinatum, et CCCCXX. historiam suam scripsisse colligimus. Postevinum enim ratio fugit, qui eum “ Alexandriam anno CCCLXXXVIII. ex eremo petiisse, commentariumque memoratum scripsisse,” asserit. In patria autem sua Bithynia creatum se episcopum testatur ipse<sup>†</sup>: in sede nimirum Helenopolitana, a qua ad Asponitanam in eadem Bithynia civitatem translatum ex Socrate<sup>9</sup>, ibidemque ante annum CCCXXXI. quo noster ad Scotos missus est Palladius, vitam finivisse ex Ephesini concilii actis intelligimus, quæ Eusebium Asponorum<sup>10</sup> Galatiæ episcopum consilio illi interfuisse memorant. Simul quoque adfuisse Palladium<sup>x</sup> Amasiæ Hellesponti episcopum eadem acta docent: quem eum fuisse, ad quem “ scripsit Cyrillus Alexandrinus dialogum de adoratione in spiritu, et quod lex evangelicæ vitæ umbra tantum typusque sit,” potius quam Scotorum hunc Palladium, quod opinatus est Balæus, prudens quivis judicaverit. Nam quod hunc etiam et Palladium Origenistam confundit idem, ex Prospero perspicue refellitur, CCCXXXIX. anno hunc et in diaconatus ordine positum, et Pelagianis adversatum fuisse confirmante: quum illum alterum anno CCCC. episcopum fuisse ordinatum ex ipsius Lausiaca historia ostenderimus, et Origenicam atque ex ea ortam Pelagianam hæresim instaurare conatum esse, in dialogorum adversus Pelagianos præmio declaraverit Hieronymus.

De nostro Palladio ista habet, in libro de scriptoribus ecclesiasticis, Joliannes Trithemius: “ Palladius Britannorum seu Scotorum insulæ Hiberniensis a Celestino papa primus ordinatus episcopus, natione Græcus, vir doctus et sanctus, sua dulcissima prædicatione gentem sibi commis-

<sup>8</sup> Heraclid. Paradis. cap. 1. et 2.      <sup>†</sup> Pallad. hist. Lausiac. cap. 43.

<sup>9</sup> Soerat. hist. ecclesiastic. lib. 7. cap. 36.

<sup>10</sup> Concil. Ephesin. Act. 1. pag. 322. 369. et Act. 6. pag. 444. edit. Roman. Græco-Latin.

<sup>x</sup> Ibid. Act. 1. pag. 321. 330. 344. 346. 367. et Act. 6. pag. 443.

sam ad fidem Christi convertit. Post quem sanctus Patricius genere Britus, a S. Celestino papa consecratus in archiepiscopum Hiberniensem, per annos quadraginta, signis et miraculis coruscans, totam insulam convertit ad fidem. Scripsit autem Palladius vitam sancti Johannis Chrysostomi." Et eum secutus, in catalogo testium veritatis, Guilielmus Eisengreyneus: " S. Palladius Britannorum seu Scotorum insulæ Hiberniensis a Celestino pontifice præsul ordinatus, natione Græcus, tum vitæ morumque integritate, tum sanctitatis fama clarus, cum rhetor omnium suo tempore celeberrimus habitus esset, B. Johannis Chrysostomi vitam doctissimo volumine eleganter et polite conscripsit."

In indice librorum Græcorum MSS. bibliothecæ Cæsareæ Viennensis, anno MDLXXIX. confecto annotatus reperitur Palladii Græci episcopi commentarius de vita Johannis Chrysostomi: qui quæsitus, non alius quam Georgii Alexandrini archiepiscopi fuisse deprehensus est; qui in præfatione se acta Chrysostomi cum ex aliis hausisse profitetur, tum " ἐκ τῆς γεγονυίας διαλέξεως παρὰ Παλλადίου τοῦ ἐπισκόπου πρὸς Θεόδωρον τὸν διάκονον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας, ex dissertatione quam Palladius episcopus cum Theodoro Romanæ ecclesiæ diacono habuerat." " Ἐπίσκοπος δὲ ὁ Παλλάδιος, καὶ διαλογικῶ τύπῳ καλῶς τε καὶ ἐσπουδασμένως τὰ περὶ τὸν Χρυσόστομον ἀνεγράψατο." Episcopus vero fuit Palladius, et dialogi forma pulchre ac studiose Chrysostomi res conscripsit:" inquit, in suis ex hoc Georgii opere excerptis, Photius<sup>v</sup>; Palladium hujus sermonis auctorem constituens, quem inter Palladium et Theodorum Georgius distribuerat. Palladii etiam nomine, in<sup>z</sup> quæstionibus Anastasio Nicæno episcopo tributis, et Palladii episcopi Helenopoleos, ab anonymo<sup>a</sup> Græco vitæ Chrysostomi scriptore productum illum invenio. Ut de Jodoco Coccio nihil dicam, cui aliquando

Phot. bibliothec. num. 96.

Anastas. Nicæn. quæst. 10. in Scriptur. tom. 1. bibliothec. Patr. edit. Paris. ann. 1589. col. 161.

<sup>a</sup> Oper. Chrysostom. tom. 8. pag. 293. Ed. Savil.

episcopum<sup>b</sup>, aliquando diaconum<sup>c</sup> Helenopolitanum appellare illum libuit.

Hunc dialogum e Græco in Latinum sermonem transulit Ambrosius monachus Camaldulensis: qui Venetiis primum anno MDXXXIII. seorsim, deinde anno MDLIII. in Aloysii Lipomani secundo tomo vitarum SS. Patrum; atque Parisiis demum anno MDLXXXI. et deinceps in variis operum Chrysostomi editionibus, typis excusus extat. Dialogo autem præfixum legitur hoc proœmium: “Cum venisset aliquando Romam Palladius Helenopolitanæ ecclesiæ venerandus antistes, Johannis illius sanctissimi viri Constantinopolitani episcopi jam vita functi discipulus, susceptusque fuisset cum honorifice a pontifice Romanæ sedis Zosimo beatissimo, cum a clero universo devotissime: inter cæteros, quibus ille familiaris est usus, Theodorus fuit ecclesiæ Romanæ diaconus. Is enim sancti viri doctrina casta et vitæ sanctitate delectatus, frequens illi aderat, imo, quoad licebat, nunquam a latere ipsius discedebat. Quadam autem die dum essent ambo simul, otiumque a curis omnibus mortalibus agerent, orta ex more collatione spirituali, hoc sermoni suo initium dedit episcopus.”

Quod proœmium, ut Palladii non esse, doctrinæ et sanctitatis illius prædicatio in eo facta palam loquitur; ita aliunde non parva suboritur suspicio, a recentiore aliquo Græculo vel compositum illud fuisse, vel saltem interpolatum, ad ipsius operis veritatem non accommodate satis. Cum enim colloquium hoc habitum ibi fuisse referatur, orta ex more collatione spirituali; ad primum potius congressum fuisse illud referendum ista dialogismi verba suadere videantur. “THEODOR<sup>d</sup>. Unde, quæso, ad nos advenisti pater? PALLAD. Ab oriente, frater, adveni; nuncque primum Romam vidi. THEOD. Quænam te maxime advexit causa?” et paucis interjectis: “Puto enim te esse ex Johannis Constantinopolitani episcopi sociis.” Deinde, Zosimo Romanam cathedram obtinente, colloquentes inter se isti introducuntur: unde et anno, quo ille sedere cœpit,

<sup>b</sup> Coec. Thesaur. Catholic. tom. 2. pag. 296.

<sup>c</sup> Ibid. pag. 611.

<sup>d</sup> Vit. Chrysost. tom. 2. Lipomani, fol. 301.

CCCCXVII. Romam venisse Palladium colligit Baronius<sup>e</sup>. At factum id Theophilo Alexandrino adhuc superstitite, quem in consulatu Honorii IX. et Theodosii V. hoc est, anno Domini CCCCXII. mortuum fuisse docet Socrates<sup>f</sup>, ejusmodi de eo dicta, in hoc dialogo passim occurrentia, satis indicant: “Ex<sup>g</sup> ipso quippe aspectu callet interiorum hominis voluntatem sententiamque dinoscere.” Et paulo post: “Si ejusmodi Theophilus est, tantoque viget acumine.” Item: “Est<sup>h</sup> ille natura fervidus, et temerarius, et audax, ac supra modum contentiosus.” Et sub operis finem: “Est<sup>i</sup> hæc Romanæ ecclesiæ sententia, non communicare in finem usque orientalibus episcopis, maximeque Theophilo, donec Dominus universalis synodi tribuat locum.”

Quin et ipsum colloquutionis hujus annum ita erui posse arbitrator. Tertiadecima<sup>k</sup> indictione, Asiaticorum episcoporum negotium tractari cœpisse et ad illud componendum, barbarico<sup>l</sup> Gainæ tumultu ingruente, Syncletium metropolitanum et Palladium Helenopolitanum episcopum a synodo Constantinopolitana missos, æstivo fervente<sup>m</sup> sole, Smyrnam descendisse, narrat in hoc dialogo Palladius alter. Factum igitur hoc anno æræ nostræ CCCC. in cujus exitu occisus est Gainas, et initio Helenopolitanus episcopus creatus est Palladius. Biennio<sup>n</sup> integro causam hanc agitatam fuisse addit dialogista, et a Johanne Chrysostomo in Ephesina septuaginta episcoporum synodo, dum<sup>o</sup> hyems esset, terminatam: quo tempore depositis aliquot episcopis, in locum defuncti nuper Ephesiorum ecclesiæ antistitis Heraclidem diaconum, natione Cyprium, et Evagrii monachi in<sup>p</sup> Scethi eremo discipulum (cujus nomini, ni fallor, condiscipuli sui Palladii Lausiaca historia,

<sup>e</sup> Baron. ann. 471. sec. 1.

<sup>f</sup> Socrat. hist. eccles. lib. 7. cap. 7.

<sup>g</sup> Tom. 2. Lipom. fol. 307.

<sup>h</sup> Ibid. fol. 312.

<sup>i</sup> Ibid. fol. 333.

<sup>k</sup> Ibid. fol. 319. b. Georg. Ἐπὶ τῆς τρισκαίδεκάτης ἐπινομήσεως τοῦ τότε διέποντος κύκλου. Georg. Alexandrin.

<sup>l</sup> Ibid. fol. 320. b.

<sup>m</sup> Ἦν γὰρ τὸ ἀκραφνὲς τῆς θερινῆς ὥρας. Georg.

<sup>n</sup> Ibid. fol. 321. a.

<sup>o</sup> Χειμερίας τῆς ὥρας οὔσης. Georg.

<sup>p</sup> Vid. Sozomen. hist. lib. 3. cap. 13.

Paradisi titulo, falso habetur adscripta) substitutum fuisse, præter alios, in ecclesiastica sua historia<sup>a</sup> refert Sozomenus.

Verum post quadriennium episcopos illos qui depositi fuerant sedibus suis restitutos esse, docet in eodem dialogo Palladius<sup>r</sup>; de Ephesiis speciatim deinde adjiciens; “Ordinantes tribuni Victoris eunuchum, in sede episcopi collocarunt: eum vero, qui a septuaginta episcopis fuerat ordinatus, carceri hactenus inclusum servant; virum ap-prime liberalibus disciplinis imbutum, et qui post vitam solitariam, ac divinarum literarum peritiam singularem, accersitus ex eremo, triennium diaconi fuerat perfunctus officio.” Unde colligimus, sub initium anni CCCCII. Ephesiorum episcopum ordinatum Heraclidem, anno CCCCVI. datum fuisse in custodiam; in communi videlicet illa persecutione, quæ<sup>s</sup> Palladium Helenopolitanum et reliquos qui Attico, hoc ipso anno Arcadio<sup>t</sup> VI. et Probo consulibus vivente adhuc Johanne in sedem Constantinopolitanam intruso, communicare noluerunt, similiter involvit. Quot vero annos in carcere ille exegerit, quum de ea calamitate dissereret Palladius, verba illa declarant: “Heraclides<sup>u</sup> Ephesius quadriennium jam Nicomediæ carceri inclusus est.” Ex quo inferimus, anno CCCCX. hoc inter Theodorum et Palladium habitum fuisse colloquium; Romanæ ecclesiæ adhuc præsidente Innocentio, non Zosimo, ut in vulgato hujus dialogi legitur proœmio. Neque enim illorum Georgii Alexandrini verborum ulla hic habenda est ratio.” “*Ἡρακλείδης ἐν τῇ εἰρκτῇ τῆς Νικομηδείας ἐνεκλείσθη ἐπὶ τετραετῇ καὶ πρὸς χρόνον.* Heraclides in Nicomediensi custodia conclusus est ad quadriennium, et ultra.” Quum illud, “*καὶ πρὸς*, et ultra,” non Palladii sed Georgii, qui quamdiu ultra quadriennium, a dialogista expressum, in carcere detentus fuerat Heraclides ignorabat, additamentum esse res ipsa satis indicet.

Neque in proœmio illo parum mihi suspectum et illud est quod, qui cum Theodoro hic sermonem confert, Palladius Helenopolitanæ ecclesiæ venerandus antistes ap-

<sup>a</sup> Lib. 8. cap. 6.

<sup>r</sup> Vit. Chrysost. tom. 2. Lipom. fol. 321. b.

<sup>s</sup> Ibid. fol. 305. a. b. 315. a. et 330. a.

<sup>t</sup> Socrat. hist. lib. 6. cap. 20.

<sup>u</sup> Tom. 2. Lipoman. fol. 330. a.

pellatur : quum in Cujaciano dialogi hujus fragmento MS. a Frontone Ducæo in notis suis edito, neque Palladius neque Helenopolitanus, sed incertus incertæ sedis episcopus fuisse perhibeatur. Ita enim appictus rubrica titulus ibi se habebat: “ Ἐκ τοῦ ἱστορικοῦ λόγου τῶν περὶ τοῦ Χρυσοστόμου ὑπὸ τινος τῶν ἐπισκόπων πρὸς Θεόδωρον διάκονον Ῥώμης λεχθέντος. Ex sermone historico de rebus Chrysostomi habito ab episcopo quodam cum Theodoro diacono Romano.” Atque in ipso contextu, ubi in Latina dialogi versione positus est PALLADIUS, in fragmento illo comparebat tantum ὁ ἐπίσκοπος. Et quidem episcopum se fuisse, quum Johanni Chrysostomo comes adhæsisset, illis verbis satis ipse indicat; “ Erasmus<sup>w</sup> cum Johanne quadraginta episcopi, tunc in episcopatus triclinio sedentes:” sed alium tum fuisse sedis Helenopolitanæ præsulem, non minus clare idem ipse significat. Professus enim se “ ne<sup>x</sup> punctum quidem temporis,” dum Asiaticorum episcoporum tractaretur negotium, a Johanne abfuisse; illo Constantinopoli manente, “ Palladium<sup>y</sup> Helenopolitanum episcopum” ad eorum causam cognoscendam in Asiam missum fuisse narrat. Et quum post mortem<sup>z</sup> Johannis se “ primum<sup>a</sup> Romam vidisse” noster hic testatus sit Palladius: prius Romam<sup>b</sup> Palladium episcopum Helenopoleos advenisse, viventisque Johannis causam ibi egisse confirmat Theodorus; quid<sup>c</sup> de illo postea actum fuerit ignorans, et ab<sup>d</sup> altero illo cum quo loquitur Palladio scire desiderans. Quibus et ipsius Helenopolitani Palladii testimonium addere liceat, qui se in Bithynia ordinatum episcopum, “ tempestatis<sup>e</sup> illius quæ sub sancto Johanne commota est interfuisse malis” innuit; ejusque causa Romam se profectum, a Piniano et juniore Melania ejus uxore hospicio ibi exceptum fuisse, in Lausiaca sua historia hisce verbis aperte indicat. “ Οὐ<sup>f</sup> μικρῶς

<sup>w</sup> Vit. Chrysost. 2. Lipom. fol. 310. b.

<sup>x</sup> Ibid. fol. 319. b.

<sup>y</sup> Ibid. fol. 320. b.

<sup>z</sup> Ibid. fol. 315. b. 333. a.

<sup>a</sup> Ibid. fol. 301. a.

<sup>b</sup> Ibid. fol. 304. b.

<sup>c</sup> Ibid. fol. 305. b.

<sup>d</sup> Ibid. fol. 329. b.

<sup>e</sup> Hieraclid. Paradis. cap. 22. κοινωνήσας τῇ περιστάσει τῇ κατὰ τὸν μακάριον Ἰωάννην. Pallad. Lausiac. hist. cap. 43.

<sup>f</sup> Pallad. hist. cap. 121.



δὲ καὶ ἡμᾶς πλείονας ὄντας ἐτίμησαν ἀπελθόντας ἐν Ῥώμῃ, διὰ τὸν μακάριον Ἰωάννην τὸν ἐπίσκοπον, καὶ ἀνέπαυσαν ἡμᾶς καὶ ξενοδοχείῳ καὶ ἐφοδίῳ δαψιλεστάτοις. Nec<sup>g</sup> nobis quidem et certe cum plurimi simul essemus qui Romam propter beatum episcopum Johannem perrexeramus, exigua præstiterunt: sed dum et in illis partibus degeremus, officiosissimo nos susceperunt hospitio, largissimisque sumptibus cum exinde proficisceremur honoraverunt.”

Idcirco audiendi non sunt, qui in dialogum de vita Chrysostomi, pro Blemmyorum episcopo, Helenopolitani antis-titis nomen errore librariorum irrepsisse suspicantur: ab Ambrosio Camaldulensi decepti, qui “Palladium<sup>h</sup> Blemmyorum sive Æthiopum episcopum servari prope locum qui Syene vocatur,” in Latina sua versione retulit. Quum episcopi vocabulum, ab interprete temere adjectum, tenebras historiæ hic offuderit; quæ non aliud voluit, quam Palladium illum, cujus superius mentio facta fuerat, Helenopolitanum episcopum, in<sup>l</sup> custodia esse “servatum apud Blemmyas Æthiopicis finitimos, in loco qui castrum Syenes vocabatur.” Id enim Græca illa sonant, a Georgio Alexandrino<sup>k</sup> ex dialogo hoc petita: Παλλάδιον Βλέμμων τῶν Αἰθιοπῶν ἐκγειπόνων φρουρεῖσθαι, Σύνῃς τοῦ Κάστρου καλουμένου τοῦ τόπου. Qui igitur in hoc dialogo cum Theodoro colloquitur Palladius, non Helenopoleos in Bithynia, cui Palladium Galatam, Evagrii discipulum, Lausiacæ scriptorem historiæ, eo tempore præfuisse ostendimus, sed vel Helenopoleos in Palæstina<sup>l</sup>, vel alterius alicujus ecclesiæ antistes est habendus. Et cujuscunque sedis ille fuerit episcopus, quum unam dialogi personam is sustineat et Theodorus alteram; ab hoc potius quam ab illo sermones istos literis memoriae fuisse commendatos, illa Theodori ad Palladium verba, cuius sine præjudicata opinione ea perpendenti facile persuaserint. “Volo<sup>m</sup> autem id sit tibi meæ

<sup>g</sup> Heraclid. Paradis. cap. 49.

<sup>h</sup> Tom. 2. Lipom. fol. 330.

<sup>l</sup> Ἐπὶ ἔνδεκ ἀμῆνας ἐν ζοφερῷ κελίῳ κρυπτόμενον: ut ipse de se confirmat, in historia Lausiaca, cap. 43.

<sup>k</sup> Tom. 8. oper. Chrysost. pag. 236. edit. Græc. Savil.

<sup>l</sup> Vid. supra, cap. 8. op. tom. 5. pag. 223. <sup>m</sup> Tom. 2. Lipom. fol. 329. b.

credulitatis argumentum, quod ea intentissime andivi quæ dicta sunt, memoriæque altius infixæ teneo; scripturæ forte tradenda per me, si Deus juverit, in memoriam generationis nostræ, et eorum utilitatem qui episcopatum desiderant."

Ista paulo diligentius persequi visum fuit, non solum ut appareret quam nullo nitèretur fundamento Trithemii et ejus sectatorum sententia, vitam hanc Chrysostomi Palladio Scotorum episcopo tribuentium; sed etiam quod a viris doctis hac in re varie peccatum fuisse animadvertèrem. Clarissimus Vossius<sup>n</sup>, a Scotorum quidem Palladio vitam Chrysostomi conscriptam fuisse recte negat; sed in vero auctore designando nonnihil aberravit, dum addit, "Is qui Chrysostomi vitam scripsit est Palladius Galata, Chrysostomi (vel Evagrii potius,) discipulus, episcopus Helenopolis: cujus hodieque dialogus exstat de vita Chrysostomi, in quo se colloquentem inducit cum Theodoro Romanæ ecclesiæ diacono; qui habitus, cum Zosimus pontifex esset." Baronius, initio quidem Palladium, Helenopoleos in Bithynia episcopum et Lausiacæ scriptorem historiæ, diversum ab illo fuisse statuit, qui in hoc dialogo interloquitur: postea vero utrumque<sup>p</sup> confundit, atque demum Palladium<sup>q</sup>, qui ex Romanæ ecclesiæ diacono Scotorum factus est episcopus, scripsisse ait "sub Zosimo papa res gestas S. Johannis Chrysostomi; nempe dialogum illum alterius Palladii episcopi Helenopolis cum Theodoro itidem Romanæ ecclesiæ diacono."

Possevinus quoque Palladii Galatæ<sup>r</sup> dialogum cum Theodoro extare dicit; eundemque dialogum Palladium<sup>s</sup> primum Hiberniæ episcopum scripsisse asserit; de aliis ejusdem scriptis alibi adjiciens, "Scripsit<sup>t</sup> librum contra Pelagianos, et librum homiliarum, et ad Celestinum librum epistolarum, et alia: sed ut pleraque periere, ita dolendum est extare non posse, unde pleraque illius pontificiæ lega-

<sup>n</sup> Voss. de historicis Latin. lib. 3. cap. 12.

<sup>o</sup> Baron. ann. 388. sec. 110.

<sup>p</sup> Id. ann. 400. sec. 61. et 417. sec. 1.

<sup>q</sup> Id. ann. 429. sec. 8.

<sup>r</sup> Possevin. apparat. sacr. in Palladio Galata.

<sup>s</sup> Id. in Johan. Chrysostomo.

<sup>t</sup> Id. in Palladio Britanno.

tionis in lucem erui possent." In hisce vero scutus ille est Baronium: qui Johanni Trithemio ea perperam tribuens, quæ Johanni Balæo<sup>v</sup> accepta erant referenda, de Palladii nostri scriptis ista retulit; "Palladius<sup>w</sup> diaconus apud Trithemium numeratur inter scriptores ecclesiasticos: nam præter vitam Johannis Chrysostomi ab ipso scriptam per dialogismum, in quo Palladius episcopus et Theodorus diaconus interloquuntur, librum etiam contra Pelagianos, et homiliarum librum unum, et ad Celestinum epistolarum librum unum, et alia Græco sermone ab eodem edita idem tradit. Utinam extaret liber ille Palladii epistolarum ad Celestinum: certe quidem, cuncta quæ in hac legatione ab eo gesta essent, fuisse accurate scriptis mandata illis epistolis, opinari possumus; cum nos illis carentes, de rebus magni ponderis memoria perpetua dignis, nihil præterea quam quæ dicta sunt ex Prospero, habeamus expressum."

Verum et vano illo dolore Possevinus, et inani illo voto Baronius supersedisset, si Balæi perspectam habuisset consuetudinem, non illa solum auctoribus tribuendi quæ scripta ab eis fuisse alicubi legisset, sed etiam quæ scribi ab illis probabiliter potuisse ipse conjecisset. A nostro enim Palladio quicquam literarum monumentis memoriæ posteritatisque proditum fuisse, nihil est quod faciat fidem. Quare ut aliunde quæ in Prospero desunt aliquo modo suppleantur; visum est ex rerum B. Patricii scriptoribus, quæ ad hanc Palladii legationem spectant, hic apponere. Sic igitur de ea scribit Ninius Britannus: "Missus est Palladius episcopus primitus a Celestino papa Romano ad Scotos in Christum convertendos: qui prohibitus est a Deo per quasdam tempestates: quia nemo potest quicquam accipere in terra, nisi de cælo illi datum fuerit. Et profectus est ille Palladius de Hibernia, pervenitque ad Britanniam, et ibi defunctus est in terra Pictorum." Et Matthæus Florilegus<sup>x</sup>: "Missus est Palladius episcopus a papa Celestino ad Scotos ad Christum convertendos. Qui primo verbum Dei in Scotia prædicans, tandem Britan-

<sup>v</sup> Balæ. centur. 14. num. 6.

<sup>w</sup> Baron. ann. 429. sec. 8.

<sup>x</sup> Flor. hist. ann. grat. 491.

niam pervenit, et in terra Pictorum defunctus est.” Et Probus Hibernus<sup>y</sup>: “Palladius a Celestino papa directus fuerat ad hanc insulam, sub brumali rigore positam, convertendam; sed prohibuit illum Deus convertere gentem illam: quia nemo potest accipere quicquam in terra, nisi datum ei fuerit de cælo. Immites enim et feri homines recipere nolebant doctrinam ejus: neque ipse longum voluit transfigere tempus in terra non sua, sed reverti disposuit ad eum qui misit illum. Cumque aggressus Palladius mare transmeasset, et ad fines Pictorum pervenisset, ibidem vita decedit. Audientes itaque de morte Palladii archidiaconi, discipuli ipsius qui erant in Britannia, id est, Augustinus, Benedictus et cæteri, venerunt ad sanctum Patricium in Eboriam, et mortem Palladii ei denunciabant.”

Qui vetere lingua Hibernica vitam Patricii descripsit, ita rem narrat: “Celestinus misit Palladium eximium diaconum, cum duodecim aliis, ad prædicandum Hibernis. Cumque in Laginiam advenisset Palladius, occurrens illi rex illius gentis Nathi filius Garrechon, inde eum expulit. Paucos tamen eo in loco sacri baptismatis lavacro ille abluit, ibique tres fundavit ecclesiolas I. Cell-fine: ubi libros suos reliquit, una cum scrinio et reliquiis quibusdam Petri et Pauli, necnon tabula in qua scribere consueverat. II. Teach na Roman, sive Ædem Romanorum. III. Domnach Arte: quam dicavit Silvestro et Solonio. Et cum ad suos revertere statuisset, morbo correptus in terra Pictorum<sup>z</sup> mortuus est.” Alius, qui Latine tribus libris acta Patricii explicavit, in eorum secundo de Palladii legatione ista retulit: “Anno ab incarnatione Domini CCCCXXX. beatissimus papa Celestinus archidiaconum Romanæ ecclesiæ, nomine Palladium, ordinavit episcopum, et ad Scotos convertendos ad Christum in Hiberniam ante sanctissimum misit Patricium; traditis ei BB. Petri et Pauli et aliorum sanctorum reliquiis, veteris quoque et novi Testamenti voluminibus datis.”

“Est autem Hibernia insula omnium occidentalium insularum post Britanniam maxima, serenitate acris saluber-

<sup>y</sup> Prob. vit. Patricii, lib. 1.

<sup>z</sup> Cruitnech.

rima, ut nullus propter hyemem secet ibi fœnum; nullusque serpens potest ibi vivere aut rana, sed et omnia quæ inde portantur valent contra venena: ultra quam ad occasum nulla invenitur habitabilis terra, nisi miranda loca quæ vidit S. Brendanus in oceano. Hæc jam insula proprie Scotorum est patria. Palladius ergo perveniens Hiberniam, in tribus locis ibi Christi fundavit ecclesiam. In plebe autem Nathi filii Garrehon, quæ dicitur modo Huagarrehon, construxit monasterium quod vocatur Scotice Ceall-mor: in quo usque hodie sunt ejus libri, et apostolorum reliquiæ. Discipuli vero ejus construxerunt monasterium, quod dicitur Scotice Teach na Romanach, id est, Domus Romanorum. Tertia autem ecclesia Domnach Arda, a Silvestro et Solonio S. Palladii discipulis est constructa. Palladius itaque paucos ad Christum convertens, et gentilium impetum ac ferocitatem ferre non valens, Hiberniam deseruit: et redire volens Romam, in provincia Pictorum, quæ modo est Scotia in Britannia, vitam finivit suam. Sanctus autem Patricius ad tale opus grande a Deo olim est præelectus. Habitatores enim Hiberniæ non receperunt doctrinam Palladii: quia non illi Deus donavit Hiberniam, sed S. Patricio servavit eam."

Apud Jocelinum<sup>a</sup> quoque de eadem Palladii legatione, similiter legimus: "Præmiserat papa Celestinus prædicandi gratia in Hiberniam, ante Patricium, alium doctorem nomine Palladium, archidiaconum scilicet suum: cui adjunctis sociis copiam contulit librorum, utrumque videlicet Testamentum, cum reliquiis apostolorum Petri et Pauli ac martyrum plurimorum. Hibernicis vero prædicationi ejus non credentibus, sed obstinatissime oppugnantibus, a regione illorum discessit; Romamque tendens, in Britannia infra fines Pictorum in fata concessit. Quosdam tamen in Scotia ad Christum convertens, baptizavit: tresque ecclesias de robore extractas fundavit; quibus discipulos suos prælatos, Augustinum videlicet, et Benedictum, Silvestrum et Solonium, collatis codicibus suis et reliquiis sanc-

<sup>a</sup> Jocelin. vit. Patricii, cap. 25. Vid. et cap. 105.

torum, reliquit. Huic, fructuosiori legatione et labore, S. Patricius successit: quia, ut Hibernico proverbio dicitur, non Palladio sed Patricio Dominus convertendam Hiberniam concessit."

Palladium, ex Hibernia reversum, in terra Britonum mortuum esse, Johannes Tinmuthensis significat: scriptorem vitæ Patricii secutus, quem in publica tum Oxoniensis tum Cantabrigiensis academiæ bibliotheca legimus, ita hac de re scribentem: "Celestinus alium prædicatorem, nomine Palladium, misit ante Patricium ad hanc insulam: sed habitatores ejus non susceperunt doctrinam ejus; quia non illi donavit Deus istam insulam, sed S. Patricio reservavit eam. Palladius vero reversus est ut iret Romam: sed mortuus est in regione Britonum." Sed cum Fordoni, in Meriæ provincia, vita functum fuisse in præcedente<sup>b</sup> capite docuerimus: aliorum quos recensimus sententiam veriore esse consequitur, qui eum in terra Pictorum vitam finisse tradiderunt: quanquam etiam in Tirechani episcopi collectaneis annotatum invenerim, Palladium "martyrium passum esse apud Scotos, ut tradunt sancti antiqui." Decimo octavo Kalendas Januarii fatis eum concessisse refert Balæus<sup>c</sup>: quod si verum, sub finem ejusdem anni, quo ad Scotos missum illum fuisse ex Prospero jam ostendimus, decessisse eum necesse est. Anno enim CCCCXXXII. proxime insecuto Celestinum Romanum pontificem mortem obiisse constat: a quo, post Palladium, missum huc fuisse B. Patricium, Ninius, Tirechanus, Maccuthenus, Probus, Marianus, Sigebertus, Jocelinus, Vincentius Bellovacensis, Matthæus Florilegus, Martinus Polonus, Antoninus Florentinus, et cæteri confirmant. Unde etiam Inisfallensium annalium collector, "Palladium hic uno anno mansisse, nec Romam pervenisse, sed in Britannia quievisse in Christo, admonet."

Ad annum igitur CCCCXXXII. S. Patricii in Hiberniam adventum non male in annalibus suis Johannes Clinus retulit: ad quem æræ Dionysianæ annum, Actii atque Valerii consulatu, et Theodosii junioris imperii, ab Ho-

<sup>b</sup> Suprà, cap. 15. pag. 210.

<sup>c</sup> Balæ, centur. 14. num. 6.

norii morte deducti, nono anno prænotatum, in Mariani Scoti MS. et ex eo expresso Florentii Wigorniensis chronico, annotatum invenimus: "Patricius sanctus genere Britus (vel Brito) a sancto Celestino papa consecratus, et ad archiepiscopatum Hiberniæ missus, ibi per annos LX. signis atque mirabilibus prædicans, totam insulam Hiberniam convertit ad fidem." Cum quibus et auctor ille consentit, qui tribus libris res B. Patricii enarravit; eorum postremum sic exorsus: "Anno nono regni Theodosii imperatoris, qui post Honorium regnavit, anno quarto Læogarii filii Neill regis Themoriæ, anno autem sexagesimo ætatis suæ missus a Celestino papa ad prædicandum in Hiberniam beatissimus archiepiscopus Patricius venit." Quandoquidem vero sexagenarius huc ille pervenisse memoratur; ne primam ætatis partem ingrato silentio præterisse videamur, tanti viri et de universa nostra Hibernia tantopere meriti primordia, ex iis qui supersunt vitæ ipsius scriptoribus, visum est repetere.

## CAP. XVII.

Varii actorum B. Patricii scriptores. Ejus patria, parentes, sorores, nepotes, servitutes, studia in Gallia et Italia, episcopatus et legationis Hibernicæ susceptio. Primi ejus in gentilitia superstitione debellanda conatus, et primum Pascha in Hibernia celebratum. Trimmensis, Louthianæ, Clochorensis, Armachanæ, Dubliniensis et Slebhtiensis ecclesiæ fundatio. Almoigh regis Connaciæ septem filii et Ængus rex Momoniæ, cum suis, ad fidem conversi. Postremum Patricii iter Romanum: et quid per triginta reliquos vitæ suæ annos ille egerit. De successoribus ejusdem, recessu ejus Avallonico, mortis tempore et sepulturæ loco. Tres sanctorum Hiberniæ ordines; et eorum in liturgia ecclesiastica, regulis monasticis, tonsura, observatione paschali, et mulierum contubernio, consuetudines variæ. Regum Hibernicorum, sub quibus illi claruerunt, tempora; et alia ad eosdem speciatim pertinentia.

PATRICII nostri acta omnium copiosissime Jocelinus Furnesii monachus descripsit; quæ Antuerpiæ anno MDXIV. opera Cornelii Hugonis Franciscanorum Hiberniæ provincialis vicarii, et post centum et decem annos Parisiis Thomæ Messinghami diligentia, typis publicata extant. Quorum vero consilio laborem hunc susceperit, in operis prologo Jocelinus ita patefacit: “Reverendissimi Thomæ Ardmachani archiepiscopi totiusque Hiberniæ primatis, et Malachiæ Dunensis præsulis, ad hoc opus aggrediendum præceptis perstringimur. Illustrissimi nihilominus Johannis de Curci Ulidiæ principis, qui et illam debellavit, super hac re petitio adjungitur, qui S. Patricii specialissimus dilector et venerator esse dinoscitur; cui obtemperare dignissimum arbitramur.” Factum hoc circa annum MCLXXXIII. ad quem a chronographo quodam Cestrensi annotatum invenimus: “Ivit quidam monachus de Cestra, nomine Willelmus de Etleshale, in Hulvæster ad Dun; et prioratum ecclesiæ S. Patricii ab



episcopo Malachia de Dun et a domino Johanne de Curci<sup>a</sup> suscepit.”

A plurimis jam olim idem tractatum fuisse argumentum, biographus ille, quem in publica Oxoniensis et Cantabrigiensi academiæ bibliotheca haberi diximus, breviter ita indicat: “Omnes libri qui de virtutibus Patricii scripti sunt, sexaginta sex numero computantur;” vel sexaginta tres, ut habet alter anonymus qui libris tribus acta illius descripsit. Id Jocelinus plenius hunc in modum explicat: “De<sup>b</sup> his quæ mirifice gessit in mundo, libelli vel tractatus referuntur conscripti sexaginta sex numero: quorum pars plurima principantibus Gurmundo<sup>c</sup> et Turgesio consumpta periit incendio. Quatuor tamen codices de virtutibus et miraculis ejus partim Latine et partim Hibernice conscripti reperiuntur: quos diversis temporibus quatuor discipuli ejus (videlicet beatus Benignus successor illius, et sanctus Mel episcopus et sanctus Lumanus pontifex nepos ejus, et sanctus Patricius filiulus ejus, qui post decessum patris sui Britanniam remeans in fata concessit, in Glasconiensi ecclesia sepultus honorifice) conscripsisse referuntur. Sanctus nihilominus Evinus simili modo actus S. Patricii in unum codicem compilavit, quem partim Latino sermone, partim Hibernico composuit. De quibus omnibus quæcunque fide digna reperire potui, in hoc opus collecta communicare notitiæ posterorum gratum duxi.” Ita Jocelinus.

Scriptorum vitæ Patricii qui typis excusi extant antiquissimus est Probus Hibernus; qui duos hac de re ad Paulinum libellos edidit, venerabilis Bedæ operum tomo tertio, sine auctoris nomine, insertos. Ipse tamen in secundi libri epilogo nomen suum sic aperuit: “Ecce<sup>d</sup> habes, frater Pauline, a me humili Probo postulatum nostræ fraternitatis indicium; quo nos pauperes aliqua tibi de sanctissimi patris nostri Patricii episcopi virtutibus scribere cupiebas.” Quandoquidem vero Mellonem sive Mellanium Britannum,

<sup>a</sup> Vid. Penbrigiæ annal. lib. ad ann. 1204. apud Camden. pag. 797.

<sup>b</sup> Jocelin. vit. Patricii, cap. 186.      <sup>c</sup> Vid. supra, cap. 14, pag. 92.

<sup>d</sup> Oper. Bed. tom. 3. col. 334. edit. Basil. ann. 1563.

Rhotomagensium de quo diximus<sup>e</sup> episcopum, Probi cognomento Balæus<sup>f</sup> (cum Possevino, Pitseo et aliis ejusdem sectatoribus) ornandum esse censuit; Dempstero<sup>g</sup> etiam hunc vitæ Patricianæ scriptorem Mellanium Probum Scotum appellare libuit. Quum, si ejusmodi cognomentorum a Balæo excogitatorum aliqua habenda esset ratio, Elvodugus Probus multo majore cum ratione quam Mellanius Probus ab eo nuncupari potuisset. Ab omni enim veri specie abhorret ut Mellanius, quem Dempsterus<sup>h</sup> anno CCLX. floruisse agnoscit, B. Patricii annis centum et duodecim post illud tempus in lucem editi et ducentis triginta duobus defuncti vitam et exitum literis commendaverit. Inter monumenta autem literaria quæ suis reliquit Elvodugus, Balæus<sup>i</sup> historiam Britannorum nominat, ex qua plura ait annotavisse discipulum ipsius Nennium, a nobis Ninium appellatum, quem de B. Patricio multa, eaque parum probatæ fidei, chronico suo Britannico inseruisse novimus. Quin et Patriciana Probi nostri historia, ut Gabriel Pennottus<sup>k</sup> monuit, “non ab omnibus recipitur, et in aliquibus falsa esse convincitur apertissime: atque permulta cum anili futilitate conjuncta et nonnulla a veritate evangelica omnino aliena” in ea contineri pronuntiavit, in præfatione librorum duorum de vita S. Patricii quos anno MDLXXXVII. Alexandro Farnesio Parmæ et Placentiæ duci dicatos, Antuerpiæ typis Plantinianis edidit avunculus meus Richardus Stanilhurstus.

A quibus anilibus commentis optarem ut reliqua etiam ejusdem argumenti scripta essent immunia: quorum, præter Probi et Ninii ista, quinque ante Jocelini ætatem exarata nobis videre contigit. Eorum primum, poema fuit Hibernicum, triginta quatuor distichis comprehensum, Dubhtach<sup>l</sup> poetæ discipulo Fiecho<sup>m</sup>, quem Slebhthiensi ecclesiæ, in Læsia<sup>n</sup> sive Reginæ comitatu, Patricius episco-

<sup>e</sup> Supra, cap. 7. op. tom. 5. pag. 174.

<sup>f</sup> Balæ. centur. 1. num. 31.

<sup>g</sup> Dempster. hist. eccles. lib. 15. num. 1001. pag. 523. et 527.

<sup>h</sup> Id. lib. 12. num. 924. pag. 488.

<sup>i</sup> Balæ. centur. 1. num. 67.

<sup>k</sup> Pennot. in clericorum canonic. hist. lib. 2. cap. 35. sec. 4.

<sup>l</sup> De quo Jocelin. cap. 41.

<sup>m</sup> Id. cap. 115. et 117.

<sup>n</sup> Laigis.

pum præfererat, attributum. Secundum collectanea Tirechani episcopi complectebatur, quæ ex ore vel libro Ultani Conchubernensis episcopi, cujus ipse alumnus fuerat, scripsisse dicebatur. Tertium titulos tantum capitum vitæ Patricii continebat, quam ad Aidum, Slebhtiensis item civitatis episcopum, Maccuthenus scripserat. Quartum acta Patricii tribus libris explicata continebat: quæ tripartiti operis titulo sæpius citamus. Quintum lingua Hibernica ab anonymo quodam consignatum erat: qui S. Patricium a Columba sive Columchille Felimæi<sup>o</sup> filio, Ultano filio Conchobhair, quem Ardbreacanensem appellant, Adamnato Attiniensi, Helerano sapiente, Ciarano de Belaigduin, Ermedacho Clochorensi episcopo, Colmano Vama-chensi, et Crumthir Collait de Druim-roilgeach, celebratum memorat.

De genere suo ita scribit ipse Patricius, si modo titulus non fallat, in epistola ad Coroticum tyrannum: "Ingenuus fui secundum carnem de<sup>o</sup> corione patre nascor." Et in confessione sua: "Patrem habui Calpornium diaconum, filium quondam Potiti presbyteri, qui fuit in vico Bonavem Taberniæ." Similiter Probus, libro primo de vita ipsius: "Hic in Britanniis natus est a patre Calpurnio diacono, qui fuit filius Potiti presbyteri, et matre Concessa nomine, de vico Bannava, Tyburniæ regionis, haud procul a mari occidentali." Et Jocelinus capite primo: "Extitit vir quidam Calpurnius nomine, filius Potiti presbyteri, Brito natione, in pago Taburnia vocabulo, hoc est, tabernaculorum campo (eo quod Romanus exercitus tabernacula ibidem fixerit) secus oppidum Emphthor degens, mari Hibernico collimitans habitatione." Ubi scholiastes illius Taburniam sitam esse in Cornubia male annotat: quum natale Patricii solum, inter castrum Dunbritannicum et civitatem Glascuensem positum, accepto ab ipso nomine, Kirk-Patrick vel Kil-Patrick hodie dicatur; ubi et olim vallum illud terminatum fuisse ostendimus<sup>q</sup>, quod a Romanis Barbaros discludebat. Hanc enim extremam Romanorum in Britannia provinciam, quarto fere ante natum

<sup>o</sup> Supra, cap. 15. pag. 230.

<sup>p</sup> Fort. *decurione*.

<sup>q</sup> Supra, cap. 15. pag. 131.

Patricium anno, Theodosius<sup>r</sup> comes ab hostium potestate recuperatam Valentiam nominaverat : ad cujus limitem, inter Glottam et Bodotriam porrectum, stationem habuit illa a Claudiano<sup>s</sup> commemorata,

— Extremis legio prætenta Britannis ;  
 Quæ Scoto dat fræna truci, ferroque notatas  
 Perlegit exanimis Picto moriente figuras.

Genitum fuisse Patricium in Nemthur, Fiechus Slebhtiensis ut concessum sumit : quem locum vetus illius interpres in septentrionali Britannia parte situm, et Aileluade dictum fuisse ait : illum extremum intelligens Britannicae ditionis limitem, de quo Beda : “ Est<sup>t</sup> sinus maris permaximus, qui antiquitus gentem Britonum a Pictis secernebat. Qui ab occidente in terras longo spatio erumpit, ubi est civitas Britonum munitissima usque hodie, quæ vocatur Alcluith. Ad cujus videlicet sinus partem septentrionalem Scoti advenientes, sibi locum patriæ fecerunt.” Et Rogerus Hovedenus, in annalium parte priore : “ Anno DCCLVI. (qui fuit post Bedæ mortem vigesimus primus) Eadbert rex (Nordanhumbrorum, qui et Egbert dictus) et Unnust (sive Oengus, quem anno DCCLXI. obiisse, ex eodem Hovedeno et appendice ad Bedæ epitomen historiae Anglorum adjecta, liquet) rex Pictorum duxerunt exercitum ad urbem Alchuit ; ibique Britones inde<sup>u</sup> conditionem receperunt, prima die mensis Augusti.” Ea hodie castrum Dunbritannici nota est : in quo et Patricium natum fuisse, in sua Scotia descriptione Johannes Hardingus retulit : a quo castro oppidum illud Emphthor sive Nemthur non procul abfuisse, etiam illa Jocelini indicant : “ Erat<sup>w</sup> in quodam promontorio supereminenti præfato oppido Emphthor munitio quædam extracta, cujus adhuc murorum apparent ruinosæ vestigia, &c. Est autem locus celebris in valle Clud situs, lingua gentis illius Dunbretan, id est, Mons Britonum nuncupatus.”

<sup>r</sup> Supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 121, 122. et cap. 15. pag. 116.

<sup>s</sup> Claudian. de bello Getico : supra, pag. 310, 311.

<sup>t</sup> Bed. hist. lib. 1. cap. 1.

<sup>u</sup> In *deditionem* (Kilm.)

<sup>w</sup> Jocelin. vit. Patric. cap. 11.

Quia vero hodie, mutatis priscis regionum terminis, castrum illud Dunbritannicum non, ut olim, ad Britonum sed ad Scotorum ditionem spectat : inde fortasse factum, ut aliqui B. Patricium Scotum fuisse dixerint : nisi hinc potius errorem ortum fuisse existimemus ; quod in antiquis martyrologiis Bedæ, Usuardi, Rabani et Adonis, “ decimus sextus Calendas Apriles in Scotia natale (vel ut Notkeri<sup>x</sup> martyrologium habet, nativitas) S. Patricii episcopi” annotatum reperiatur. Quum tamen, ut natalis nomine non ortus sed obitus, ita etiam Scotiæ vocabulo non Albania sed Hibernia terra designetur. Quod et in suis ad martyrologium annotationibus observat Petrus Galesinius, et novi martyrologii Romani textus confirmat, in quo legitur : “ In Hibernia natalis sancti Patricii episcopi et confessoris, qui primus ibidem Christum evangelizavit, et maximis miraculis et virtutibus claruit.” Ubi tamen ille (ut ex literis D. Rothæi, ante annos quindecim ad me datis, hoc ἐν παρόδῳ moneam) non simpliciter “ primus prædicator fidei in Hibernia est accipiendus ; sed primus et primarius honore, virtute, zelo, opere, sanctitate et efficacitate conversionis omnium consummatissimæ.”

Sigebertus Gemblacensis in anno CCCXCIV. S. Patricium Scotum appellat : in anni tamen CCCXXXII. historia genere Britonem fuisse agnoscit. Matthæus Florilegus postquam in anno CCCXCIV. Sigebertum secutus, “ S. Patricium Scotum in Hiberniam venditum cum suis sororibus fuisse” dixisset ; in anno CCCXCXI. ita narrationem invertit : “ Cum esset natione Hibernensis, a patre cum duabus sororibus suis in Scotiam venditus est.” Scotum Hiberniensem fuisse, Baronius<sup>y</sup> quoque innuit : ad locum illum Sigeberti proculdubio respiciens : “ Sanctus Patricius Scotus in Hibernia cum suis sororibus venditur.” Ubi tamen Scotis legendum, Stephani Viti conjectura est haudquaquam aspernanda. Guilielmus Caxtonus, vel quicumque legendæ aureæ Anglicanus fuit interpres, Cambro-Britannum fuisse significat, patriam ejus

<sup>x</sup> Supra, cap. 16, pag. 279.

<sup>y</sup> Baron. ann. 431, sec. 191. et ann. 491, sec. 20.

Pendiac, pro Pepidiauc<sup>z</sup>, nominans juxta vallem Rosinam. Humfredus Lhuydus<sup>a</sup> etiam in Rosea valle natum asserit: de qua Giraldus: "Dicitur<sup>b</sup> locus, ubi ecclesia Menevensis sita est et in honore B. Andreae apostoli primo fundata, vallis Rosina: quæ tamen Marmorea potius quam vel Rosea vel Rosina dici posset; quoniam rosis minime, marmore vero plurimum abundat." Et quia eo aliquando secessisse, et monasterium<sup>c</sup> ibi fundavisse Patricius ferebatur; etiam natum ibidem fuisse, opinandi data inde est occasio.

In baptismo vero haudquaquam Patricium, ut Jocelinus<sup>d</sup> voluit, sed Succat a parentibus fuisse dictum, non Sigebertus solum Gemblacensis et Florentius Wigorniensis Jocelino priores, sed etiam carmina Fiecho Slebhtiensi episcopo tributa confirmant; in quibus et Succat filius Calpuirnd filii Otidi (sic enim ibi appellatur, qui aliis Odai-ge, Potaid et Potitus dicitur) filii Odissi fuisse memoratur. Antiquus Fiechi scholiastes Suc-cath lingua Britannica Deum belli vel fortem bello significare notat: et genealogiam ulterius protendens, Odissum filium Gornuid fuisse ait (Cornutum et Cormacum alii nominant:) eumque filium Merevid (alii Liberudi vel Libairni) filii Otæ (alii Odonis) filii Muric (alii Mavric) filii Oric, filii Leonis, filii Maximi, filii Hencredi (alii Eancreti) filii Feirin, filii Britti (alii Britani) a quo sunt Bretani nominati. In aliis quæ penes me sunt sanctorum Hiberniæ genealogiis, inter Eancretum et Ferineum, interponitur Eirisus et pater illius Pilistus; atque Britanus sive Brittu ille, Britannicæ gentis auctor, filius fuisse dicitur Fergusii, filii Nemedi, illius nimirum, de quo Ninius: "Secundus ad Hiberniam venit Nimeth quidam filius Agnominis, qui fertur navigasse super mare annum et dimidium: et postea tenuit portum in Hibernia, fractis navibus ejus; mansit-

<sup>z</sup> Vid. supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 507.

<sup>a</sup> Lhuyd. fragment. Britan. descript. fol. 63. b. Vid. Camd. in Penbrokeshire, pag. 511.

<sup>b</sup> Girald. Itinerar. Cambriæ, lib. 2. cap. 1.

<sup>c</sup> Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 3. supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 106.

<sup>d</sup> Joeclin. vit. Patric. cap. 1.

que ibidem per multos annos." Et Giraldus Cambrensis : " Nemedus<sup>e</sup> Agnomini filius, natione Scythicus, cum quatuor filiis ad desolatæ litora terræ devectus est. Starium, Gerbanelem, Anninum, Fergusiumque hic filios habuit."

Mater Patricii Conchessa, in Anglo-Saxonico Exoniensis ecclesiæ martyrologio Contablata, in opere tripartito et alio vitæ B. Patricii scriptore ex academiæ Oxoniensis et Cantabrigensis bibliotheca a nobis jam producto, Conches filia Ocinis vel Ochinis, in libro Ballimotensi Comceas vel Cochmas filia Ochmais, a Fiechi Slebhtiensis scholiasta Conces filia Ochmuis, appellatur: et Martini, celeberrimi illius Turonensium episcopi, ab aliis<sup>f</sup> soror, a Jocelino<sup>g</sup> et alio biographo anonymo sororis filia rectius fuisse traditur. Cum enim eam Francam, vel Gallam potius, Hibernici nostri scriptores fuisse dicunt, et Sabariæ<sup>h</sup> in Pannonia Martinum natum fuisse constet: vero est similis, sororem illius in eadem Pannonia natam, fratrem in Galliam fuisse secutam, et Gallo cuidam Ochmuis dicto collocatam, Patricii matrem Conchessam ibidem peperisse. Qua autem occasione ex Gallia in Britanniam illa transmigraverit, idem Jocelinus<sup>i</sup> ita aperit: " Calphurnius duxerat in uxorem puellam Francigenam Conques vocatam, B. Martini Turonorum archiepiscopi consanguineam, forma atque morum elegantia egregiam. De Galliis namque abductam, cum sorore priore natu, ad aquilonaes partes Britanniae in obsequium patris sui venditam adamavit; ejusque moribus delectatus, delinitus obsequiis, illectus pulchritudine, illam ex ancillari famulatu in conjugale con-

<sup>e</sup> Girald. Topograph. lib. distinct. 3. cap. 3.

<sup>f</sup> Sigebert. chronic. ann. 432. Florent. Wigorn. ann. 372. Vincent. specul. hist. lib. 20. cap. 23. Annal. Waverleiens. ann. 433. Ranulph. polychronic. lib. 4. cap. 29. Eulog. hist. lib. 2. et 4. Henr. Marleburg. chron. ann. 376. Werner. Fascic. tempor. Antonin. chronic. tit. 11. cap. 1. sec. 2. Offic. canonicor. regular. Lateranens. a Pio V. confirmat. Baron. ann. 431. sec. 191.

<sup>g</sup> Jocelin. vit. Patric. cap. 22. et Gabr. Pennot. hist. clericor. canonic. lib. 2. cap. 34. sec. 1. et lib. 3. cap. 50. sec. 2.

<sup>h</sup> Sever. Sulpit. lib. de vita Martini, cap. 1. Sozomen. hist. ecclesiast. lib. 3. cap. 14. Gregor. Turonens. hist. Franc. lib. 1. cap. 34. et lib. 10. cap. 31.

<sup>i</sup> Jocelin. cap. 1.

sortium promovit. Soror vero illius, alteri tradita viro, habitabat in Emphor oppido prænominato."

Anno æræ Christianæ, CCCLXXII. secundum Dionysium, "S. Patricium natum in Britannia ex patre Calprun nomine, qui presbyter fuit, filius diaconi nomine Fodit," in Florentii Wigorniensis chronico legimus. Cui et auctoris illius rationes qui libris tribus res S. Patricii descripsit, et aliorum qui sexagenarium huc eum a Celestino missum advenisse tradiderunt, consentaneas fuisse, in fine præcedentis capituli declaravimus: a quibus quare alii discesserint, justam adhuc causam non videmus. Henricus enim Marleburgensis "anno gratiæ CCCLXXVI. S. Patricium natum in Britannia majori" fuisse refert. Jocelinus, anno<sup>k</sup> ætatis suæ centesimo et vigesimo tertio atque incarnationis<sup>l</sup> Dominicæ CCCXCIII. decessisse scribens, in annum CCCLXX. nativitatem ejus ea ratione conjicit. Probus annos vitæ centum et triginta duos illi tribuit: qui ab anno illo CCCXCIII. subducti, annum Christi CCCLXI. nobis exhibent: quo in lucem editum fuisse Patricium, etiam in libro de Glastoniensis ecclesiæ antiquitate Guilielmus Malmesburiensis, et in ipso vitæ Patricii a se conscriptæ initio Stanihurstus noster prodidit. Nini scholiastes, qui Patricium octogenarium huc advenisse vult, in annum CCCLII. ejus nativitatem ea ratione conjicit. Giraldus Cambrensis, "anno<sup>m</sup> ætatis suæ, centesimo et vigesimo ab incarnatione Domini CCCLVIII." obiisse illum statuens, anno CCCXXXVIII. natum fuisse consequenter dicit. Connacienses denique annales, majore adhuc prochronismo, "natum S. Patricium anno Christi CCCXXXVI. sub Constante imperatore" statuunt: quum Constantis tamen patrem Constantinum Magnum anno demum æræ nostræ CCCXXXVII. Maii vigesimo secundo, ipso Pentecostes die, Feliciano et Titiano consulibus, imperium cum vita terminavisse constet.

Fiechianus scholiastes Patricium una cum patre, matre, fratre et quinque sororibus, relicta Ailcluada Britannica,

<sup>k</sup> Jocelin. cap. 191.

<sup>l</sup> Id. cap. 196.

<sup>m</sup> Topograph. Hibern. lib. 3. cap. 17. post. 458.



austrum versus itinere suscepto et Muirnict sive mari Ict transmisso, ad Britanniam Armuirc-læthanam venisse atque apud Britones Leteoc (illi, Lætos et Letavienses aliis) dictos, inter matris Conchessæ cognatos, consedisse narrat. Est autem mare Icht, ut ex Albei etiam et Declani vitis didicimus, illud quod Galliam et Britanniam interfluit; Britannia Armuric-læthana, Britannia Aremorica, hoc est, ante mare (veteres enim Galli *are* ante, *more* dicunt mare, et ideo morini marini: ut ad calcem antiqui itinerarii Hierosolymitani a P. Pithæo editi annotatum legimus) vel Letaviæ (id est, universæ illius Gallicanæ provinciæ quam post hæc, de quibus nunc agimus, tempora a novis advenis Britannia minoris nomen accepisse declaravimus<sup>n</sup>) vel Alethæ (notissimi ejusdem provinciæ portus, quem a Maclovio Britanno Saint Maloes hodie appellatum ostendimus<sup>o</sup>) collocata. Fratrem autem B. Patricii Deochoin Sannan appellatum fuisse ait: qui pater alterius illius Patricii fuisse videatur, quem ex Jocelino jam<sup>p</sup> diximus, post decessum patru sui Britanniam repentem in Glasconensi<sup>q</sup> (ut prima legit editio) vel Glastonensi<sup>r</sup> (ut in eo quo ego usus sum habetur manuscripto) ecclesia sepultum fuisse honorifice. Quinque sororum nomina ab eo recensentur ista: Lupait, Agris, Liamain, Darrerca, Cinnenum.

Earum prima Lupita virgo erat: quam in monasterio sanctimonialium, ad orientalem civitatis Armachanæ partem in illius honorem extracto, sepultam fuisse scripti tripartiti auctor retulit. Secunda, in Florentii Wigorniensis chronico Tigris, a Jocelino Tigridia appellatur, qui numerosam ejusdem prolem ita memorat: "Tigridia, felici fœcunditate ditata, fructus optimos protulit: quia septemdecim filios et quinque filias edidit. Omnes mares, magni meriti pontifices, sive sacerdotes optimi et monachi fuerunt: fœminæ vero sanctimoniales effectæ, in magna sanctitate dies consummaverunt. Episcoporum nomina, Bro-

<sup>n</sup> Supra, cap. 12. op. tom. 5. pag. 483.

<sup>o</sup> Ibid. cap. 14. pag. 51.

<sup>p</sup> Supra, pag. 373.

<sup>q</sup> Vid. ibid.

<sup>r</sup> Vid. supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 136.

<sup>s</sup> Jocelin. cap. 50.

chadius, Brochanus, Mogenochus et Lumanus fuerunt: qui cum S. Patricio avunculo suo de Britannii in Hiberniam venientes, et in agro Dominico strenue collaborantes, messem multam ad horrea cœlestia transmittendum collegerunt." Præter hos, alios etiam episcopos ejusdem filios, inter quos Manis, Hiforgnidiu, Lacuireniu, Hicill, Dumi, Gluinn, et maritum Gollit Britannum a Tirechano nominatum observo.

Tertiæ sororis obitum in Hibernicis annalibus anno DXVIII. ita consignatum reperi: "Quies Darercæ, quæ Moninne nominata est." Ut hac fortasse vocis homonymia deceptus Conchubranus<sup>t</sup>, Moninnam quæ S. Patricii tempore claruit cum posteriorum temporum sive Monenna sive Modwenna confuderit. Nostram vero "Darercam, in thoro maritali viventem, genuisse novem sanctos episcopos et duas sanctas virgines," in opere tripartito legimus. Ex maritorum uno, cui nomen Conis, eam Mel, Riochum et Munium suscepisse, qui "in prædicatione atque itinere B. Patricium comitabantur, et in locis diversis pontificalem dignitatem sortiebantur," Jocelinus<sup>u</sup> indicat: de Riochi, quum esset adhuc custos codicum S. Patricii, pulchritudine externa simul et interna hæc etiam alibi<sup>w</sup> adjiciens: "Erat ipse natione Brito, gradu tunc diaconus, sancti præsulis consanguineus, speciosus forma præ filiis hominum in finibus illis degentium. Erat nihilominus homo vitæ sanctissimæ: ut dicere posset ex sententia illud Psalmistæ; *Domine<sup>x</sup>, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.*" Abbatem Inis-bofindiæ factum S. Ædi vitæ scriptor hisce verbis prodit, "Venit sanctus episcopus Ædus ad insulam Bofinde id est, vaccæ albæ, quæ est in stagno Righi; et suscepit eum S. Risch abbas illius loci honorifice. Monasterium enim clarum in illa insula est, quod ex nomine insulæ nominatur." Insulam hanc, inter Connaciam et Longfordiæ comitatum positam atque ecclesiasticæ Arda-chadensis episcopi ditioni subditam, Sinei fluminis lacus Logh-ric dictus nobis exhibet. Ejusdem vero nominis

<sup>t</sup> Supra, cap. 15. pag. 248.

<sup>w</sup> Jocelin. cap. 84.

<sup>u</sup> Jocelin. cap. 50. et cap. 102.

<sup>x</sup> Psal. 30. ver. 7. al. Psal. 29. ver. 8.

et alia est, a Beda<sup>v</sup> descripta, “ Parva insula; quæ ad occidentalem plagam ad Hibernia procul secreta, sermone Scotico Inis-bo finde, id est, insula vitulæ albæ nuncupatur.” Eam in hodierna Scotia frustra quærit Dempsterus<sup>z</sup>: quum, e regione Maionensis litoris in Connacia positam nomen adhuc integrum retinere, compertum habeamus.

Restituti, alterius Darercæ mariti, (licet in Connacien-sibus annalibus, ad annum CCCCXLVI. Restituti uxorem Culmanam Patricii sororem nominatam inveniam) septem in sanctorum Hiberniæ genealogiis enumerantur filii: “ Sæchnall episcopus, Nechtain episcopus, Dabonna sanctus, Magornan sanctus, Darioc episcopus, Auxilius episcopus, et Lugnath sanctus.” Inter hos celebriores erant Sæchnallus et Auxilius: quorum prior Latino Secundini, posterior Hibernico Usaili nomine notus est. Secundinum eodem fere tempore quo avunculum ipsius Patricium in lucem editum fuisse, ex annalibus Ultoniensibus colligo; qui anno æræ nostræ “ CCCCXLVIII. ætatis suæ septuagesimo quinto quievisse” illum significant. Quievisse autem in medio discipulorum suorum, CLX. monachorum, quorum singulis valedixit et osculum pacis præbuit, scriptor vitæ illius indicat. Is auctor habetur hymni alphabetici in laudem Patricii compositi: de quo antiquus scriptor Hibernus, in hymni illius argumento: “ Sechnall, filius Restituti de Longobardis et Darercæ sororis Patricii, fecit hunc hymnum. Et Secundinus Romanum nomen ejus, Sechnall Hibernicum.” Et Jocelinus, in vita Patricii, capite centesimo septuagesimo septimo, “ S. Secundinus, sapiens et literatus, dixit S. Patricio, velle sibi adjacere, de sancto quodam adhuc superstite carmen componere. Et quia sanctus idem erat Patricius, de quo scribere disposuit, illius nomen silentio suppressit. Ad quem S. Patricius:—Si id omnino cordi tuo infixum fuerit, quod facere disponis, fac citius; quia mors tibi adest in januis. Omnium enim episcoporum qui sunt in Hibernia de seculo primus migrabis. Hymnum igitur in laudem S. Patricii composuit:

<sup>v</sup> Bed. hist. lib. 4. cap. 4.

<sup>z</sup> Dempster. apparatus. ad hist. Scot. lib. 1. cap. 15. sec. 4.

et paucis postea diebus clapsis, juxta verbum S. Patricii, diem ultimum clausit; sepultusque in ecclesia sedis suæ, in loco qui vocatur Domnach-seachlain, crebris se miraculis cum Christo vivere ostendit:” Hæc Jocelinus: cum quibus et illud conferendum, quod in vita Declani legitur: “Seachnallus discipulus S. Patricii, de quo fertur quod ipse primus episcopus sub humo Hiberniæ exivit, fuit vir multum sapiens et sanctus.” Ubi de episcopali illius sede hoc obiter notandum, ab ipso sancto eam nomen accepisse. Ut enim Domnach sive Dominica ædem sacram denotat, non in B. Patricii modo (quod in capite nonagesimo primo Jocelinus innuit) sed in nostra etiam vulgari loquendi consuetudine, qua Kirk et Church a *Kypiakῆ*<sup>a</sup>, hoc est, Dominica deductam eodem sensu usurpamus: ita Shachlin populari sermonis usu recepta est hujus sancti appellatio: locusque ille, ejus memoria apud Midenses adhuc ccelebris, in charta donationis Hugonis de Lacy, ab Eugenio Clunardensi sive Midensi episcopo anno MCLXXXIII. confirmata, Dovenach-sakelin, tempore hodierno Don-schachlin nuncupatur: ubi etiam de instituenda Cantaria in ecclesia sancti Secundini episcopi decretum in regni comitiis anno septimo Edvardi IV. editum fuisse comperimus.

De Auxilio in opere tripartito ita legimus: “Ad fines Laginensium gloriosus pontifex Patricius perrexit: et crediderunt ei filii Dunlainge, qui tenebant potestatem aquilonalem Laginensium, et baptizati sunt. Et ordinavit ibi unum de discipulis suis nomine Auxilium, virum sanctum et pium, episcopum: et dimisit eum in provincia Laginensium, quæ est quinta pars Hiberniæ contra mare orientale. Qui Auxilius, post multa miracula, in sua civitate quæ dicitur Ceall-usalli in planitie Laginensium sanctam finivit suam vitam.” Anno nimirum æræ nostræ Christianæ CCCCLX. si Ultonienses annales sequi volumus, apud Kildarienses, in loco qui ab ipso Ædis Auxilii (id enim Ceall usalli sonat) nomen accepit, Kil-ussi hodie corrupte appellatus.

Sed a nepotibus Patricii ad ipsum Patricium jam redeo:

<sup>a</sup> Vid. Walafrid. Strab. de reb. eccles. cap. 7.

de cuius prima captivitate, in Florentii Wigorniensis chronico, ad annum vulgaris æræ Christianæ CCCLXXXVIII. referuntur ista: “ S. Patricius cum duabus sororibus suis, id est, Lupuit et Tigris venditur in Hiberniam. Et ipse quidem S. Patricius venditur ad regem nomine Miluc, filium nepotis Buani, in aquilone Hiberniæ; cuius porcorum pastor erat Patricius; et Victor angelus sæpè loquebatur cum eo. Duæ vero sorores ejus venditæ sunt in Conaelle Muirtemne;” quam in Louthiano comitatu positam, S. Brigidæ et Monennæ sive Modwennæ patriam fuisse, supra<sup>b</sup> indicavimus. Fiechianus scholiastes, et qui lingua Hibernica vitam Patricii descripsit, septem filios Sectnaidi vel Fechmaidi majoris Britanniæ regis, classe in Armoricam sive Armuric-læthanam Britanniam delatos, magnam inde prædam cepisse, vulneratoque Calphurnio liberos illius Patricium et Lupitam secum in Hiberniam abduxisse, atque hanc in Conailli Muirthemne, illum in septentrionali parte Dal-araidæ vendidisse produnt. Posterior etiam ille scriptor, cum Florentio consentiens, non Lupitam solam sed etiam Tigridem sororem in Conallia venditam fuisse ait. Alius autem qui Latine acta Patricii edidit antiquus auctor illum ex patria sua Britannia, quod ipse etiam in confessione sua innuit, a Scotiis sive Hibernicis piratis huc traductum narrat: “ Causa,” inquit, “ hæc erat primæ peregrinationis atque adventus Patricii in Scotiam. Scotiensis exercitus, classario more, conducta stipataque multitudine navium, cum frequenter transnavigasset in Britanniam, multos inde ducebat captivos. Et hoc idem solite faciens, casus tulit ut ipse cum sorore sua (Lupita) inter alios captivos deprehensus duceretur in Scotiam; qui centum, annumerato utroque sexu, erant.”

De eodem operis tripartiti auctor: “ Eo tempore quædam classis prædavit patriam in qua S. Patricius erat, et multos inde captivos consueto more ducebat: inter quos S. Patricius cum duabus sororibus suis (quas ille Lupitam et Darcarcham fuisse ait) captivus ductus est ad Hiberniam. Et ipsi qui cum Patricio captivi ducti sunt, numero cen-

<sup>b</sup> Supra, cap. 15. pag. 163, 248.

tum utroque sexu erant." Et Jocelinus, capitulo decimo tertio: "Cum ipse puer illustris tria lustra perlustrasset, sextumdecimum attingens annum, cum aliis pluribus compatriotis, a piratis fines illos deprædantibus rapitur, captivatur, et in Hiberniam ducitur. Cuidam deinde regulo paganissimo, Milchoni nomine, in aquilonali parte ejusdem insulæ principanti, in servitum venditur; in qua videlicet ætate Joseph in Ægypto venundatus fuisse memoratur." Nempe Joseph sedecim<sup>e</sup> fuisse annorum, in editione vulgata Latina ille legerat; ubi Hebraica, Græca, Samaritana, Chaldaica, Syriaca, et reliquæ habent septemdecim. Sedecim vero fuisse annorum B. Patricium, quum captivus est abductus, non Fiechus solum Slebhtiensis cum aliis, sed quæ ipsi etiam Patricio tribuitur confirmat confessio; in qua ista legimus: "Annorum eram tunc fere sedecim. Deum verum ignorabam: et Hiberione<sup>d</sup> in captivitate adductus sum, cum tot milibus hominum, secundum merita nostra: quia a Deo recessimus, et præcepta ejus non custodivimus; et sacerdotibus nostris non obediētes fuimus, qui nostram salutem admonebant: et Dominus induxit super nos iram<sup>e</sup> animationis suæ, et dispersit nos in gentibus multis; etiam usque ad ultimum terræ, ubi nunc parvitas mea esse videtur inter alienigenas. Et ibi Dominus aperuit sensum incredulitatis meæ, ut vel sero rememorarem delicta mea, et ut converterer toto corde ad Dominum Deum meum: qui respexit humilitatem meam, et misertus est adolescentiæ et ignorantiae meæ, et custodivit me antequam scirem eum, et antequam saperem vel distinguerem inter bonum et malum; et munivit me, et consolatus est me, ut pater filium."

Hæc ex libris epistolarum Patricii citans operis tripartiti auctor, annorum sedecim illum tum fuisse concludit: qui juxta ipsius<sup>f</sup> rationes, cum nostris consentientes, sub finem anni CCCLXXXVIII. essent terminandi. Ut nullo modo

<sup>e</sup> Genes. cap. 37. ver. 2.

<sup>d</sup> Ita etiam Hibernia appellatur in Antonini itinerario, quod in MS. Scoti præfert titulum.

<sup>e</sup> Τὴν ὀργὴν τοῦ θυμοῦ αὐτοῦ. 2. Paralipom. 29. 10.

<sup>f</sup> Supra, cap. 16. pag. 371.

consistere possit, quod ab eodem traditum alibi<sup>g</sup> meminimus; “ ductum esse S. Patricium ad Hiberniam captivum primo anno regni Juliani imperatoris apostatæ.” Sic enim in calamitatem hanc incidisset, undecim annis antequam natus fuisset. Major tamen est annalium Connaciensium scriptoris prochronismus, licet ipsius rationibus, quæ in annum CCCXXXVI. natalitia Patricii conjiciunt, satis consentaneus, ita rem referentis: “ S. Patricius in Hiberniam captivus ducitur anno Christi CCCLII. et post sex annos a captivitate liberatur;” ut de sexennii metachronismo in Sigeberti Gemblacensis, eumque secuti Matthæi Florilegi et Waverleiensium annalium collectoris, chronologia nihil dicamus; quæ anno CCCXCIV. Patricium cum sororibus in Hibernia venditum fuisse statuit. Hic vero Fiechus Slebltiensis, et alter ille anonymus qui lingua Hibernica vitam Patricii descripsit, novum Kothraigi nomen illum accepisse notat, a quatuor quibus serviebat dominis. “ Gravissimo enim,” inquit Jocelinus<sup>h</sup>, “ quaternarum servitio domorum oppressus, sex annis porcorum greges præsago jure pavit. Quatuor namque evangeliorum dulcissimo pabulo eos qui prius erant porci, postea depositis idololatriæ sordibus, velut candidos agnorum pavit greges.” Et, Ultanum secutus Tirechanus: “ Cothirthiac servivit quatuor domibus magorum; et empsit illum unus ex eis, cui nomen erat Miliac mac Cuboin (alii Milcon mac Cubuain) magus, et servivit illi quatuor annis omni servitute et duplici labore.” Quanquam aliam vocabuli illius etymologiam tripartiti operis auctor ita nobis exhibeat: “ Impositum est ei nomen aliud, quod dicitur Cothirge, propter mite et fidele suum ministerium.”

Sed de hac servitute ipsius confessionis Patricianæ verba, licet non parum depravata, audiamus: “ Quotidie pecora pascebam, et frequens in die orabam: magis ac magis accedebat amor Dei, et timor ipsius et fides augebatur, et spiritus agebatur, ut in die una usque ad centum orationes et in nocte prope similiter; ut etiam in sylvis et monte manebam, et ante lucem excitabar ad orationem per

<sup>g</sup> Supra, cap. 15. pag. 115.

<sup>h</sup> Jocelin. cap. 191. ex MS. suppletus.

nivem, per gelu, per pluviam : et nihil mali sentiebam, neque ulla pigritia erat in me, sicut modo video : quia tunc spiritus in me fervebat. Et ibi scilicet quadam nocte in somno audivi vocem dicentem mihi : Bene jejunas, cito iturus ad patriam tuam. Et iterum post paululum tempus audivi responsum dicens mihi : Ecce navis tua parata est : et non erat prope, sed forte habebat ducenta millia passus : et ibi nunquam fueram, nec ibi notum quendam de hominibus habebam. Et deinde postmodum conversus sum in fugam ; et intermisi hominem cum quo fueram sex annis.”

Probus ex istis historiam Patricii contexens, reliquisse eum scribit “ homines cum quibus fuerat captivus septem annis :” quos etiam annos huic servituti in vita Patricii Hibernice scripta assignatos reperi. Eundem quoque annorum numerum in uno MS. Ninii codice annotatum inveni : sed ab aliis omnibus aberat, qui hoc se habebant modo : “ Sanctus Patricius erat in illo tempore captivus apud Scotos ; et dominus illius dicebatur Milchu, et porcarius cum illo erat : et in decimo septimo anno ætatis suæ de captivitate sua eversus est.” Quod postre- mum, de decimo septimo anno ætatis, hinc etiam Rogerus Wendoverius et Matthæus Florilegus in suam anni CCCCXCI. historiam transtulit. Ficchus vero Slebhitiensis, Jocelinus, Johannes Timmathensis, officium S. Patricii, et alii anonymi biographi, sex huic captivitati annos rectius tribuunt, cum vicesimo secundo ætatis illius anno terminatos. Monetque Jocelinus<sup>1</sup>, “ Consonare sanctionem legalis edicti liberationi ac libertati S. Patricii. Sex enim annis servituti subjectum in septimo decrevit Lex<sup>k</sup> libertati restituendum.”

Initium vero septimi Patricianæ servitutis anni in æræ nostræ CCCXCV. annum incidit, Olybrii et Probinii consulatu prænotatum : sub quo vulgatum Mariani Scoti chronicon hoc factum recitat : “ Quum S. Patricium nolisset dominus suus dimittere, nisi pro massa aurea, servavit S. Patricius præcepto angeli Victori cuidam gregem porcorum, quorum custos dum fuit S. Patricius et pastor,

<sup>1</sup> Jocelin. cap. 16.

<sup>k</sup> Exod. cap. 21. ver. 2. Deut. cap. 15. ver. 12.



fodit massam auream, quam ille Patricius domino suo pro se dedit.” Ad quem locum Thomas Dempsterus hanc notam apponendam censuit: “ Vereor<sup>1</sup> ne fidem fallat in hoc antiquitas : nam Sigebertus regis porcarium nominat, hic Victoris cujusdam subulcum facit, Matthæus Westmonasteriensis dominum cui ille probrosam eam servitutem obierit Scotum quendam Cuulcu appellat, Florentius Wigorniensis Miluc filio nepotis Buani in aquilonari Hibernia venditum ait ad annum salutis CCCCX. Conciliet hæc qui volet : mihi indicasse pro instituto satis erit.”

Verum, librariis sublatis mendis, non difficilis futura est istorum conciliatio. Nam verba illa Mariani, vel interpolatoris ipsius potius (in MSS. enim ea non invenio) corrupta esse, res ipsa indicat. Una enim et consentiens biographorum omnium est sententia, Victorem nomen fuisse angeli, vel peculiaris custodis S. Patricii, ut vult Jocelinus<sup>m</sup>, vel communis Scotiæ gentis, ut mavult Fiechianus scholiastes. Dominus autem Patricii, quem Sigebertus indefinite regem, Florentius Wigorniensis ad annum juxta vulgarem, quam nos sequimur, supputationem CCCLXXXVIII. Miluc filium nepotis Buani nominat, in Matthæo Westmonasteriensi MS. non Cuulcu sed Milcu nominatur : estque idem ipse quem Hibernicus vitæ Patricianæ descriptor et Latinus operis tripartiti auctor Miliuc filium Buain, Fiechi scholiastes Milcon filium Hui-bain appellat : qui scholiastes regem etiam septentrionalis partis Dal-araidæ eum fuisse addit ; ibique porcos suos Patricio pascendos tradidisse, in magna valle Arcail juxta montem Mis, ubi<sup>n</sup> ecclesia Sciric posita est, quæ apud Antrimenses in Ultonia ad hunc usque diem nomen suum retinet.

Quæ in Patricii confessione sequuntur, de triduana navigatione, viginti octo dierum itinere per desertum, cibo fame laborantibus ministrato, et nocturna tentatione Satanæ superata, apud Probum videri possunt : qui post hæc addit : “ Veniens cum præfatis nautis ad civitates

<sup>1</sup> Dempster. hist. eccles. Scot. lib. 15. num. 1001.

<sup>m</sup> Jocelin. cap. 15. vid. offic. Patric. edit. Paris. lect. 4. et 5.

<sup>n</sup> Sleibh-mis. Vid. Jocelin. cap. 15. Probo mons Egli est, in regione Cruthenorum, Tirechano mons Scirte, juxta montem Miss.

eorum, prædicavit ibi verbum Dei, et multum populum convertit ad Christum. Post multos autem annos S. Patricius captivum iterum ab alienigenis pertulit." De hac secunda captura quam senis decies diebus ab inimicis pertulerat, ut apud Maccuthenum legimus, in confessione Patriciana habentur ista: "Et iterum post annos multos adhuc captivam dedi. Ea nocte prima utique mansi cum illis. Responsum autem divinum audivi, dicens mihi, Duos menses eris cum illis: quod ita factum est. Nocte illa sexagesima liberavit me Dominus de manibus eorum." Ac de reditu ad parentes: "Et iterum post paucos annos in Britannia eram cum parentibus meis: qui me ut filium susceperunt, et ex fide rogaverunt me, ut vel modo ego, post tantas tribulationes quas ego pertuli, nunquam ab illis discederem. Et ibi scilicet vidi in visu nocte virum venientem de Hiberione, cui nomen Victoricius, cum epistolis innumerabilibus: et dedit mihi unam ex illis, et legi principium epistolæ continentem: VOX HIBERIONACUM<sup>o</sup>. Et dum recitabam principium epistolæ, putabam ipso<sup>o</sup> momento audire vocem ipsorum qui erant juxta sylvam Focluti, quæ est prope mare occidentale: et sic exclamaverunt, quasi ex uno ore; Rogamus te, sancte puer, ut venias et adhuc ambules inter nos. Et valde compunctus sum corde, et amplius non potui legere: et sic expergefactus sum." Est autem nominatus ille locus apud Maionenses in Connacia, Tirechano sylva Fochloth vel Fochlithi, Fiecho Slebhtiensi Ciaille Fochlad dictus.

Sequitur tertia Patricii captivitas; non parum mihi suspecta: cujus ab unico Probo hanc mentionem factam invenio: "Cum adhuc esset in patria cum patre Calpurnio et matre Concessa, fratre etiam Ructi ac sorore Mila nomine, in civitate eorum Arimuric, facta est seditio magna in partibus illis. Nam filii Rethmiti regis de Britannia vastantes Arimuric et alia circumposita loca, jugulaverunt Calpurnium et uxorem ejus Concessam: filios autem eorum Patricium et fratrem ejus Ructi una cum sorore captivos abducentes, Hiberniam ingressi sunt. Et vendiderunt Patricium Milchoni regi, Ructi vero fratrem ejus ac sororem alteri principi: ubi et post multum temporis data est fratri suo Ructi in

<sup>o</sup> HIBERNIGENARUM. Jocelin. cap. 21.

<sup>p</sup> Al. ipse in mente.

conjugium. At ille sciens esse sororem suam, non tetigit eam, mansit tamen cum ea in continentia."

"Post hæc venit angelus Domini ad beatum Patricium juxta petram montis Egli, et dixit illi: Vade ad hæreditatem tuam, de qua venisti. Qui statim fugiens de captivitate, perrexit iter unius diei usque dum veniret ad domum cujusdam viri in Arcennacte civitate. De cujus domo cum exiret; suscepit eum vir in navim suam, et vendidit eum in Galliam, et portavit pretium ejus domum, solidos scilicet triginta. Suscipientes ergo Galli beatum Patricium, duxerunt eum in navi in terram suam: qui cum navigare cœpissent, fuit illis ventus contrarius multis diebus. Rogavit autem Patricius Dominum, et dedit illis ventum congruum. Deinde venit cum Gallis post dies duodecim ad Brotgalum, inde Trajectum: ubi cum venisset beatus Patricius, absolutus est a Christianis de captivitate. Et fugiens inde, pervenit ad Martinum episcopum Turoni, et quatuor annis mansit cum eo: et tonsio capite ordinatus est ab eo in clericum, et tenuit lectionem et doctrinam ab eo."

Verum ad tertiam hanc captivitatem quod attinet: licet personarum et locorum aliquantum variata hic sint nomina, tamen et Milehonis regis cui venditus fuerit Patricius retenta appellatio, et aliæ narrationis circumstantiæ, eandem hanc cum prima captivitate fuisse omnino persuadent. De Patricii vero ad Martinum profectioe ita etiam Jocelinus<sup>7</sup> meminit: "Ob divinæ doctrinæ dignoscendæ gratiam, cum B. Martino Turonensi archiepiscopo aliquanto tempore demorabatur; qui etiam avunculus matris suæ Conkessæ esse dicebatur. Et quia idem sanctissimus sacerdotum carbunculus monachus fuit, cognato suo Patricio monasticum habitum et ejus instituta tradidit observanda: quæ ille devote susepta actibus habitui respondentibus adornavit, et in eisdem perseveravit." Similiter et Hugo Kirkestadius "S. Patricium nepotem S. Martini, ab eo monachum factum" asserit: quanquam Patricium nostrum Gabriel Pennottus Novariensis<sup>8</sup> non inter monachos proprie reponendum esse doceant, sed inter clericos

<sup>7</sup> Jocelin. cap. 22. Vid. offic. Patricii, edit Paris. lect. 5.

<sup>8</sup> Pennot. hist. canonicor. regular. lib. 2. cap. 34, 35.

canonicos sive regulares: in quorum etiam catalogo a Rapphaele Volaterrano<sup>a</sup>, Augustino Ticinensi<sup>t</sup>, Pio<sup>u</sup> V. Johanne Trullo Aragonio<sup>w</sup>, Constantino Ghinio<sup>x</sup> et aliis recensetur. Nam et ipsum Martinum regulare clericorum institutum ex Insubribus in Gallias adyexisse, ex Baronio<sup>y</sup> observat Pennottus<sup>z</sup>: et Patricium “tonso capite ordinatum fuisse ab eo in clericum,” ex Probo jam audivimus.

S. Martinum ex hac vita “transiisse media nocte, quæ Dominica habebatur, Attico Cæsarioque consulibus,” refert Gregorius Turonensis<sup>a</sup>, eumque in chronico suo secutus Marianus Scotus: qui annus neque cum charactere ab ipsis proposito (dies enim transitus S. Martini, qui in capitularibus<sup>b</sup> regum Franciæ et martyrologiis omnibus tertius Idus Novembris constituitur, anno CCCXCVII. quo isti consulatum gesserunt, in quartam feriam incidit) neque cum Severi Sulpitii<sup>c</sup>, qui ipso Martino usus est familiariter, consentit testimonio, ab Evodii consulatu ad Martini exitum sexdecim annos numerantis. Sextus decimus autem ab illius consulatu annus nostræ est epochæ CCCCI. in quo media nox, Romano more, et decimi Novembris Dominicam clauderat (quæ, ob communis ambiguitatem termini, Dominica idcirco, ut loquitur Gregorius, habebatur) et undecimum ejusdem mensis diem, qui tertius Idus Novembris fuit, aperiebat. Hoc vero modo, quum non plures quam septem annos inter primæ captivitatis Patricii et vitæ Martini terminum rationes nostræ exhibeant: si illud admittamus, quod ex Patricii confessione jam retulimus, inter primam et secundam illius captivitatem annos multos intercessisse; non toto quadriennio, cum Probo et eum secuto Baronio<sup>d</sup>, sed quadraginta diebus, cum Jo-

<sup>a</sup> Volaterr. Anthropolog. lib. 21.

<sup>t</sup> Aug. Ticin. Christianar. religion. Elucidar.

<sup>u</sup> Pii V. bulla confirmationis officii canonicor. regular. Lateranens. edit. Venet. ann. 1586.

<sup>w</sup> Trull. de ord. canonicor. regular. lib. 1. cap. 5. sec. 2.

<sup>x</sup> Ghin. in sanctor. canonic. natalib. Mart. 17.

<sup>y</sup> Baron. ann. 328. sec. 22.

<sup>z</sup> Pennot. ut supra, cap. 34. sec. 1.

<sup>a</sup> Greg. Tur. hist. Francor. lib. 1. cap. ult.

<sup>b</sup> Benedict. Levit. capitular. lib. 6. cap. 186.

<sup>c</sup> Sever. in lib. de vita Martini cap. 23. collat. cum dialogo 3.

<sup>d</sup> Baron. ann. 431. sec. 191.

hane Tinmuthensi et aliis, Martini eum usum fuisse consortio dicendum erit. Sic enim et in opere tripartito legimus: "Aliquando B. Patricius S. Martinum visitavit; et cum honore debito quadraginta dies apud eum mansit:" et in alio vitæ ejusdem scriptore: "Ad B. Martinum venit, et mansit quadraginta dies cum illo, secundum libros Hiberniæ."

Quum sibi valedixissent invicem, ad Tamerensem insulam secessisse, Patricium quidem operis tripartiti auctor, ipsum vero Martinum Jocelinus<sup>e</sup> asserit. Proximo vero post mortem Martini anno, qui ætatis Patricianæ trigessimus, æræ Christianæ CCCCII. fuit, Patricium Romam perrexisse, atque in Italia Declanum et Kiaranum cum sociis in Hiberniam redeuntes obvios habuisse, in præcedente capite<sup>f</sup> dictum est. Romæ vero illum "sacras literas affatim didicisse" notat Vincentius<sup>g</sup>: eoque referendum Nini illud de eodem testimonium: "Romam usque perrexit, et per longum spacium ibidem mansit, ad legendum scrutandaque mysteria Dei; sanctasque percurrit Scripturas:" et Matthæi Florilegi: "Roman<sup>h</sup> tandem perveniens, ibidem tempus suum protrahebat, donec eruditior haberetur, sanctasque percurrens Scripturas, divina mysteria penetravit:" et historiæ, quam canonici regulares Lateranenses quotannis in officiis divinis recitare solent: quæ<sup>i</sup> S. Patricium post captivitatem Romæ in ecclesia Lateranensi canonicum regularem vixisse, ibique tum sacris literis imbutum, tum etiam ecclesiasticis institutis eruditum, et in regulari disciplina optime institutum fuisse significat.

Nec prætermittendus est de Patricii peregrinatione Tیرهانی locus ille: "Septem annis ambulavit et navigavit, in fluctibus et in campestribus locis et in convallibus montanis, per Gallias atque Italiam totam, atque in insulis, quæ sunt in mari Tyrrheno; ut ipse dixit in commemoratione laborum. Erat autem in una ex insulis, quæ dicitur

<sup>e</sup> Jocelin. cap. 22.

<sup>f</sup> Supra, pag. 344.

<sup>g</sup> Vincent. specul. historial. lib. 20. cap. 23.

<sup>h</sup> Flor. hist. ann. 491.

<sup>i</sup> Offic. canonicor. regular. Lateranens. a Pio V. approbat. Mart. 16. Gabr. Penott. histor. canonicor. regular. lib. 2. cap. 35. sec. 2.

Aralanensis, annis triginta mihi testante Ultano episcopo." Verum quum tempus quo lectioni vacavit Patricius triginta fuisse annorum idem postea confirmet; neque plures quam triginta inter primam et secundam profectioem Romanam interjecti deprehendantur: non moræ in una aliqua insula totum illud spatium tribuendum, sed partim commorationi in urbe, partim insularum maris mediterranei peragratiōni, partim Antissiodorensi apud S. Germanum incolatui assignandum censemus. Probus<sup>k</sup> octo annos in solitudine cum eremitis, deinde novem in insula nescio qua inter montes et mare transegisse illum narrat. Eremitas illos aliqui<sup>l</sup> Lirinensis insulæ incolas fuisse suspicantur; de qua Eucherius, in libello de laude eremi ad Hilarium: "Equidem cunctis eremi locis, quæ piorum illuminantur secessu, reverentiam debeo: præcipue tamen Lirinum meam honore complector, quæ procellosi naufragiis mundi effusos piissimis ulnis receperat venientes:" sed alii<sup>m</sup>, nondum vitæ eremiticæ institutum eo ab Honorato<sup>n</sup> inductum fuisse, contra opponunt. Alteram vero illam insulam, qui Hibernica lingua vitam Patricii conscripsit, e Tyrreni maris insulis fuisse unam; atque in ea cum tribus Patriciis nostrum, non novennio quidem sed anno tantum unico, mansisse refert.

Inter dicta Patricii nostri, hoc etiam commemoratum reperi: "Timorem Dei habui ducem itineris mei per Gallias atque Italiam, etiam in insulis quæ sunt in mari Tyrreno." Ut illi idem hic usu venerit, quod non multo ante in Fabiola sua laudaverat Hieronymus<sup>o</sup>: "Peragrabat insulas, et totum Etruscum mare, Volscorumque provinciam, et reconditos curvorum litorum sinus, in quibus monachorum consistunt chori." Inter quas Etrusci vel Tyrreni maris insulas, et Gallinaria numeratur, in qua B. Martinum solitariam aliquando vitam egisse legimus<sup>p</sup>; et Ca-

<sup>k</sup> Prob. vit. Patric. lib. I.

<sup>l</sup> Johan. Marquez, de origine fratrum Eremitar. cap. 15. sec. 4, 5.

<sup>m</sup> Gabr. Pennot. hist. canonicor. regular. lib. 2. cap. 35. sec. 4.

<sup>n</sup> Vid. supra, cap. 11. op. tom. 5. pag. 372.

<sup>o</sup> Hieronym. epist. 82. ad Oceanum. tom. 4. par. 2. pag. 645.

<sup>p</sup> Sever. Sulpit. lib. de vita Martini, cap. 4. Sozomen. hist. ecclesiast. lib. 3. cap. 14.

praria, quam monachis hoc tempore refertam fuisse Rutilii Numatiani<sup>q</sup> hominis a fide Christiana alieni, versus illi indicant :

Processu pelagi jam se Capraria tollit :  
 Squalet Incifugis insula plena viris.  
 Illi se monachos Graio cognomine dicunt,  
 Quod soli nullo vivere teste volunt.

A Tyrrhenicis vero insulis et continente Italiæ ad Gallicas oras Patricium pertraxit fama sanctitatis et doctrinæ B. Germani; qui a præfectura seculari raptus ad sacerdotium, anno CCCCXVIII. ut nos<sup>r</sup> ex Constantio antiquissimo vitæ ipsius scriptore collegimus, vel CCCCXXI. ut tradiderunt alii<sup>s</sup>, Amatori in Antissiodorensis ecclesiæ regimine successit. Huic enim se in disciplinam tradidisse Patricium, Ninius, Probus, Guilielmus Malmesburiensis, Jocelinus et reliqui vitæ ipsius scriptores consentiunt: a quo et novum Magonii nomen (pro quo Maun apud Ninium, Nanus depravate apud Matthæum Florilegum legitur) illum accepisse, Hibernicus vitæ Patricianæ descriptor, Florentius Wigorniensis, Sigebertus Gemblacensis, Ficchi Slebhtiensis scholiastes, Ranulphus Cestrensis, Henricus Marleburgensis et alii affirmant. Cum autem inter mortem Martini et ordinationem Germani non pauciores quam septemdecim et ab hujus ordinatione ad missionem Patricii in Hiberniam non plures quam quatuordecim anni intercesserint; biographos illos falli necesse est, qui Patricium a Germano Antissiodorensi ad Martinum Turonensem venisse, et sub Germani magisterio vel quadraginta, quod a Johanne Tinmuthensi, operis tripartiti auctore et aliis duobus anonymis traditum invenio, vel etiam octodecim annos transegisse retulerunt: quem posteriorem annorum numerum non Jocelinus<sup>t</sup> solum et Johannes Clinnus<sup>u</sup> nobis exhibet, sed Erricus Antissio-

<sup>q</sup> Rutil. Numat. itinerar. lib. 1.

<sup>r</sup> Supra, cap. 12. op. tom. 5. pag. 436.

<sup>s</sup> Robert. Antissiodorens. in chronolog. ann. 421. Demochar. de sacrificio missæ, tom. 2. cap. 19. Constantin. Ghinius, in sanctor. canonicor. natalib. Mai. I. Vid. Vincent. specul. hist. lib. 20. cap. 15.

<sup>t</sup> Jocelin. vit. Patricii, cap. 22. et 191.

<sup>u</sup> Jo. Clinn. chron. MS. ad ann. 432.

dorensis<sup>w</sup> quoque: apud quem “succincta mentio Patricii, per beatum Germanum in Hiberniam destinati,” (hunc enim titulum capitulum hoc præfert in codice MS.) his verbis habetur proposita:

“Quoniam gloria Patris in suorum clarescit moderate filiorum; e multis quos in Christo filios, in religione creditur habuisse discipulos, unius tantum ejusdemque famosissimi castigata brevitatem sufficere inseri mentionem. Patricius, ut gestorum illius series prodit, Hibernicæ peculiaris apostolus regionis sanctissimo ejus discipulatu octodecim addictus annis, non mediocrem e tanti vena fontis in Scripturis cœlestibus hausit eruditionem. Quemque in religione magnanimem, in virtutibus excellentem, in doctrina strenuum, divinissimum considerans pontifex, ineptumque ducens robustissimum agricolam in Dominicæ segetis torpere cultura; ad sanctum Celestinum urbis Romæ papam per Segetium presbyterum suum eum direxit, qui viro præstantissimo probitatis ecclesiasticæ testimonium apud sedem ferret apostolicam. Cujus judicio approbatus, auctoritate fultus, benedictione denique roboratus, Hiberniæ partes expetiit: gentique illius datus proprie apostolus, tum quidem eam doctrina et miraculis, nunc quoque et in perpetuum mirificis apostolatus sui illustrat privilegiis.”

A Germano “sacerdotalem apicem percepisse” Patricium, in ipsius officio<sup>x</sup>, et “singulos sacrorum ordinum gradus,” in Jocelino<sup>y</sup> legimus: licet a Martino ordinatum fuisse in clericum auctor antiquior Probus<sup>z</sup> tradiderit. Episcopalem honorem eum accepisse, dum Romam cum Segitio vel Segetio presbytero (Sergecium Jocelinus, Segerum Ninius, Regirum Probus eum nominat) ad Celestinum pergeret, tripartiti scriptor operis ita retulit: “S. Patricius audiens magnam beatitudinem cujusdam sancti senioris episcopi, declinavit iter suum ad eum, ut se

<sup>w</sup> Erric. de vita et miraculis S. Germani, lib. 1. MS. in bibliotheca Bodleiana, et Sarisburiensi.

<sup>x</sup> Offic. Patric. edit. Paris. lect. 5.

<sup>y</sup> Jocelin. cap. 22.

<sup>z</sup> Prob. vit. Patric. lib. 1.



benediceret ille senior sanctus. Et videntes se invicem ipsi sancti, alter alterius sentit sanctitatem. Et divino nutu tunc S. Patricius gradum episcopalem ab illo sanctissimo sene episcopo accepit, volens antea a domino papa accipere: sed videns nimiam sanctitatem prædicti senis episcopi, ab eo accepit coram discipulis suis. Acceptoque gradu pontificali, cum benedictione et oratione beati consecratoris sui, S. Patricius cum comitibus pervenire Romam viam arripuit suam." Comitum numerum novenarium vitæ Patricii scriptor Hibernicus, nomen consecratoris Amatorem fuisse Probus significat." "Patricius," inquit ille, "et qui cum eo erant, declinaverunt iter ad quendam miræ sanctitatis hominem, summum episcopum, Amatorem nomine, in propinquo loco habitantem: ibique S. Patricius sciens quæ superventura essent illi, episcopali gradu ab eodem archipræsule Amatore sublimatus est. Sed et alii nonnulli clerici ad officium inferioris gradus ordinati sunt."

Hunc Amatorem illum intelligendum non recte iudicavit Baronius<sup>a</sup>, cui in Antissiodorensi episcopatu Germanum successisse jam diximus, et quem in vitæ ejusdem Germani libro primo Erricus Antissiodorensis isto celebrat elogio:

Urbis amor nostræ sacrique refector ovillis  
Præsul Amator erat, merito cognomine mactus;  
Doctor magnificus, meritorum luce eoruscus,  
Signorum titulis longe lateque celebris.

Ita enim episcopus fuisset Patricius ante magistrum suum Germanum. Sed hic ille est quem Amathæum appellat Ninius, Amathum Maccuthenus, Mathæum vel Matthæum Rogerus Wendoverius<sup>b</sup> et Matthæus Florilegus, Amatum Johannes Timmuthensis vitæ Patricianæ scriptorem, quam in Oxoniensis et Cantabrigiensis academix bibliotheca publica conservari diximus, secutus; in qua similiter legimus, "Patricius declinavit iter ad quendam hominem

<sup>a</sup> Baron. in martyrolog. Roman. Mai. I.

<sup>b</sup> In histor. anni 491.

mirabilem, summum episcopum et sanctum, Amotum nomine; et ab illo gradum episcopalem accepit."

Sed integram Patriciani itineris historiam, ex Ninio placet hic describere, et cum aliorum narrationibus comparare. "Audita," inquit ille, "morte Palladii episcopi, Patricius Theodosio et Valentiniano regnantibus, a Celestino papa Romano, et angelo Dei cui nomen erat Victor monente, et Germano sancto episcopo, ad Scottos convertendos in Christum mittitur. Misit ergo Germanus cum illo seniorem Segerum ad quendam hominem mirabilem, summum episcopum, Amathæum regem in propinquo habitantem. Ibi sanctus sciens omnia quæ ventura essent illi, gradum episcopalem ab Amathæo (alii Mathæo) rege et episcopo sancto<sup>c</sup> accepit: nomenque quod est PATRICIUS sumpsit ibi, quia MAUN prius vocabatur. Auxilius presbyter, et Yserminus diaconus, et cæteri inferioris gradus simul cum eo ordinati sunt. Tunc acceptis benedictionibus perfectisque omnibus, in nomine sanctæ Trinitatis, paratam ascendit navim: et pervenit ad Britanniam insulam, et prædicavit ibi non multis diebus. Et omissis omnibus ambulandi anfractibus, summa velocitate flatuque prospero mare Hibernicum transfretavit. Onerata vero navi cum transmarinis mirabilibus et spiritualibus thesauris perrexit ad Hiberniam: et baptizavit eos."

Ubi primum, quod ad temporis rationem attinet; decimo octavo Calendas Januarias desinentis CCCCXXXI. anni mortem obiisse Palladium, annoque sequente a Celestino, qui et ipse eodem anno vitam finiit, in Hiberniam missum fuisse Patricium, in fine præcedentis capituli declaravimus: in oriente videlicet juniore Theodosio, in occidente Valentiniano III. imperium obtinente. De conjunctis deinde Celestini et Germani studiis in Patricii missione procuranda cum Ninio consentiens Guilielmi Malmesburiensis habemus testimonium, tum in libro secundo de gestis pontificum Anglorum, ubi illum "a papa Celestino ordinatum episcopum Hiberniensibus misisse apostolum" Germanus dicitur; tum in libello de antiquitate Glastoni-

<sup>c</sup> Al. *episcopus sanctus*.

ensis ecclesiæ, in quo leguntur ista: “Anglis Britan-  
norum infestantibus pacem, et Pelagianis eorum ex-  
pugnantibus fidem; S. Germanus Antissiodorensis (ut  
alibi<sup>d</sup> legitur) contra utrosque suppetias tulit. Illos enim  
alleluatico cantu fudit, et istos evangelicis et apostolicis  
tonitribus fulminavit. Inde in patriam meditans reditum,  
Patricium ad familiare contubernium ascivit: eundemque  
post aliquot annos Hiberniensibus, jubente Celestino papa,  
prædicatorem misit:” qua ratione ultra triennium in Ger-  
mani contubernio Patricium haudquaquam permansisse  
dicendum esset.

Germano vero hic Lupum etiam collegam adjungit libelli  
de officiorum ecclesiasticorum origine concinnator. Cum  
enim in Britanniis vel Scottiis prædicavisse eos dixisset  
quæ supra<sup>e</sup> retulimus; de iisdem subdit, “Beatum Pa-  
tricium spiritaliter literas sacras docuerunt, atque enutrie-  
runt, et ipsum episcopum per eorum prædicationem  
archiepiscopum in Scottiis ac Britanniis posuerunt.”  
At neque ab istis, neque ab Amathæo vel Amatore,  
sed ab ipso Celestino papa Patricium ordinatum esse  
pontificem, præter Malmesburiensem jam citatum, etiam  
Jocelinus<sup>f</sup> et officii<sup>g</sup> Patriciani scriptor affirmant. “Veniens  
Roman, a beato papa Celestino, post beatissimum Petrum  
apostolum quadragesimo quinto, cum honore susceptus est  
in episcopatum; et paucis diebus elapsis consecratus est:”  
ait biographorum anonymorum unus, et alius: “Romam  
venientem papa Celestinus, a B. Petro apostolo quadrage-  
simus quintus, honorifice suscepit; et paucis diebus elapsis,  
ad episcopale fastigium sublimavit.” Tripartiti operis auc-  
tor, ista quasi concilians, ab alio quidem gradum pontifica-  
lem acceperisse, a Celestino vero ordinatum archiepiscopum  
eum fuisse refert. Et quidem a Celestino “consecratum  
et ad archiepiscopatum Hibernensem missum” Marianus  
Scotus<sup>h</sup>, “archiepiscopum Scotorum ordinatum” Sige-

<sup>d</sup> Vid. supra, cap. 11. op. tom. 5. pag. 375. 381.

<sup>e</sup> Ibid. pag. 395.

<sup>f</sup> Jocelin. cap. 25.

<sup>g</sup> Offic. Patric. edit. Paris. lect. 5.

<sup>h</sup> Vid. Trithemium. supra, cap. 16. pag. 360.

bertus et Antoninus<sup>i</sup>, “archiepiscopum totius Hiberniæ” constitutum eum fuisse vetus vitæ<sup>k</sup> Kiarani scriptor indicat.

A Celestino quoque papa PATRICII illum nomen accepisse, Fiechi Slebhtiensis scholiastes et Sigebertus confirmant: quibus etiam Hibernicus vitæ Patricianæ descriptor, Florentius Wigorniensis<sup>l</sup>, Ranulphus Cestrensis<sup>m</sup> et Henricus Marleburgensis<sup>n</sup> accedunt; patrem<sup>o</sup> civium ea voce denotatum adjicientes: quæ etymologia a Glastoniensi quodam monacho his expressa reperitur versiculis:

Sonat Patricius jam pater civium,  
Multorum civium et pater plebium,  
Hibernensium et Glastonensium,  
Sortitus merito tale vocabulum.

Honoris certe causa novum hoc impositum ei fuisse nomen non est dubium. Nam et apud veteres<sup>p</sup> Romanos patriciorum, ut apud Athenienses *ἐπατριδῶν*, appellatione nobiliores familiæ a plebeiis secernebantur: et patriciatus dignitas a Constantino<sup>q</sup> Magno ad illud postea perducta est fastigium, ut qui hoc ornatus fuisset titulo ipsis prætoriorum præfectis anteponeretur. “Quod si in familia seculari,” inquit Cyprianus<sup>r</sup>, “prædicationis et laudis est, esse patricium; quanto majoris laudis et honoris est, fieri in cœlesti prædicatione generosum?” De Auxilio et Isernino simul cum Patricio ordinatis cum Ninio consentiunt alii; licet detortis aliquantulum nominibus. “Axilius et Servinus cum eo in inferiori gradu ordinati sunt”: ait Vincentius<sup>s</sup>, et, in anni CCCXC. historia, Rogerus Wenderoverius et Matthæus Florilegus: “Ordinati sunt cum eo Ausilius et Iserminus, et cæteri nonnulli, ad ordines inferiores; ut, sub ipso, Domino ministrarent,” vel, ut apud Matthæum legitur, “duce Deo militarent.”

<sup>i</sup> Antonin. chronic. lit. 11. cap. 1. sec. 2. et cap. 18. sec. 2.

<sup>k</sup> Supra, cap. 16. pag. 345.

<sup>l</sup> Florent. Wigorn. chronic. ad ann. secund. Dionys. 372.

<sup>m</sup> Ranulph. polychronic. lib. 4. cap. 29.

<sup>n</sup> H. Marleburg. chronic. ad ann. 376.

<sup>o</sup> Suid. Πατρικιος ὁ πατήρ τοῦ κοινοῦ. Patricius pater reipublicæ.

<sup>p</sup> Dionys. Halicarnass. antiquit. Roman. lib. 2. Liv. lib. 4. et 10. Plut. in quæstionib. Roman.

<sup>q</sup> Zosim. hist. lib. 2.

<sup>r</sup> Cyprian. epist. 39.

<sup>s</sup> Specul. historial. lib. 20. cap. 23.

Officium canonicorum Lateranensium<sup>t</sup>, a Pio V. approbatum, Patricium a Celestino papa totius Hiberniæ metropolitanum una cum Germano Lateranensi canonico consecratum, adjunctis etiam fidelibus sociis Axilio et Servinio pariter Lateranensibus canonicis, ad sacrosanctum legationis Hibernicæ munus destinatum memorat. Verum non in ipso legationis hujus exordio, sed post quinquennium saltem exactum, "Secundinum, Auxilium, et Iserninum episcopos in Hiberniam esse missos in auxilium Patricii," Ultonienses docent annales, pro quibus, in cœnobii Inisfallensis chronico annotatum invenimus: "Secundinus et Auxiliarius et Esserninus mittuntur in auxilium Patricii; nec tamen tenuerunt apostolatum, nisi Patricius solus:" et quod de Germano hic additur, ex Vincentio videtur desumptum, in loco jam notato ita scribente: "Mittitur cum Germano Patricius, et Hiberniis episcopus ordinatur;" qui alibi<sup>u</sup> etiam ex Germani Antissiodorensis discipulis unius meminit, "qui eum de Hibernia secutus fuerat." Quanquam si Germanus aliquis Patricio comes in hoc itinere esset adjungendus, discipulum ipsius potius fuisse existinarem, quem primum Manniæ insulæ episcopum ab eo constitutum fuisse diximus<sup>w</sup>, quam magistrum, celeberrimum illum Antissiodorensis ecclesiæ antistitem: quem domi mansisse, et quum Patricium ad Celestinum una cum seniore suo presbytero mitteret, et quum eundem Roma redeuntem iterum a se dimitteret, præter alios ostendit Jocelinus; de Patricio, omni festinatione in Hiberniam properante, narrationem ita pertexens: "Versus<sup>x</sup> Hiberniam, cum viginti viris vita ac sapientia præclaris ab ipso summo pontifice sibi deputatis in adiutorium, regressum maturavit. Divertit autem ad B. Germanum nutritorem et eruditorem suum: ex cujus munere accepit calices et vestimenta sacerdotalia, copiam codicum et alia quæ pertinent ad cultum et ministerium ecclesiasticum."

Patricium "pervenientem ad Britanniæ insulam, præ-

<sup>t</sup> Offic. canonic. Lateran. Mart. 16. edit. Venetiis apud Juntas, anno 1586.

<sup>u</sup> Vincent. specul. hist. lib. 20. cap. 10. ut et Antonin. in chronico. lit. 11. cap. 17. sec. 2.

<sup>w</sup> Supra, cap. 15. pag. 179.

<sup>x</sup> Jocelin. cap. 26.

dicavisse ibi multis diebus," in edito Matthæi Florilegi<sup>y</sup> chronico legimus; quum "non multos dies" habeat, quem ille secutus est Ninius: ex quo negationem hic restituendam, non est quod quis dubitet. In Cornubia tamen aliquamdiu cum commoratum Anselmus Cantuariensis, in Guigneri et sociorum actis, hisce verbis significat: "Gloriosus et prædicandus ubique Domini confessor Patricius, cum in Cornubiæ partibus sanctis actibus moraretur intentus, admonitus est voce angelica ut Hiberniæ insulam, fidem Christi in ea prædicaturus, adiret. Tunc fidelis servus et prudens, Domini visione comperta, sine mora surrexit; et locum sibi præsignatum a Deo, in nullo barbaræ et incredulæ gentis expavescens feritatem, expetiit." Qui vero Davidis Menevensis vitam descripsere, Ricemarchus Sulgeni filius, Giraldus Cambrensis et Johannes Tinmuthensis, Patricium vallem Rosinam<sup>z</sup> sive Meneviam in Cambria triginta ante natum Davidem annis sedem sibi eligere voluisse: atque ex eo portu, mutato postea consilio, in Hiberniam trajecisse asserunt.

Ricemarchi ea de re verba hæc sunt: "Patricius Romanis eruditus disciplinis, comitantibus virtutum turmis pontifex effectus, gentem quam exulaverat petivit. In qua fructuosi operis lucernam oleo geminæ charitatis infatigabili reficiens labore, non sub modio sed super candelabrum imponere volens ut cunctis glorificato omnium patre roraret; Cereticæ gentis regionem adiit. In qua per aliquantulum temporis conversatus, Demetica intravit rura. Ibi perlustrans, tandem ad locum qui vallis Rosina nominabatur, pervenit; et gratum agnoscens locum, devovit Deo ibi fideliter deservire. Sed cum hæc secum meditando revolveret, apparuit ei angelus Domini: Tibi, inquit, non istum locum Deus disposuit, sed filio qui nondum natus, nec nisi peractis triginta annis nascetur. Audiens autem hæc S. Patricius, mœrens stupensque volutat, deliberans et corde dicens: Cum ante Domini mei conspectum incassum labor meus redigitur, et mihi qui non-

<sup>y</sup> Flor. hist. ann. 491.

<sup>z</sup> Vid. supra, pag. 378. cap. 5. op. tom. 5. pag. 106. et cap. 13. ibid. pag. 508, 509.

dum natus est superponitur; vadam et tali labore amodo non subjaceam. Hæc autem secum cogitans, talibus ab angelo blanditus verbis consolationem accepit. Non ita fiet; sed Hibernensium insulæ principem constituet te Dominus: nondum enim verbum vitæ accepit. Ibi prodesse debes; ibi paravit Dominus tibi sedem; ibi signis et virtutibus radiabis; totamque Deo gentem sūbjugabis. Ego ero tecum: sit tibi hoc ut signum. Totam tibi insulam ostendam: curventur montes; humiliabitur pelagus; oculus trans omnia erectus ex loco in<sup>a</sup> quo stas videbit promissum. His dictis erectisque oculis ex loco in quo stabat, qui modo sedes Patricii dicitur, totam perspexit insulam: ac protinus paratis omnibus, navium petit. Resuscitatoque mortuo, qui ante duodecim annos defunctus fuerat, promissam patriam intrat.”

Giraldus, in Cambriæ<sup>b</sup> itinerario, Davidis “triginta annis ante ortum præelectionem” strictim attingens, in vitæ ejus descriptione eam post Ricemarchum fusius hunc in modum explicat: “Contigerat annis ante triginta Patricium natione Britannum, Romanis disciplinis eruditum, virum virtutum meritis affatim insignitum, cum ab Italiæ partibus ubi diutinam moram fecerat in natale Britanniæ solum reversus fuisset, ad Kereticam forte regionem divertisse. In qua per aliquantulum temporis conversatus, Demeticam postmodum provinciam petit: ubi demum perlustrando, angularem de Pebidiauc<sup>c</sup> terram intravit. Veniens igitur ad locum qui vallis Rosina vocatur; videns consideransque locum ab omni populari strepitu longe remotum, locum amœna solitudine super Hibernicum mare religioni et contemplationi idoneum, corde concepit fixumque in animo ratumque devovit, se Deo ibidem usque ad extremum spiritus halitum devotis obsequiis mancipandum. Sed cum ista secum propensius meditando revolveret; hæc in contrarium, angelo proponente, suscepit. Hanc tibi sedem, o Patrici, non providet Deus; immo viro nondum nato, nec nisi terdenis post hæc annis elapsis

<sup>a</sup> *Prospectans*. MS.

<sup>b</sup> Girald. Cambrens. itiner. lib. 2. cap. 1.

<sup>c</sup> Vid. supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 507.

nascituro. Quibus auditis, vir sanctus vehementer admiratus, et ultra quam credi possit animo consternatus et anxie contristatus ingemuit; hæc secum deliberans, et desperata mente proponens. Frustra diutinis abstinentiæ tædiis corpus affixi, frustra jejuniis olim, frustra vigiliis et orationibus vexor, ex quo tot meritis nihil adhuc meritus: quia nondum natus ante fertur.”

“ Sed hæc et hujusmodi animo revolvens, consolationis ab angelo in hunc modum verba suscepit: Parce Patrici, parce mœrori: spem potius erige, spemque resume. Magna tibi in insula Hibernica reposita est corona. Nondum enim hæc natio salutis monita, nondum vitæ verba suscepit. Gentis hujus apostolum, gentis hujus prædicatorem et principem summum te constituit Deus. Ibi proficere debes, ibi sedes a Domino tibi parata: ibi signis et virtutibus radiabis, totamque gentem illam Deo subjugabis. Ego tecum ero: et hoc tibi signum. Totam insulam quam intrabis tibi ex hoc prospectu statim ostendo. Et continuo in Zephyrum oculos vertens, totam insulam, ex loco qui hodie sedes Patricii dicitur, trans maris et montium tam interstitia quam obstacula tanta miraculose prospexit. Nec mora, paratis omnibus juxta monita navem scandens, resuscitato tamen prius ibidem mortuo quodam cui nomen Dunandus, Euro ad vota spirante, promissam feliciter patriam intravit.” De loco vero illo, e quo Patricius totam prospexisse insulam fingitur, Johannes Tinmuthensis adjicit: “ Erat vallis satis magna, in qua est lapis super quem stetit ante ostium cujusdam capellæ antiquæ; quem ego oculis vidi, et manibus palpavi.”

Celestino igitur Romano pontifice jam vita functo, primo anno episcopatus Xysti, ut Ultonienses et Inisfallenses tradunt annales, pervenit ad Hiberniam Patricius. Viginti quatuor discipulos secum eo adduxisse notat operis tripartiti author: sed vitæ illius scriptor quæ in publica Cantabrigiensis et Oxoniensis academiæ bibliotheca habetur, eumque secutus Johannes Tinmuthensis, “ familiam Patricii triginta quatuor viros de peregrinis” eo tempore complexam fuisse narrat: “ Consummato igitur navigio ac labore S. Patricius episcopus, onerata navi cum



spiritualibus thesauris, id est, cum armatura sanctæ prædicationis, in optatum portum regionis Euolenorum, portum utique apud nos clarissimum, delatus est," ait Probus; regionem Euolenorum appellans, quam Hibernici scriptores Cruich Cuallan nuncupant: Jocelinus<sup>d</sup> et alii portum hunc ad quem ille primum appulit, Inbher-dæ, sive portum Dæ nominant: qui idem esse putatur, quem Giraldus Cambrensis<sup>e</sup> Wykingelo, Angli Wicklo, Hiberni Kilmantan vocant. "Consummata navigatione, quoddam ostium marinum intravit S. Patricius cum discipulis suis, quod Scotice Inbher-de quondam vocabatur, in finibus Lagenorum positum:" inquit operis tripartiti auctor. Et alius scriptor antiquus: "Patricius a papa Celestino in Hiberniam transmissus, pervenit ad ostium fluminis Deæ. Et idem<sup>f</sup> iniquus comes, id est Nathi, qui sancto Palladio ante resistebat, beato Patricio et ejus doctrinæ contradicebat. Sinell vero filius Finchado per prædicationem S. Patricii omnipotenti Deo credidit, et a S. Patricio primus ex gente Scotorum baptizatus fuit: et sibi et semini ejus Patricius benedixit."

A Deæ portu ad locum qui vocatur Ænach-tailltæn divertisse dicitur Patricius, indeque ab operis quidem tripartiti auctore "ad quoddam castellum prope mare positum nomine Raith-inbheir" venisse, quod Old-court sive vetus curia fortasse fuerit, ad Braii fluvioli ostium; a Jocelino<sup>g</sup> vero "ad quandam insulam parvulam, quæ non longe a terra distans insula S. Patricii usque in præsens nominatur," Holm-Patrick appellatione hodie nobis notissima. Relicta deinde Laginia, in Ultoniam profectus, navim ad portum Inbher-Slan applicuit: atque converso ad fidem Dichone Trichimi filio, et cum universa familia sua baptizato, locum qui hodie Sabhul dicitur, duobus passuum millibus ab urbe Dunensi remotum, dono ab eo accepit: "Credidit ergo homo ille primus omnium insulanorum cum omni domo et familia sua:" inquit Probus; Sinelli mentione persursus

<sup>d</sup> Jocelin. cap. 29.

<sup>e</sup> Girald. topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 2.

<sup>f</sup> De quo supra, cap. 16. pag. 363.

<sup>g</sup> Jocelin. cap. 30.

præterita. Et tripartiti operis auctor: “Dichus credidit ei primus præ omnibus toto corde; et baptizatus obtulit Deo et S. Patricio agrum in quo ipsi tunc stabant. Ejus enim vicus erat, in quo sanctus Dei portum apprehendit: et rogavit Dichu sanctum episcopum, ne longitudo suæ ecclesiæ ab occidente in orientem esset, sed ab aquilone in meridiem: quia Domini est meridies sicut oriens. Zabulum enim erat in loco quem heros Dichu dedit S. Patricio; et voluit ille ut secundum formam zabuli sui domus Dei ædificaretur ad Solem: et hoc adeptus est ille a viro Dei. Tunc sanctus pontifex in ipso loco ecclesiam nominatam fundavit; quæ est transversa ab aquilone in meridiem, secundum positionem zabuli prædicti. Qui locus, ex nomine ipsius ecclesiæ, Scotice nominatur usque hodie Sabdull Padhrig, Latine autem Zabulum Patricii, vel Horreum Patricii,” ut vocabulo magis Latino Probus et Jocelinus<sup>h</sup> Sabhull illud Hibernicum expresserunt. Hinc ad antiquum dominum suum Milconem Dal-araidæ regulum, ante annos triginta et octo a se relictum, Christo lucrificandum profectus est Patricius. Ad quod usque tempus itinera ab eo confecta antiquus actorum ipsius descriptor, a Jacobo Meyero<sup>l</sup> productus, summam ita percenset: “Patricius revertens e Gallia in Britanniam, inde transit in Hiberniam, id est Scotiam, in regionem Lagenorum. Inde petit aquilonares Scotiæ partes. Hinc orientalem plagam Hiberniæ circumnavigans, navem convertit in aliam quandam parvam insulam, quæ hodie insula Patricii vocatur. Deinde Brigensium fines relinquens, Ultorumque regna omittens, in extraneum quoddam fretum venit; quod est Brevese: unde ascendit in terram per ostium Flain ingressus, et pervenit in regionem Ruthenorum; donec pervenerit ad montem Mis, ubi Miluine rex erat aquilonaris Scotiæ.” Miliuc sive Milconem hunc, regem septentrionalis partis, non quidem universæ Scotiæ sive Hiberniæ, sed Dal-araidæ fuisse, ex Ficchiano scholiasta supra<sup>k</sup> ostendimus. Cujus regionis australem quidem

<sup>h</sup> Jocelin. cap. 22.

<sup>k</sup> Supra, pag. 389.

<sup>l</sup> Meyer. annal. Flandriæ, lib. I.

partem Ardes hodie nominant (quo in nomine Araidæ etiam illius non obscurum superest vestigium) septentrionalem vero Claneboyes; in qua et Ruthenorum mons ille Mis est, quem montem Egli in regione Cruthenorum<sup>1</sup> a Probo dictum, ibidem monuimus. Patricius vero, Claneboiano isto regulo mira quadam sententiæ obstinatione, ne servo suo cessisse videretur, igne ædibus injecto se et sua omnia incendio absumente, duas<sup>m</sup> ejusdem filias Emerias dictas (quæ sanctitate postea conspicuæ, in loco qui Cluain-Broin vocatur sepultæ sunt) ad fidem prædicatione sua conversas baptizavisse, deinde Saballum ad domum Dichonis reversus esse dicitur.

“Triginta annis ante nativitatem sancti David episcopi,” hoc est, eodem ipso quo in Hiberniam Patricius advenit anno, Carantocum Hibernis Cernaeh appellatum, Keredici Cereticæ apud Cambro-Britannos regis filium, in Hibernia conversari cœpisse, in sancti illius vita legimus. “Perrexit ad Hiberniam,” inquit Johannes Tinmuthensis, “amore sancti Patricii allectus. Quo cum pervenisset, inito consilio, dixerunt ut separarentur, unus ad sinistram et alter ad dexteram; quia multi clerici cum illis ambulabant: et ut convenirent una vice in anno condixerunt.” Appropinquante vero tempore paschali, ut apud Probum legimus, “inierunt consilium Patricius et discipuli ejus, ubi primum hoc ipsum pascha in gentibus, ad quas illos misit Deus, celebrarent. Multis ergo super hac re consiliis habitis, postremo divinitus inspirato S. Patricio, visum est ei, hanc maximam resurrectionis Domini solennitatem, caput omnium solennitatum, celebrari debere in campo Breg maximo, qui est juxta Themoriam<sup>n</sup> civitatem regis Logarei, ubi erat maximum regnum nationum illarum, et caput omnis gentilitatis et idololatriæ: ut juxta Psalmistæ<sup>o</sup> vocem *caput draconum confringeret Dominus*; quatenus hoc in loco capite totius idololatriæ destructo, non posset ulterius diabolicus error adversus Christi fidem insurgere: et ita factum est. Elevata denique navi ad marc,

<sup>1</sup> Vid. supra, cap. 15. pag. 105.

<sup>m</sup> Jocelin. cap. 36.

<sup>n</sup> Taraghe in orientali Midia Hibernicorum monarcharum regia.

<sup>o</sup> Psal. 71. (al. 73.) ver. 14.

et dimisso in fide plena et pace bona præfato Dicone, migrantes de regione illa, et ad dexteram manum dimittentes omnia loca, in portum qui vocatur Colbdi bene et prospere delati sunt.”

Nominis hujus Colbdi in hodierno nostro Colp aliquod adhuc relictum est vestigium : qui locus non longe a portu urbis Pontanæ, et ostio Buvindi vel Boini fluminis, positus conspicitur. Hic B. Patricius “navem<sup>p</sup> suam cum armamentis ejus S. Lumano nepoti suo custodiendam commisit, injungens illi, ut saltem quadraginta diebus in illis partibus commorando istam obedientiam sustineret, dum ipse ad ulteriora interim regionis loca ad prædicandum pergeret.” Ipse vero, “pernoctandi<sup>q</sup> gratia, in cujusdam viri venerabilis qui vocabatur Sesgnen declinavit domum. Paterfamilias Patricium gratanter hospitio collegit; sperans salutem domui suæ affuturam ex hospite tanto. Nec fefellit eum spes sua : quia prædicante Patricio verbum salutis, credens baptizatus est cum omni domo sua. Habebat vir ille filium : quem sanctus unda salutari abluens, ac nomen ei ex re adaptans, nominavit Benignum. Et vere, sicut vocabulo, sic et vita et moribus erat benignus ; dilectus Deo et hominibus, in terra et in cælo gloria et honore dignus. Hic sancti præsulis lateri firmiter adhæsit ; nec ab illo avelli ullatenus potuit.” Ita Jocelinus. Paulo aliter rem exponit Tirreclianus, sic de Patricio scribens : “Primo venit ad vallem Sescnani, et ædificavit ibi ecclesiam primam, et portavit filium Sescnenium nomine episcopi secum ; et reliquit ibi duos filios peregrinos. Vespere vero venit ad ostium Ailbine, ad quendam virum bonum, et baptizavit illum : et invenit cum illo filium placitum sibi, et dedit illi nomen Benignum qui colligebat<sup>r</sup> pedes Patricii inter manus suas et pectus ; et noluit dormire apud patrem et matrem, sed flevit nisi cum Patricio dormiret.” In Hibernicis tamen sanctorum genealogiis Sescneni filium Benen fuisse legimus : ita enim Hiberni illum vocitant, quem Stephanum, Beneneum et Benignum Probus<sup>s</sup> nominat :

<sup>p</sup> Jocelin. cap. 51.

<sup>q</sup> Id. cap. 39.

<sup>r</sup> Colligabat.

<sup>s</sup> Probus, in fin. lib. 1. et init. lib. 2. vitæ Patr.

“Contigit<sup>t</sup> eo tempore, ut rex Logareus maximam ageret solennitatem idololatriæ in Themoria : quam gentiles multis incantationibus, et magicis inventionibus, et sacrificiorum superstitionibus summo studio celebrare solebant. Congregatis ergo tunc regibus et optimatibus populi, ducibus, principibus, satrapis, et magistratibus, insuper et magis atque incantatoribus, aruspibus, et omnis artis inventoribus ac doctoribus : Logareus rex cogitabat solennitatem illam in Themoria, velut quondam Nabuchodonosor<sup>n</sup> in Babylonia, cum canticis et citharis, sistris et lyris, et omnis generis carminibus celebrare.” Patricius vero “ad<sup>w</sup> quendam locum in campo Breg qui dicitur Ferta-fer-feich pervenit, disposuitque pascha ibi celebrare. Paschalis enim solennitas illa nocte erat : et eadem nocte in Themoria maxima festivitas ritu gentili, in memoria annali ipsius castri regalis, quam Scoti Feys-teamrach<sup>x</sup> nominabant. Mos erat gentilibus in illa solennitatis nocte prædictæ, ut non accenderetur neque videretur ignis in omni provincia Teamrach, donec prius in Themoria rogos accenderetur foris maximus, qui posset undique conspici. De hoc ritu gentili pater Catholicus Patricius non curans, accendit ignem suum consecratum : et ipse a Themoria cum magna admiratione visus est. Videns autem quidam magus hunc ignem, dixit coram rege : Nisi ignis ille citius extinguetur in hac nocte, ipse qui eum accendit principatum in tota Hibernia tenebit et successores ejus in æternum.”

Accersito ad regem per nuncios Patricio, “Unus ex juvenibus regis Ercus nomine filius Dego videns S. Patricii vultum, divino nutu surrexit ante sanctum, et dedit ei honorifice locum suum ad sedendum, contra præceptum regis et magorum. Et benedixit illum S. Patricius archiepiscopus, et sedem coram omnibus promisit ei æternam in cælo. Et beatus juvenis Ercus ibi Deo credidit, et effectus est vir sanctus et mirabilis ; cujus vita miraculis fulget. Quem ipse Patricius post tempus episcopum consecravit,

<sup>t</sup> Probus, lib. 1.

<sup>n</sup> Dan. cap. 3.

<sup>w</sup> Op. tripartit. de vita Patricii, lib. 2. vid. Probus, lib. 1. et Jocelin. cap. 40.

<sup>x</sup> Id est, Festum Themoriæ.

qui vitam felicissimam in sua civitate Slane in regione Breg, prope fluvium pulcherrimum et fertilem Boyn, duxit." Hæc tripartiti operis auctor: ex quo restitui poterit Probi ille locus: "Unus a Domino instigatus noluit obedire dictis magorum, nomine Bereg filius Dego; cujus reliquiæ nunc venerantur in civitate quæ vocatur Hylane. Hic, inquam, surrexit et benedixit Patricio, et credidit per eum Deo æterno." Nam et Eirc filium Dego Macentheus hunc appellat: et in civitate Slaniæ, quæ in orientali Midia nomen adhuc retinet, et nobilissimis Fleminganæ sive Flandrensis familiæ proceribus baronis tribuit titulum, eum ad cœlestia migravisse, Jocelinus<sup>y</sup> etiam confirmat. Hunc vero primum Slaniæ episcopum anno Domini DXIV. ætatis suæ nonagesimo quievisse, nostri annales indicant.

"Sequenti etiam die suæ solennitatis," inquit Probus<sup>z</sup>, "hoc est in die sancto paschæ nostræ summæ festivitatis, recumbentibus simul regibus et principibus et magis totius Hiberniæ apud Logareum regem (festus enim dies maximus ab eis tunc agebatur Themoriæ) manducantibusque illis et bibentibus vinum cum jucunditate, tum pro festivitate regis, tum quia mortem evaserant perendie: sermocinantibus aliis, et aliis cogitantibus de his quæ facta fuerant a S. Patricio; repente inter omnes ipse sanctissimus pontifex cum duobus tantum viris (ut contenderet de fide sancta, et verbum Dei prædicaret in Themoria coram omnibus nationibus Hiberniensium tunc illic collectis) ostiis clausis, secundum hoc quod de Christo legitur<sup>a</sup>, apparuit. Eo igitur intrante cœnaculum Themoriæ, nemo de omnibus ad adventum ejus surrexit, præter unum, hoc est Dubtag poetam optimum: apud quem tunc temporis erat quidam adolescens poeta, nomine Pheg, qui postea mirabilis episcopus factus est in Themoria; cujus reliquiæ nunc venerantur ibidem. Hic videlicet Dubtag solus ex gentibus illo die ob honorem S. Patricii surrexit: unde et benedixit ei vir Domini Patricius; crediditque Deo primus in illo die, et reputatum est ei ad justitiam."

Qui vero hic Pheg Themoriensis, ab aliis Ficclus

<sup>y</sup> Jocelin. cap. 41.

<sup>z</sup> Prob. vii. Patric. lib. I.

<sup>a</sup> Johan. cap. 20. ver. 19.

Slebltiensis ecclesiæ episcopus nominatur. Is hymni<sup>b</sup> Hiberniei auctor fuisse creditur in B. Patricii laudem compositi: cujus scholiastes, magistrum ipsius Dubthach Mac Hulugair, cum Maceutheno et Hibernico vitæ Patricii scriptore, appellat. Illius conversionis historiam operis tripartiti scriptor ita breviter exponit: "Omnes fores castelli divinitus apertæ sunt sancto; et intravit in domum regis: et tunc rex prandebat. Et nolens rex honorem dare sancto, nemini præcepit ut surgeret ante eum de sede sua. Sed Dei dispensatione comes regis Dubtaachus filius Vulgayr surrexit coram sancto, et dedit ei locum suum; et credidit ipse Deo." Qui deinde, ut Jocelinus<sup>c</sup> addit, "baptizatus et in fide Christi confirmatus, earmina quæ quondam studio florente peregit in laudem falsorum Deorum, jam in usum meliorem mentem mutans et linguam, poemata clariora composuit in laudem omnipotentis Dei et sanctorum ejus præconium."

Anselmus Cantuariensis archiepiscopus Fingarem sive Guignerum, cujus acta ille descripsit, primum et solum Patricio assurrexisse narrat; ita rem totam referens: Patricii "adventu fama vulgante præcognito, septem insulæ reges cum pontificibus idolorum, cum satrapis ejusdemque gentis non minima multitudine, in sancti convenere occursum. Hos sanctus Domini fide integer et devotione plenus aggrediens, cœpit eis evangelium Christi cum fiducia prædicare, et in Jesu evangelizare salutem. Verum quia vas plenum absinthio, nisi prius amaritudine pulsa, alterius liquoris non admittit dulcedinem: illi, adhuc pleni spiritu superbo, doctrinam salutis recipere noluerunt. Sed cernentes humilitatem, et vilitatem habitus, attendentes non thesaurum latentem interius, sanctum et vere apostolicum virum penitus contempserunt. Fuit inter jam dietos reges nobilior unus ac potentior omnibus, nomine Clito. Huic erat filius adolescens bonæ indolis, vocabulo Fingar, electione divina præcognitus, et sancti Spiritus jam gratia perfusus. Hic ex universis solus sancto assurgens Patricio, quo potuit honore, virum Dei suscipiens cessit, et in loco

<sup>b</sup> Supra, pag. 374.

<sup>c</sup> Jocelin, cap. 44.

quo sederat ipse eum sedere fecit. Iratus pater severus et indignatione grandi succensus in filium, dicens, quod Deorum suorum intenderet evacuare culturam, et novam Christianorum per sanctum Patricium introducere legem, regno expulit, et solo fecit exhæredem paterno. Cui plures ex nobilibus Hiberniæ procreati adolescentes dulcissimo amore conjuncti, pariter profecti coxules, terra marique minorem in Britanniam pervenerunt." Hæc Anselmus : cum cujus septenario regum Hiberniæ numero et illud conferri poterit, quod in vitæ S. Frigidiani Lucensis episcopi (cujus meminit Gregorius<sup>d</sup>) initio legitur : " Beatus Frigidianus<sup>e</sup> filius fuit magni regis Ultoniæ : Ultonia enim majus est regnum Hiberniæ. Hæc quidem insula est in oceano septentrionali versus occasum proxima Britannia. In hac itaque insula septem reges, una cum Almogit rege Scotorum, S. Patricius sacro baptismatis fonte purificavit. In quorum numero fuit rex Ultoniæ."

Quæ de concertatione Patricii et magorum, quos Druidas liber Hibernicus vocat, et viri sancti adventum ante triennium prædixisse narrat, coram rege Læogario Thémoriæ peracta referuntur, apud Probum et Jocelinum videri possunt. Relicto vero Læogario, in perfidia obdu-rato, " gloriosus pontifex Patricius" ut est in opere tripartito, " ad locum agonis regalis qui dicitur Tailltean<sup>f</sup>, ad alterum filium Neill nomine Carore, qui erat frater Læogarii regis, perrexit. Tres enim fratres erant ; Læogarius rex, Carbre et Conall." Sed Carbre jam nolente credere, " venit S. Patricius ad alium filium Neill, fratrem Læogarii regis et Carbre, nomine Conallum : qui suscepit eum cum gaudio magno. Baptizavitque S. Patricius Conallum ; et obtulit ei Conallus omne castellum suum, dicens ei : Fac tibi hic monasterium et civitatem, et ego faciam mihi aliud habitaculum prope. Et fecit ibi S. Patricius monasterium, et designavit civitatem quæ dicitur Domnach Padraig. Designavitque S. Patricius castrum Conallo, prope monas-

<sup>d</sup> Gregor. dialog. lib. 3. cap. 9.

<sup>e</sup> Offic. Frigidiani, lect. I. apud Augustin. Ticinens. Elucidar. Christianar religionum, part. 4.

<sup>f</sup> Teltan, in orientali Midia. vid. Jocclin. cap. 53.



terium suum Domnach Padraig, quod dicitur Raithairthir." Illa autem Dominica sive<sup>g</sup> ecclesia Patricii (id enim Domnach Padraig denotat) in Midia orientali, non ut Jocelin<sup>h</sup> scholiastes censuit in comitatu Dungallensi, posita est.

Sed Lumani filii<sup>i</sup> Golliti Britanni et Tigridiæ sororis S. Patricii, videmur esse obliti; quem in portu Colpano avunculi sui reditum expectantem reliquimus. De eo Jocelinus; "Expletis<sup>k</sup> dierum duobus quadragenariis, cum fatigatus esset diutina expectatione super reditu S. Patricii, quadam die flabris ventorum veementius ex opposito spirantibus, armamenta navis explicuit; et fervens fide, fidensque de S. Patricii meritis, ipsius auctoritate navi quatenus se transveheret ad locum sibi congruum præcepit. O signum hactenus inauditum et incompertum! Navis, nemine gubernante, contra fluvium et ventum ad vocem viri Dei velificavit; et ab ostio Boyn fluminis usque ad Ath-trym cursu prospero illum transvexit." Ita ille: qui ex eo etiam miraculi amplificare potuisset magnitudinem, quod Boyni fluvii ita angustus et scopulosus hodie dicatur esse alveus; ut navigiolo, etiam flumine et ventis uso secundis, ad urbem Trimmensem ab ejus ostio nullus pateat aditus.

Quæ de Trimmensis ecclesiæ a Lumano, primo illius pontifice, jactis fundamentis apud Jocelinum postea sequuntur, ex antiquiore auctore Tirechano, licet minus eleganter explicata, libet hic repetere: "Quum Patricius cum sua sancta navigatione ad Hiberniam pervenit, sanctum Lomanum in ostio Boindeo navem custodire reliquit quadraginta diebus et quadraginta noctibus: ac deinde alium quadragesimum, propter obedientiam Patricio, mansit. Deinde secundum imperium sui magistri in sua navi, contrario flumine, usque ad vadum Truim in ostio arcis Feidilmedi filii Loiguir, Domino gubernante, pervenit. Mane autem facto Foirtchern filius Feidilmedi invenit evangelium recitantem: et admiratus evangelium et doctrinam ejus, confestim credidit; et aperto fonte in illo loco a Lomano in Christo baptizatus est. Et mansit cum illo, donec

<sup>g</sup> Vid. supra, pag. 334.

<sup>h</sup> Jocelin. cap. 54.

<sup>i</sup> Supra, pag. 392.

<sup>k</sup> Jocelin. cap. 51.

mater ejus quærere eum pervenit: et læta facta est in conspectu ejus quia, Britonissa erat. At illa similiter credidit: et iterum reversa est in domum suam; et nunciavit marito suo omnia quæ acciderant illi et filio suo. At vero Fedelmidius lætificabatur in adventu clerici: quia de Britonibus matrem habuit, filiam regis Brittonum, id est, Scoti-noesa. Salutavit autem Fedelmidius Lomanum lingua Britannica, interrogans eum secundum ordinem de fide et genere: et respondit ei: Ego sum Lomanus Britto, Christianus, alumnus Patricii episcopi, qui missus est a Domino baptizare populos Hiberniensium et convertere ad fidem Christi; qui me misit huc secundum voluntatem Dei. Statimque credidit Fedelmidius cum omni familia sua: et immolavit<sup>1</sup> illi et S. Patricio regionem suam, cum possessione sua, et cum omnibus substantiis suis, et cum omni progenie sua. Hæc omnia immolavit Patricio et Lomano, cum Foirtcherno filio suo, usque in diem judicii. Migravit autem Fedelmid trans annem Boindeo: et mansit Loman cum Foirtcherno in vado Truim; usque dum pervenit Patricius ad illos, et ædificavit ecclesiam cum illis vigesimo secundo anno antequam fundata est ecclesia Altimachæ.”

Jocelinus<sup>m</sup>, et qui Hibernica lingua res Patricii descripsit, vigesimo quinto anno ante foundationem Ard-machiæ (Hibernis enim ut Mach, juxta Bedam<sup>n</sup>, campum, ita Arduum vel altum denotat) ecclesiam Ath-trymmensem extractam fuisse significant. Verum ad duodecimum potius quam ad vigesimum secundum vel vigesimum quintum ante Ardmachiam fundatam annum illius ecclesiæ primordia fuerint referenda; si Ultoniensibus annalibus fidendum, in quibus tempus conditæ urbis Ardmachanæ ita consignatum est: “Anno Domini CCCXLIV. Ardmacha fundata est. Ab urbe condita usque ad hanc civitatem fundatam, MCXCIV. anni sunt.” Et quidem a Roma condi cœpta usque ad annum æræ Christianæ CCCXLV. (ei enim respondet annus CCCXLIV. in annalibus illis notatus) juxta Polybii rationes anni MCXCIV. revera effluerunt:

<sup>1</sup> Id est, obtulit.

<sup>m</sup> Jocelin. cap. 52.

<sup>n</sup> Bed. hist. lib. 3. cap. 4. supra, cap. 15. pag. 231.

quam summam triennio tantum superat numerus annorum a Varronianis deductus Palilibus.

Louthiæ commoratum fuisse S. Patricium, priusquam Ardmachiam concessisset, a loci illius incolis accepi: quorum traditioni favet etiam Jocelinus<sup>o</sup>, qui illum “ ad orientalem plagam loci qui Lugh dicitur (ita enim prima Antverpiensis legit editio, Hibernico retento nomine; pro quo Ludham in Parisiensi editione substituit Messinghamus, ad Anglicanam loci appellationem propius accedentem) divertisse, ibique locum Domino, tabernaculum Deo Jacob, ipsius Patricii nomine adhuc insignitum, erexisse” memorat, et quum in Ardmachia suam sedem cathedralem constituere proposuisset, S. Mochtheo, (sic enim etiam prior illa editio habet, non Moccheum, ut posterior) magnæ virtutis viro contulisse; qui, relicta Britannia patria sua, sedem hic posuerit diesque suos consummaverit. Hinc in libro Sliguntino, inter domesticos S. Patricii Mochta Lugh sacerdos secundo loco collocatur: ejusque ad hunc usque diem in Louthiano et Cavanensi comitatu celebratur memoria. Ad occidentalem vero partem Louthianæ ecclesiæ S. Motti capella (ut vulgus appellat) adhuc superest; et non multo amplius quam dimidio milliari inde distans Ard-Patrick, ubi et sacræ ædiculæ conspiciuntur rudera, septemdecim latitudinis, viginti septem vero pedum longitudinis.

Neque a Mochtheo hoc nostro alius est ille proselytus Britto, homo sanctus, S. Patricii discipulus; quem de Cclumba prophetasse, in secunda præfatione vitæ illius præmissa, significat Adamnanus. Mochtheum enim, in MS. quo usus sum codice, ibi nominatum invenio: pro quo Maueteus in<sup>p</sup> libris Adamnani editis, apud Johannem vero Tinmuthensem et Capgravium, in ejusdem Columbæ vita, Maceus legitur: unde ab aliis Maceus vates dicitur; et a Johanne Balæo<sup>q</sup> (eumque hic secutis Nicolao

<sup>o</sup> Jocelin. cap. 134.

<sup>p</sup> Tom. 5. antiqu. lect. Henr. Canisii, pag. 563. et Florileg. sanctor. Hiberniæ a Tho. Messinghano edit. pag. 145. in ejus margine, pro Mauetei, reponendum est nomen Patricii.

<sup>q</sup> Balæ. scriptor. Britann. centur. 1. num. 46. vid. Possevin. apparat. sacr. in Baccario et Maceo: et Dempster. hist. ecclesiastic. Scotor. lib. 2. num. 162. et lib. 12. num. 829.

Harfsfeldio et Johanne Pitseo) cum Bachiaro perperam confunditur, cujus ad Januarium de recipiendis lapsis extat epistola, et cujus de fide libellum alium Gennadius<sup>r</sup> se legisse scribit; “in quo satisfacit pontifici urbis adversus querulos et infamatores peregrinationis suæ, et indicat se non timore hominum sed Dei eam peregrinationem suscepisse, ut exiens de terra sua et de cognatione sua cohæres fieret Abrahæ patriarchæ.” Habebatur vero et Mocthei nostri epistola, hanc inscriptionem præferens, “Mauchteus (alii Moctheus) peccator, presbyter, sancti Patricii discipulus, in Domino salutem.” Meminerunt illius annales Ultonienses: in quibus ad annum Domini DXXXIV. vel DXXXVI. secundum alios, hoc est, usitatæ nostræ æræ DXXXV. vel DXXXVII. dormitatio sancti Muehti, vel Moecta, discipuli Patricii, decimo tertio Calendas Septembris refertur. Nam quod Jocelinus<sup>s</sup> narrat, S. Patricii sententia, vitam illi, in pœnam incredulitatis, ad trecentos annos protensam; dignum certe est quod inter alia prodigia, inaudita sua novitate stupenda, in Guilielmi Thyraei discursibus panegyricis locum habeat; quos<sup>t</sup>, si lubet, consule.

Clochorensi etiam ecclesiæ, in comitatu Tironensi sitæ, præfuisse S. Patricium, prius quam Armachiam concessisset, Jocelinus refert; de discipulo ipsius, et in ecclesia illa successore, Kertenno ita scribens: “Quia<sup>u</sup> S. Patricius talis discipuli diligebat præsentiam, providit illi ecclesiam nec a sede archiepiscopali, quam in Ardmachia constructurus erat angelo jubente, nimis remotam, nec eidem metropoli, ne forte a secuturis archiepiscopis gravaretur, valde vicinam. Sic profecto factum est, ut vir Domini non vexaretur, sedem primam frequentando ac Patricium sanctum visitando, ob viæ longinquitatem; nec ejus ecclesia despicibilis videretur ob nimiam vicinitatem. Expletis aliquantibus diebus, præfecit illum Clochorensi ecclesiæ, quam ipse S. Patricius tunc regebat.” Est autem hic Mac-kartinus

<sup>r</sup> Gennad. catalog. scriptor. ecclesiast. cap. 24.

<sup>s</sup> Jocelin. cap. 135.

<sup>t</sup> Thyraei. discurs. panegyric. de S. Patricio. pag. 124, 125.

<sup>u</sup> Jocelin. cap. 143.

ille, “ de nobili (ut in vita ejus habetur) prosapia Aradensium ortus,” B. Patricii in Italia et Hibernia comes indiviuus: quem ante Mochtheum, nono videlicet Calendas Apriles, anno Domini DVI. obiisse legimus; S. Tigernaco successore relicto, qui in Cluana-eois, vulgo Clunes, in comitatu Monachanensi, sedem episcopalem posuit, et anno DL. Nonis Aprilibus mortalitatem exiit: ad quem diem in martyrologiis, a Molano et Galesinio editis, natalis ejus ita consignatus est: “ In Scotia, (majorem intellige et antiquam) sancti Tigernaci episcopi, et confessoris.”

Ludunensis vero, Clochorensis, Cluainensis, Ardsrathana (quæ una cum episcopatu Rathlurigensi, decanatu de Rathloury hodie dicto, Derensi episcopatu postea est annexa) et ecclesia de Damh-ynis (Devenish ea est, in Fermannachano comitatu posita) successu temporis in unum conflatae sunt episcopatum; qui a primaria illa ecclesia, apud Louthianos a S. Mochtheo constituta, Ludunensis appellationem obtinuit. Ut enim Giraldo Cambrensi<sup>w</sup> Louthia nostra Luvedum et urbis illius episcopus Luvedensis, vel etiam Lug-dunensis, ut in uno codice scriptum reperi: ita in vetusto provinciali Romano, episcopatus Clocherensis<sup>x</sup> alias Lugundensis vel Lugu-dunensis, ejusque sedes principalis ecclesia S. Mariæ de Lugu-dun, quæ in oppido Louthiano adhuc superest, a Centio Camerario nuncupatur. Et in regesto Clochorensi, tempore Davidis O-Bragan, per potentiam quidem Germani O-Chcarbala Rathlurensis sive Derensis episcopi, et nationis suæ de Kænel-cogain (sive Tir-oen) ecclesia de Ardsratha, cum pluribus aliis ecclesiis de Opheathrach; per Ardmachanorum vero præsulum potentiam, ecclesia Ludunensis, cum tribus decanatibus, de Droithid-hatha, (Pontana ea est, vulgo Drogheda dicta) de Atrio Dei, (vulgo Athirdee) et de Dundelga, (vulgo Dundalke) Clochorensi diœcesi subtractæ fuisse referuntur; qua de re Davidis in Reynaldum Arnachanum archiepiscopum ibidem recitatur ac-

<sup>w</sup> Girald. topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 50. et Hibern. expugnat. lib. 2. cap. 24.

<sup>x</sup> Camden. Hibern. pag. 735.

tio, data Perusii, Idus Augusti, anno Domini MCCLII. pontificatus Innocentii IV. anno X.

De Ard-machæ sive Altimachæ primordiis, a salicibus quibus consita fuerat Druim-sailech aliquando appellatæ, apud Probum, libro secundo de vita Patricii, hæc habetur narratio: "Fuit homo quidam dives et honorabilis in regione orientalium, cui nomen erat Daire: quem rogans S. Patricius, petiit ab eo ut aliquem locum daret ei, ubi monasterium construeret, et sanctæ conversationis religiose viventibus mansionem præpararet. Respondit dives ille, dicens ad S. Patricium: Ecce terra coram te est; dic ergo mihi, quem locum desideres ad inhabitandum. Peto, inquit S. Patricius, illam altitudinem terræ, quæ nominatur Saileg, dones mihi ad inhabitandum; ut construam ibi locum ad cultum divinum. At ille noluit dare sancto viro terram altam quam petierat, sed dedit illi locum alium in inferiori terra: et habitavit ibi S. Patricius cum suis." Hic vero orientales appellat Probus Oriel sive Oirc-giall regionis incolas; quæ olim Louthianum, Armachanum et Monachanensem comitatum complexu suo continebat. Unde Ultos sive Ultanos, regionis Ullagh sive Ulidiæ, id est, Dunensis comitatus incolas, secernit tripartiti operis author "ab illis qui dicuntur Airgialla, in quorum regione est summa civitas Patricii Ardmacha." In eodem quoque tripartito opere de jam dicto Dairo sive Dario ista legimus: "Fuit quidam homo dives multum et honorabilis in aquilonali Hiberniæ plaga, nomine Dare; in regione scilicet quæ modo dicitur Airthir. Gloriosus præsul Patricius ipsum divitem rogavit, ut aliquem locum daret sibi, ubi habitaret cum suis. Deditque ei Dare locum quendam parvum, nomine Fearta, qui est in orientali plaga civitatis Ardmachæ; in quo jacet soror S. Patricii Lupita, sicut superius<sup>y</sup> diximus: et ibi habitavit S. Patricius aliquo tempore."

In libro Hibernico Dairus ille filius fuisse dicitur Finchadæ, filii Eoghani sive Eugenii filii Niallani; et locus habitationis ipsius Raith-Daire, alter vero B. Patricio ab

<sup>y</sup> Supra, pag. 331.

eo donatus Deæ-fert appellatur. “ Est autem locus angustus,” inquit Jocelinus<sup>z</sup>, “ secus Ardmachiam situs, tempore moderno Festum miraculorum nominatus.” Hibernis enim Fearta miraculum denotat. De ipsa vero Ardmacha, B. Patricio a Dairo postea donata, Probus adjicit: “ Accepit ab eo S. Patricius prædium optatum et placitum sibi; et ædificavit in eo monasteria et habitationes religiosorum virorum. In quo loco nunc civitas est Arithmache nominata; ubi sedes episcopatus et regiminis est Hiberniæ.” Quod Jocelinus<sup>a</sup> plenius ita explicat: “ Civitatem itaque egregiam situ, forma, quantitate, ambitu, angelicis indiciis designatam, fundavit Patricius et extruxit, divinitus adjutus ad unguem perduxit. Cives quoque duodecim, quos studiose undecumque collegit, discrete delegit, ad inhabitandum in eam introduxit, introductos fidei Christianæ Catholicis institutis atque dogmatibus diligenter instruxit. Ecclesiis autem honesto ac spirituali schemate fabricatis urbem eandem venustavit. Clerum etiam ad divini cultus obsequium, ad regimen animarum, ad Catholici populi eruditionem, in ipsis ordinavit: monasteria monachis, et alia sanctimonialibus, replevit, omnisque perfectionis institutis erudit:” et pauculis interjectis: “ Cathedram archiepiscopalem in eadem urbe collocavit; et ut sedes illa totius Hiberniæ esset primaria metropolis et magistra, animo statuit.” Quibus et brevem illam ex officio<sup>b</sup> S. Patricii annotationem adjicere liceat: “ In civitate Ardmachana totius insulæ sedem primam et metropolim constituit;” et ex opere tripartito alteram, “ Ibi B. Patricius magnam civitatem, quæ dicitur Ardmacha instituit; in qua est omnis archiepiscopatus Hiberniæ: quam valde dilexit S. Patricius, et in qua constituit summum suum honorem per secula. In ipsa jam civitate, scilicet Ardmacha, summum studium literale manet semper.”

Primatum sedi Armachanæ delatum fuisse, non ob Patricii solius sed etiam ob aliorum sanctorum in eâ conditorum honorem, Guilielmus Neubrigensis autumat. “ Ar-

<sup>z</sup> Jocelin. cap. 161.

<sup>a</sup> Ibid. cap. 165.

<sup>b</sup> Offic. Patric. lect. 6. edit. Paris. ann. 1620.

demachiaë,” inquit ille<sup>c</sup>, “esse dicitur prima sedes Hiberniaë, propter honorem beati Patricii atque aliorum indigenarum sanctorum, quorum ibidem sacraë reliquiæ requiescunt.” At reliqui omnes uni Patricio hoc acceptum referunt: de quo, in Hiberniaë topographia, Giraldus Cambrensis<sup>d</sup>: “Baptizatis catervatim populis, et tota jam insula ad fidem Christi conversa, apud Ardmacham sibi sedem elegit: quam etiam quasi metropolim constituit, et proprium totius Hiberniaë primatiæ locum:” et ante eum, in Malachiaë vita, Bernardus Clarævallensis. Illius “reverentia et honore, tanquam apostoli illius gentis qui totam patriam convertisset ad fidem, sedes illa, in qua et vivus præfuit et mortuus requiescit, in tanta ab initio cunctis veneratione habetur; ut non modo episcopi et sacerdotes, et qui de clero sunt, sed etiam regum ac principum universitas subjecta fuerit metropolitano, et unus ipse omnibus præsit.”

Illius vero, cuius ex opere tripartito facta est mentio, summi studii literalis, sive academiaë in urbe Armachana constitutaë, Gildam Albanium, quem Balæus, Harpsfeldius et Pitseus Patricii nostri faciunt discipulum, rectorem aliquando extitisse, confirmat Caradocus Lancarvanensis; ita de eo scribens: “Gildas Brittonum historiographus tunc remanens in Hibernia, studium regens et prædicans in civitate Ardmaca, audivit fratrem<sup>e</sup> suum ab Arthuro rege interfectum fuisse.” Sed quam fidem mereatur quod, ex antiquo nescio quo monumento ante aliquot annos Oxoniaë reperto, in suis antiquitatum Hibernicarum collectaneis refert Florentius Mac-Cartinus, nondum intelligo: “tot Ardmachæ collegia extitisse, ut studiosorum census septem milium numerum excesserit.” Certius est, quod ex historiis patriis idem recitat: “Turgesium Danorum sive Norwagiensium ducem, urbe Ardmachana occupata, Farananum primatem una cum omnibus religiosis et studiosis inde expulisse:” quod et cum Faranani temporibus convenit, quem ab anno DCCCXXXIV. ad

<sup>c</sup> Neubrigens. de reb. Angl. lib. 3. cap. 9.

<sup>d</sup> Girald. topograph. distinct. 3. cap. 16.

<sup>e</sup> Vid. supra, cap. 15. pag. 218.



DCCCXLVIII. Ardmachanæ sedi præfuisse aliunde didicimus; et cum Turgesii, sub cujus ductu Norwagienses, Hiberniam “annos<sup>f</sup> circiter triginta occupantes, et<sup>g</sup> gentili furore debacchantes, ecclesias fere omnes destruxisse” scribit Giraldus Cambrensis.

Et in Francofurtensi quidem editione, Norwagienses cum Turgesio huc dicuntur appulisse anno octingentesimo trigesimo octavo. Verum ab omnibus quos consului Giraldi manuscriptis exemplaribus verba illa aberant: et triginta Norwagiensis hujus tyrannidis annos ab anteriori epocha esse deducendos, ex Northmannorum sive Norwagiensium horum chronicis colligimus. Quæ<sup>h</sup> cum Scotos a Northmannis, id est, Hibernos a Norwagiensibus<sup>i</sup>, per annos plurimos tributarios effectos fuisse doceant; anno demum DCCCXLVIII. pristinam ab eis recuperatam fuisse libertatem ita indicant: “Scoti super Northmannos irruentes, auxilio Dei victores, eos a suis finibus propellunt. Unde rex Scotorum ad Carolum (Calvum) pacis et amicitiae gratia legatos cum muneribus mittit; viam sibi petendi Romam concedi deposcens.” Hoc vero ipso anno, qui Turgesianæ tyrannidis videtur fuisse postremus, expulsi Farannani locum suscepisse putatur Dermotus; et uterque post quadriennium ex hac vita migravisse. Unde in Ultoniensibus annalibus, ad annum DCCCLI. qui nobis DCCCLII. est, scriptum legimus: “Duo hæredes S. Patricii, nempe Forannanus scriba, episcopus et anachoreta, et Dermotus episcopus, sapientissimus omnium doctorum Europæ, qui- everunt. Vastatio Armachæ per Gentiles, die Paschæ.” In iisdem præterea annalibus sequentia hæc annotata invenimus: “Anno DCCCLXXVIII. Mælcobus filius Crumvaili antistes Armachanus, et Moctheus lector, capti sunt a Gentilibus,” illis videlicet Norwagiensibus. “Anno DCCCXCVIII. Bressalus lector Armachanus mortuus

<sup>f</sup> Girald. Topograph. disetinet. 3. cap. 42.

<sup>g</sup> Ibid. cap. 37.

<sup>h</sup> Chronic. de gest. Normannor. tomo 2. hist. Franc. scriptor. ab Andr. du Chesne edit. pag. 525.

<sup>i</sup> “Northmanni procedentes de Scanzia insula, quæ Northwegia dicitur; in qua habitant Gothi et Huni atque Daci.” Ibid. pag. 524.

est. Anno DCCCCLII. Mæl-Patricius filius Coskani, lector Armachanus, obiit." Et, lectorum successione deinceps continuata : " Anno MCII. Mugronus O-Mungair, Armachiae et totius occidentalis Europæ lector primarius, multis testibus præsentibus, tertio Nonas Octobris vitam feliciter finivit." Et, Anno MCVII. Mæl-Patricius O-Druranus munus lectoris Armachiae suscepit die S. Ailbeo dicato." Quæ idcirco commemoravimus, ut Armachanæ academiæ, inter medias Norwagiensis tempestatis procellas emergentis, aliqua deprehendi possent vestigia.

Ab Armachana ad Dubliniensem civitatem jam accedo, Hibernis *baile-athcliath*, et prima compositionis parte omissa, quæ generaliter oppidum denotat, Atheliath nuncupatam : de qua, vitæ S. Cœmgeni sive Keivini scriptor : " Civitas Ath-cliath est in aquilonali Lagenensium plaga super fretum maris posita ; et id Scotice dicitur Dub-lein, quod sonat Latine nigra therma : et ipsa civitas potens et belligera est, in qua semper habitant viri asperrimi in præliis et peritissimi in classibus." Et Jocelinus, in vita B. Patricii, " Discedens<sup>k</sup> Patricius de Midiae finibus, versus Lageniam evangelizandi gratia dirigebat gressus. Cumque iter agens devenisset trans flumen Finglas nomine ad quendam collem, a pago Ath-cliath, qui modo dicitur Dublinia, uno ferme miliario distantem ; considerans locum et circumjacentia ejus et benedicens, in hanc fertur propheta prurupisse vocem. Pagus iste nunc exiguus, eximius erit ; divitiis et dignitate dilatabitur : nec crescere cessabit, donec in regni solium sublimetur." Idem tamen postea, eorum quæ dixerat parum memor, non exiguum pagum, sed in regni solium jam tum urbem sublimatam fuisse significat : quum Alpini<sup>l</sup> Dubliniæ regis filium Eochiad (ut est in MS. vel Eochadh, ut Antverpiensis habet editio ; pro quo in posteriore Parisiensi Cochadh perperam habetur expressus) et filiam Dubliniam (quæ, ut ille fabulatur, civitati nominis sui contulit vocabulum) ad vitam,

<sup>k</sup> Jocelin. cap. 69. lib. impress. cap. 68. MS.

<sup>l</sup> Id. cap. 71. lib. impress. cap. 98. MS.

qua nuper functi fuerant, a Patricio revocatos, indeque regem totumque populum ad fontem B. Patricii, juxta civitatem ad austrum, ab eodem baptizatos fuisse refert; hoc de situ et statu urbis illius præmisso proœmio:

“Advenit Patricius in urbem nobilem populo, situ amœnissimam, concurrentibus mari et flumine piscibus opulentam, commerciis famosam, planitie viridante affectuosam, glandiferis nemoribus consitam, ferarum lustris circumvallatam; quæ postea dicta fuit Dublinia. Hæc a convenis Norwagiæ et insularum populis exercitio peritissimis, omni armatura munitis, bello fortibus, dapsilibus pace, omni regno necessariis, in favorem regis Hiberniæ sub regina filia regis Norwagiæ initiata; in posterum, per varias rerum vices, modo rebellis modo fœderata regno Hiberniæ extitit.” Eum locum, cum aliis quibusdam ad urbis patriæ illustrationem spectantibus, ex manuscripto Jocelini codice desumptum, ante annos triginta ad doctissimum Camdenum transmisi: qui priorem ejus partem antiquæ<sup>m</sup> suæ Hiberniæ descriptioni inseruit. Quod ideo hic monendum duxi, ne quis verba Jocelini a viro clarissimo citata in libris editis, qui totum hoc caput suo loco motum et varie mutatum exhibent, frustra perquirens, fidem nostram in disceptationem quæstionemque vocaret.

Habetur in libro Ballimotensi et Sliguntino de Dubliniensium conversione vetus carmen Hibernicum Beneneo<sup>n</sup> sive Benigno, Patricii discipulo et in sede Armachana successori, attributum: quæ pars aliqua operis illius, quod de vita Patricii Jocelinus<sup>o</sup> editum ab eo affirmat, fuisse videatur. Ibi vero Atheliathæ rex Alpinus filius Æoli, de stirpe Donaldi Dubh-dainaigh, fuisse dicitur: et occasione filii ipsius Eochaidi sive Achaii (filii enim Dubliniæ nulla hic mentio) precibus Patricii a mortuis suscitati, Dublinienses cum rege suo Christi fidem suscepisse et, præter præsens oblatum munus, tres auri uncias Patricio et illius in sede Armachana successoribus singulis annis persolvendas se et posteros suos sempiterna religione obli-

<sup>m</sup> Camden. Hibern. pag. 751.

<sup>n</sup> De quo supra, pag. 408.

<sup>o</sup> Supra, pag. 373.

gavisse traditur. “ Ex illa ergo die,” inquit Jocelinus, “ rex Alpinus et omnes Dubliniæ cives voverunt se et omnes posteros suos in servitium S. Patricii et Ardmanachanorum primatum: statuentes ecclesiam juxta præfatum fontem extra civitatem, et aliam mansionem juxta ecclesiam sanctæ Trinitatis in civitate, ad occidentem ejusdem sedis archipræsulis.”

Nempe duas habet Dublinia cathedrales ecclesias, alteram extra civitatis mœnia, S. Patricii nomine insignem; alteram in urbis medio sitam et S. Trinitati dicatam, intra cujus septa Dubliniensis archipræsulis ædes olim positas fuisse etiam ex Giraldop didicimus. In Patricianæ ecclesiæ claustro, non procul a campanili, illum Patricii fontem vidimus, intra privatas ædes inclusum nuperrime et obstructum, ad quem Dublinienses neophytos ab eo fuisse baptizatos, juxta civitatem ad austrum, ex Jocelino jam audivimus. Altera, sanctissimo Trinitatis nomini consecrata, quæ Christi ecclesia vulgo dicitur, fornices subterraneis innixa surgit: de quibus in Nigro illius ecclesiæ libro ita legimus: “ Fornices sive voltæ fuerunt fundatæ per Danos ante adventum S. Patricii ad Hiberniam: et tunc temporis ecclesia Christi non fuerat fundata nec constructa prout nunc est. Quapropter S. Patricius celebravit missam in uno fornice sive volta, qui in hodiernam diem appellatur fornix sive volta S. Patricii. Deinde S. Patricius, cernens ingentia miracula quæ Deus ei ostenderat, prophetavit et dixit, Post multos annos futuros, hic erit ecclesia fundata et constructa; et Deus laudabitur in ea post omnes ecclesias totius Hiberniæ.”

In Laginiensi provincia, cujus sub finem pontificatus Eugenii III. Dubliniensis antistes constitutus est metropolitanus, Ficchum Ercæ filium (quem Hiberni *fjach fjnd*, et eodem sensu Feccum Album Tirechanus nuncupat) a B. Patricio Slebhtiensi episcopum ordinatum fuisse diximus<sup>q</sup>: quem, sexaginta sanctis ad Deum ante se præmissis, Slepti sepultum fuisse Jocelinus<sup>r</sup> asserit. Themoriam

<sup>p</sup> Girald. Cambrens. topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 46.

<sup>q</sup> Supra, pag. 374.

<sup>r</sup> Jocelin. cap. 117.

quidem hic Probus<sup>s</sup> nominat : sed Slebhiti alii omnes et viventi et defuncto sedem illi assignant ; in quibus et tripartiti operis auctor, ita rem referens : “ Ordinavit S. Patricius de gente Laginensium alium episcopum nomine Fyacha virum religiosissimum : qui jussione beatissimi Patricii gentem Ceanselach ad fidem convertit et baptizavit ; quæ gens major atque potentior pars Laginensium est. Qui episcopus Fyacha fortiter carnem suam cum vitiis et concupiscentiis attrivit : et in sua civitate Sleibhti juxta flumen Berbha<sup>t</sup> in Campo Albo suæ vitæ sanctissimæ finivit cursum.”

Hymni Hibernici, qui Fiecho tribuitur, Scholiastes ipsi et ejus successoribus totius Lageniæ archiepiscopatum colatum fuisse notat. Vitæ tamen Brigidæ scriptor anonymus Kildariam<sup>u</sup> suo tempore metropolim Laginensium fuisse affirmat : eamque Cogitosus maximam<sup>w</sup> civitatem et metropolitanam, ejusque præsulem archiepiscopum<sup>x</sup> Hiberniensium episcoporum appellat. Alii vero Fernensem ecclesiam, ut supra<sup>v</sup> monuimus, S. Ædani sive Moedhdogi cathedram, totius Lageniæ metropolim constituunt. Ita enim in vita Ædani legimus : “ Magna civitas in honore S. Moedhdog ibi crevit, quæ vocatur Ferna. Deinde facta synodo magna in terra Laginensium decrevit rex Brandubh, et tam laici quam clerici, ut archiepiscopatus omnium Laginensium semper esset in sede et cathedra sancti Moedhdog. Et tunc sanctus Moedhdog a multis Catholicis consecratus est archiepiscopus.” Et in vita Molyngi quoque : “ Adductus S. Molyng ad prædictam civitatem, constitutus est ipse archiepiscopus in sede et cathedra S. Moedhdog. A rege jam Laginensium Brandubh filio Eathach constitutum est, ut archiepiscopatus Laginensium in civitate sancti Moedhdog esset. Ipsa civitas vocatur Ferna, quæ est in terra gentis Kenselach.”

Sed maxime memorabile est, quod de septem filiis Amalgaidh sive Amhlaich regis Connaciæ, a quo tractus

<sup>s</sup> Supra, pag. 410.

<sup>t</sup> Barrow.

<sup>u</sup> Supra, cap. 15. pag. 163.

<sup>w</sup> Cogitos, vit. Brigidi tomo. 5. antiqu. lect. II. Canis. pag. 641.

<sup>x</sup> Ibid, pag. 626.

<sup>v</sup> Supra, cap. 5. op. tom. 5. pag. 113.

terræ in eadem provincia Tire-Auly dictus nomen accepisse putatur, et duodecim hominum millibus uno die ad fidem a Patricio conversis et baptizatis refertur: cui “populo<sup>z</sup> noviter ad Christum converso magistrum Mancenum, virum religiosum et optime in Scripturis sanctis exercitatum,” ille præfecisse legitur. Eam conversionem Ninius ita commemorat, de Patricio nostro scribens: “Duodecim millia hominum in una regione Connachta ad fidem Christi convertit et baptizavit: et septem reges qui erant filii Amolgith in uno die baptizavit.” Eadem ad annum CCCCXCI. repetit Matthæus Florilegus: et “septem regum filiorum Almogith uno die baptizatorum” meminit etiam Vincentius<sup>a</sup>. Neque aliam habuisse originem exterorum illam opinionem facile mihi persuadeo, qui unam hanc provinciam a tota insula distinguere nescientes, universam Hiberniam a septem regibus<sup>b</sup> Patricii tempore administratam fuisse crediderunt.

Patricius, “dum Scotorum regi de Christi passione prædicaret, stans ante eum et appodians se super ferulam quam manu tenebat et casu pedi regis superposuerat, cum aculeo pedem perforavit. Rex vero credens sanctum episcopum ex industria hoc facere, et se aliter fidem Christi non posse suscipere nisi similia pro Christo pateretur, patienter sustinuit. Sanctus hoc tandem intelligens obstupuit, et precibus regem sanavit.” Habet ista in legenda<sup>c</sup> sua Jacobus Januensis: quæ ad Almogittum illum regem officii<sup>d</sup> canonicorum Lateranensium a Pio V. approbati concinnator, ad Momoniensium regem Ængusum sive Æneam Nadfraichi filium Jocelinus<sup>e</sup> et reliqui vitæ Patricianæ scriptores accomodant. De hujus vero conversione in opere tripartito ita legimus: “Gloriosus præsul Patricius, seminata in regionibus Laginensium fide, viam suam ad fines Mumonensium direxit: transiensque terram Ossargy<sup>f</sup>, quæ est occidentalis Laginensium plaga, intravit in terram Nandesi, quæ est orientalis Mumoniæ

<sup>z</sup> Jocelin. cap. 59.

<sup>a</sup> Vincent. spec. hist. lib. 20. cap. 23.

<sup>b</sup> Supra, pag. 411, 412.

<sup>c</sup> Legend. aur. cap. 49.

<sup>d</sup> Offic. canonic. Regular. Lateranens. Mart. 16. edit. Venet. ann. 1586.

<sup>e</sup> Jocelin. cap. 74.

<sup>f</sup> Ossory.

pars. Et audiens rex Mumoniensium filius Nafroich nomine Ængus adventum S. Patricii, occurrit illi in campo Femyn,<sup>g</sup> qui est in terra Nandesi. Et gavisus est rex in adventu S. Patricii, multum desiderans credere et baptizari. Adduxitque sanctum pontificem secum cum honore et lætitia ad suam civitatem regalem nomine Casseal, quæ est in regione Eoghanacht. Et ibi credidit Deo rex Ængus, et baptizatus est.”

Cum quibus conjungenda, ex vita Albei, illa: “Cum B. Albeus audisset quod Patricius regem Mumoniensium Engussum filium Nefrich converteret ad Christum, et esset cum eo in civitate regali Casel: venit ut eos salutaret. Rex autem et Patricius gavisus sunt in adventu Albei; et ille est gavisus eos videns. Ibi<sup>h</sup> vero accepit Patricium magistrum suum S. Albeus: quia valde erat humilis. Tunc rex Ængus et Patricius ordinaverunt, ut in civitate et cathedra S. Albei esset archiepiscopatus omnium Mumoniensium semper.” Et ex vita Declani, “Commanentes in civitate Caissyl S. Patricius et S. Albeus sanctusque Declanus, cum multis sanctis suis discipulis, apud regem Ængusa, multa bona rigoris Christiani constituerunt. Et ibi rex Ængusa et S. Patricius, cum omni populo, ordinaverunt archiepiscopatum Mumoniæ in civitate et in sede S. Albei, qui tunc ab eisdem archiepiscopus ordinatus est, per seculum. Et constituerunt S. Declano quos de gentilitate ad fidem convertit, gentem scilicet Nandesi, ut ipsi in parochia episcopatus ejus essent, quæ est magna et clara; et ut Hibernienses in aliis locis S. Patricio servirent, ita et Nandesi gens suo patrono S. Declano omne exhiberent sub Deo obsequium. Inde S. Patricius, archipontifex et patronus totius Hiberniæ, versum sequentem Scotica lingua, quasi quoddam oraculum legis vigorem habens et privilegia his sanctis concessa cantavit. Quem versum familia S. Albei et familia S. Declani noluerunt pro se vel rhythmicè seu metricè in Latinum verteremus, sed majoris auctoritatis ei conciliandæ gratia, illum proprio et genuino quo pronunciatum et compositum est a S. Patricio idiomate, pro digni-

<sup>g</sup> Muigh-Feaimin.

<sup>h</sup> Vide supra, cap. 16. pag. 355.

tate proferremus in medium. Ita Scotice canitur ille versus :

Ալբե ամալ, թառյս Մաման, մօ չառի թառի :  
 Declan թառյս Նառեյրյ, ռառեյրյ աչ Չեռան չօ Բրառի.”

Se autem cum antiquis horum discipulis versatum fuisse auctor ille subindicat : de Declano postea hunc in modum scribens : “ Discipuli et turbæ credentium et Christi pauperes et peregrini semper sequebantur eum. Ipse enim largus valde, pius et clemens erat : et inde fertur nobis ab antiquis ejus discipulis, quod magnus exercitus in comitatu suo consuete fuerat.” Carminis vero illius Hibernici sententiam si quis requirat, eam Latine a Johanne Kellio nostro ita expressam accipiat :

Albeus est humilis, dixit Calphurnia proles;  
 Patriciusque esto hinc Albee Momonia.  
 Declanus pariter patronus Desius esto,  
 Inter Desenses Patriciusque suos.

Sedes autem Albei urbs Imelacensis est, Emelye vulgo dicta ; Declani Ardmorensis, ab eo Արմօրի Չեռչլայր Hibernis appellata : quarum prior Cassiliensi archiepiscopatu, posterior episcopatu Lismoriæ, a qua duodecim tantum passuum millibus distat, hodie habetur annexa.

“ Cum S. Albeus reverteretur de Cassel, occurrit ei Enna abbas dicens : Revertere mecum ad regem, et quære mihi ab eo illam insulam, id est, Arn, ut in nomine Domini faciam ibi monasterium. Tunc reversus S. Albeus ad regem, salutavit eum dicens : Illam insulam positam in oceano maris da nobis, ut ædificemus ibi monasterium. Rex ait : Non vidi, nec audivi qualis et quanta sit illa insula ; et ideo nemini eam dabo, ut prius sciam quomodo sit. Tunc virtus divina fecit regem videre totam illam insulam per longa spatia terrarum ; et scivit qualis et quanta fuit. Tradidit autem rex sanctis insulam Arn : et sub sancto Albeo sanctus Enna construxit ibi egregium monasterium : et sub uno nomine nominatur etiam insula, id est, Arn. Et magna est illa insula, et est terra sanctorum : quia nemo scit numerum sanctorum qui sepulti sunt ibi, nisi solus Deus.” Hæc scriptor vitæ S. Albei : qui de eodem postea



subjicit: "Sanctus jam Albeus volens fugere homines, videns se honorificatum esse apud homines omnes, et cum essent plurima loca sub eo, ad insulam Tyle in oceano positam navigare decrevit; ut ibi viveret Deo secrete solus. Sed nutu Dei Ængus rex Casseil hoc prohibuit: nam ipse rex ordinavit custodes custodire omnes marinos portus: ne S. Albeus fugeret ab iis quos per baptismum et prædicationem Dei filios fecit."

Arn, Hibernis Ardna næmh sive Arna sanctorum dicta, est notissima illa Aranica in occidentali oceano sita insula; de qua Giraldus Cambrensis<sup>1</sup>: "Est insula quædam in occidentali Conactiæ solo (vel salo potius) posita, cui nomen Aren: a S. Brendano, ut aiunt, consecrata." Qui de Islandia<sup>k</sup> etiam et Tyle<sup>l</sup> vel Thule illa, quam non sibi solum sed etiam occidentalibus omnibus incognitam fuisse profitetur, nonnulla præterea commemorat: quæ cum istis scriptoris antiquioris Dicuili Hiberni de Thyle, quæ illi non alia quam Islandia est, conferre, et Islandicis Arngrimi Ionæ antiquitatibus adjicere liceat: "Trigesimus nunc annus est, a quo nunciaverunt mihi clerici, qui a Calendis Februarii usque ad Calendas Augusti in illa insula manserunt; quod non solum in æstivo solstitio, sed in diebus circa illud, in vespertina hora occidens sol abscondit se quasi trans parvulum tumulum; ita ut nihil tenebrarum in minimo spatio ipso fiat." Et paulo post: "Idcirco mentientes falluntur, qui circum eam concretum fore mare scripserunt; et qui a vernali æquinotio usque ad autumnale continuum diem sine nocte, atque ab autumnali versa vice usque ad vernale æquinotium assiduam quidem noctem: dum illi navigantes in naturali tempore magni frigoris eam intrabant, ac manentes in ipsa, dies noctesque semper præter solstitium tempus alternatim habebant. Sed navigatione unius diei ex illa ad Boream congelatum mare invenitur."

Ne vero Ibari videamur esse obliti: ex vitæ Abbani scriptore ista libet hic repetere: "Abbanus duoden-

<sup>1</sup> Girald. topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 6.

<sup>k</sup> Ibid. cap. 13.

<sup>l</sup> Ibid. cap. 17.

nis, ipso volente et parente utroque consentiente traditus est educandus in literis s cularibus et ad augmenta pietatis c lestisque scienti e capiend e, per quinquennium, suo avunculo S. Ibaro episcopo: ad quem ex omnibus Hiberni e partibus, gratia discendarum literarum sacrarum aliarumque artium liberalium, confluebat magna multitudo clericorum, monachorum et aliorum, in famosissimo quodam et sanctissimo monasterio suo quod Beg-Erin, id  st, parva Hibernia vocatur, et situm est ad australem partem regionis Hua-Kensellaeh in provincia Lagini e, in litorali modica insula." Inter long evos autem numeratur, tum ipse Ibarus, quem circa annum Domini quingentesimum, nono Calendis Maii, mortem obiisse Ultonienses annales subindicant; tum nepos ipsius Abbanus, quem ad Gregorium I. pontificem Romam profectum, et sexto Calendis Novembris, quum esset " tate supergressus longe communem terminum mortalium decrepitorum, inter manus discipulorum placide egisse animam," in actis ipsius legimus.

Mitto quod de annulo templi Ibari, a quodam Germani e heroe et insigni pr done cui Tor-lich, id est, Jovem amans, nomen fuisse dicitur, ex Beg-Erin insula post Ibari mortem ablato, ac deinde restituto, in vita ipsius habetur traditum. Ad Patricium tempus est ut redeam: de quo Jocelinus<sup>m</sup>: "B. Patricius singulas regiones Hiberni e crebro consuevit visere ac, prout temporis opportunitas expe-tebat et ratio dictabat, in eis moram facere. Unde et septem annis continuis in regno morabatur Momoni e, totidemque in regione Connaci e. Diutius tamen degebat in Ultonia, in qua primitus regnum Dei evangelizans, ad Christi fidem illius incolas perduxerat: cujus fines singulos crebrius sua sancta pr sentia perlustrando illustrabat. Ubicunque proficiscebatur, auditores suos aut ad fidem Christi convertebat, aut in fide Christi confortabat<sup>n</sup>. Ubi in Dalnardia<sup>n</sup> vel Dalnaradia illum agentem, ecclesiam Mucmoriensem a Colmanelo, et Benchorensem<sup>o</sup> a Comgallo ibi  dificandam pr dixisse narrat: quod posterius

<sup>m</sup> Jocelin. cap. 96.

<sup>n</sup> Ardes.

<sup>o</sup> Jocelin. cap. 98.

vaticinium, quum ipsis sexaginta<sup>p</sup> ante natum Comgallum annis editum ab illo referatur, et ex Ultoniensium annalium fide anno DXVI. Comgallus natus statuatur; anno CCCCLVI. id ab illo pronunciatum fuisse consequetur.

Neque Fingaris vel Guigneri, quem in Britannia Armorica reliquimus<sup>q</sup>, dimittenda memoria est: qui ad locum nativitatis suæ inde reversus, “Hiberniam Christi legibus subditam in confessione Christiani nominis gloriantem, et totam lavacro sancto perfusam invenit.” Inde vero relicto regno, quod Clitone patre defuncto ad ipsum spectabat, una cum Piala sorore, “DCCLXX. viris, et septem episcopis, quos S. Patricius per aquam incorruptionis Christo genuerat,” in Cornubiam profectum ad portum Heul appulisse, atque Christianam hanc universam multitudinem a Theodorico Cornubiæ rege, “timente ne populum suum ad fidem Christi vellent convertere,” trucidatum fuisse, fide narrantibus relicta, refert Cantuariensis archiepiscopus Anselmus: ad finem horum actorum nominis sui subscriptione ita apposita: “Hæc ego servus Christi Jesu Anselmus de passione sanctorum, et virtutibus martyris preciosi Guigneri, juxta fidem narrantium, brevi stylo digessi.”

At “gloriosus præsul Patricius,” ut jam Jocelinum<sup>r</sup> loquentem audias, “postquam prædicationis laboriosæ instantia peracta tot et talium signorum exuberantia totam ad Christum converterat insulam, ordinatis episcopis et presbyteris cæterisque ministris Ecclesiæ in locis singulis ubi opportunius ducebat, benedicens et valescens eis; eum quibusdam filiis, angelico fultus ducamine, profectus est Romam. Quo perveniens, dum in summi pontificis præsentia sui adventus exposuisset causam, in oculis suis summam invenit gratiam. Inprimis ergo illum ut Hiberniæ apostolum amplectens ac pronuncians, pallio decoravit: illique vices suas committens atque legatum suum constituens, quæcunque in Hibernia gesserat, constituerat, disposuerat, auctoritatis suæ munimine confirmavit.” Ro-

<sup>p</sup> Vide supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 506.

<sup>q</sup> Supra, pag. 412.

<sup>r</sup> Jocelin. cap. 166.

manæ hujus profectionis etiam auctor operis tripartiti meminit: sed jam ante Patricio ordinato archiepiscopo datum pallium honoris a papa Celestino ille scripserat. Verum ante annum MCLI. archiepiscopale aliquod pallium in Hiberniam transmissum fuisse, Rogerus Hovedenus et Melrosiensium annalium collector negant; ad illum annum ita annotantes: “Papa Eugenius quatuor pallia per legatum suum Johannem Papirum in Hiberniam transmisit; quo nunquam antea pallium delatum fuerat.” Quibus et illa Bernardi, in vita Malachiae, de sede Armachana verba maxime suffragantur: “Metropoliticae sedi deerat adhuc, et defuerat AB INITIO, pallii usus.” Cujus etiam de Gilleberto Lumnicensi sive Limericensi episcopo, non præmittenda sunt ista: eum “aiunt prima functum legatione apostolicae sedis per universam Hiberniam.” Ut de legati quo Patricius functus fuerit officio, et pallio huc advecto, posteriorum fides haud labet hic parum et vacillet.

Sed de Patricii reditu narrationem pertexere pergit Jocelinus: “Sanctus<sup>s</sup> in regressu suo aliquantisper in Britannia propria patria moratus monasteria multa fundavit, atque a paganis destructa reparavit; monachorum sacris conventibus secundum formam religionis, quam eis præfixit, annuentibus ea replevit. Multa etiam adversa et prospera quæ eventura erant Britanniae spiritu et ore prophetico prænunciavit: beati etiam David, utero materno inclusi, sanctitatem prævidit et prædixit.” Unde iter hoc Patricianum ad annum CCCCLXII. referendum colligimus; quo in lucem editum Davidem fuisse declaravimus<sup>t</sup>, triginta post evangelium a Patricio in Hibernia prædicari coeptum peractis annis. Ut ille necessario corrigendus sit anachronismus, quo Albeus ante annunciatum hic a Patricio evangelium Roma rediens Davidis matrem prægnantem offendisse statuitur. Sic enim in vita illius traditum invenimus: “Eodem tempore S. Albeus invenit in quadam ecclesia sacerdotem stantem ante altare, et volentem offerre sacrificium: sed non potuit, quia tenebatur lingua

<sup>s</sup> Jocelin. cap. 167.

<sup>t</sup> Supra, pag. 402. et cap. 13. op. tom. 5. pag. 508.

ejus. Tunc Albeus, circumspiciens populum qui erat in ecclesia, vidit inter eos quandam mulierem prægnantem. Tunc spiritus prophetiæ replevit S. Albeum, et dixit sacerdoti: Ideo non potes loqui, quia voluit Deus ut audiretur prius fama de illo infante quem habet illa mulier in utero suo. Ipse enim electus Dei erit, clarusque episcopus; et vocabitur David.”

Sacerdotem hunc Gildam Albanium fuisse jam ante significavimus: quem ad populum præsentem hac oratione tum usum refert, in illius vita, Caradocus Lancarvanensis: “ Nonnita mulier sancta manet in ecclesia; quæ nunc prægnans puerum paritura est cum immensa gratia; pro quo non potui prædicare, divina potestate sermonem retinente. Majoris gratiæ erit puer venturus: nullus ei æquiparabit in nostris partibus. Ego relinquam illi istam regionem: ipse cito crescet, et florebit de ætate in ætatem. Angelus enim Dei nuncius mihi declaravit istam veram destinationem. Unde contigit,” inquit Caradocus, “ quod sanctissimus prædicator Gildas transivit ad Hiberniam: ubi innumerabiles convertit ad fidem Catholicam.” Et post eum, Johannes Tinmuthensis: “ Transiens Gildas in Hiberniam<sup>u</sup>, populum multum ad fidem convertit.” Ob quam ibi navatam operam, et prædicatoris<sup>u</sup> Hiberniæ titulo insignitum illum fuisse observavimus.

Quum vero David primus Menevensis ecclesiæ antistes semper sit habitus, non tam a Relveo Menevensium episcopo ex Hibernia veniente (quod ex Giraldo jam<sup>w</sup> audivimus) quam ab Albeo vel Ælbæo Mumenensium episcopo, baptizatum illum fuisse, suboriri fortasse alicui posset suspicio. Præsertim quum in Albei vita statim sequatur: “ Postea ille filius natus est, et pater ejus dedit eum S. Albeo ut nutrireret eum Deo. Ipse est David sanctus episcopus; ejus reliquiæ requiescunt in civitate sua Ceallmuni, quæ est in Britannia.” Sed quum eodem tempore Davidem materno inclusum utero biographus ille referat, quo Samson episcopus fuerit “ civitatis quæ vocatur Dol-

<sup>u</sup> Vide supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 508.

<sup>w</sup> Supra, ibid.

omhoir in extremis finibus Lethæ," sive Armuric-læthanæ, de qua diximus<sup>x</sup>, Britannia; et Samsonem post integrum pene seculum Dolensis<sup>y</sup> ecclesiæ apud Aremoricos præsullem fuisse liqueat :

— Incerta hæc si tu postules  
Ratione certa facere ; nihilo plus agas,  
Quam si des operam ut cum ratione insanias.

Quid igitur fecerit S. Patricius, reversus in Hiberniam, ex Jocelino<sup>z</sup> porro audiamus : " Benedictus Patricius," inquit ille, " itinere longo de regione longinqua peracto, præsentia sui suos exhilarabat : et triginta episcopos, ex transmarinis partibus congregatos et a se consecratos, in Dominicam messem, eo quod esset multa, et operarii pauci, destinabat. Cœpit igitur episcoporum synodos sanctas sæpius congregare, concilia solemniter celebrare, et quod fidei Catholicæ comperit contrarium ecclesiasticisve institutis adversum evellere et destruere ; et quod Christianæ legi, quod justitiæ, quod sacris canonibus consonum, moribusque optimis consentaneum erat, studuit plantare et ædificare. Reliquo vero vitæ tempore contemplativæ<sup>a</sup> vitæ dulcedini intendens, potissimum in Saballo vel monasterio Ardmachia constituto commorari consuevit. Nec de facili de sanctis locis solebat egredi, nisi traheretur aliqua causa inevitabilis negotii. Semel tamen singulis annis concilium celebrabat ; ut ad regulam deduceret, quæ correctione egere cognoverat."

Ardmachia celeberrimum fuit clericorum canonicorum instituti Augustiniani cœnobium, Petri et Pauli nomini dicatum : de monasterio vero Saballi a Patricio extracto ita antea meminit ipse Jocelinus<sup>b</sup> : " Processu temporis egregium inibi monasterium construxit, in quod perfectos monachos introduxit : ad quorum usum non longe a loco pernecessarium de terra fontem orando produxit. Huic cœnobio S. Dunningum discipulum suum abbatem consti-

<sup>x</sup> Supra, pag. 381.

<sup>y</sup> Vid. supra, cap. 14, pag. 47. et cap. 5. op. tom. 5. pag. 96.

<sup>z</sup> Jocelin. cap. 168.

<sup>a</sup> Id. eap. 191.

<sup>b</sup> Id. cap. 32. Vid. supra, pag. 406.

tuit: ubi et ipse, de prædicatione reversus, cum eo non paucis diebus deguit." De Patricio etiam Saballum frequentante, in secundo tripartiti operis libro legimus: "Sanctus in eo loco usque ad obitum suum frequentius habitabat. Et ipse locus est ad orientem, in fine fere secundi miliarii a civitate Dun-daleath-ghlas, in qua ipse præsul Patricius sepultus est." Et de toto vitæ ipsius curriculo, in libri tertii initio: "Anno sexagesimo ætatis suæ missus a Celestino papa ad prædicandum in Hiberniam beatissimus archiepiscopus Patricius venit. Aliis sexaginta annis in Hibernia vixit: triginta annis prædicando et baptizando per diversas Hiberniæ provincias; aliis vero triginta annis in suis cellis et in monasteriis theorice vixit."

Ipsos vero sexaginta illos annos prædicationi et publico ministerio impendisse Patricium, in carmine Fiecho Slebh-tiensi tributo, et vita Patricii Hibernico sermone conscripta, traditum invenimus: cum quibus et Marianus Scotus et Florentius Wigorniensis consentiunt; Sigeberto<sup>c</sup> quoque et Antonino<sup>d</sup> haudquaquam dissentientibus, dum eum "archiepiscopum Scotorum ordinatum, per sexaginta annos signis, sanctitate, doctrina excellentem, totam insulam Hiberniam ad Christum convertisse" scribunt. Nam Vincentii Bellovacensis<sup>e</sup> et Matthæi Florilegi<sup>f</sup> non magna videtur hic habenda ratio, qui modo quadraginta, modo octoginta annis in Hibernia cum prædicavisse referunt, neque secum ipsi neque cum aliis consentientes: licet in edito Mariani<sup>g</sup>, Patricium in Hibernia "per annos quadraginta (annis XI. proclivi admodum librariorum lapsu, contra mentem Mariani, pro LX. positus) et Evangelium Christi exteris nationibus per annos quadraginta prædicavisse, in Ninii inedito legamus chronico.

Atque hic notandum, Patricium in metropoli Arma-

<sup>c</sup> Sigebert. chronic. ann. 432.

<sup>d</sup> Antonin. chronic. lit. 11. cap. 1. sec. 2. et cap. 18. sec. 2.

<sup>e</sup> Vincent. specul. historial. lib. 20. cap. 23.

<sup>f</sup> Flor. hist. ad ann. 491.

<sup>g</sup> Marian. chronic. ad ann. 432. et Baron. notal. in martyrolog. Roman. Mart. 17. e.

chana successore relicto ad alias ecclesias constituendas animum adiecit: in quibus sedes illa episcopalis fuit in Sinei<sup>b</sup> fluminis alveo, Inis-catti et eodem sensu in provinciali Romano insula Cathay appellata. Is episcopatus inter Limiricensem, Laonensem et Ardfertensem hodie est divisus: quem archiepiscopali honore aliquando nobilitatum enituisse, incolarum fert traditio. Et diu sane ibi Patricium consedissee oportuit, si verum sit quod de Senano in vita ejusdem legitur: "A sancto Patricio successor suus prænunciatus antequam natus." Quod etiam in vita illius metro conscripta rhythmico ita prædicens Patricius introducitur:

Nascetur nobis parvulus,  
Futurus Dei famulus,  
Qui et Senanus nomine;  
In meo stabit ordine,  
Mihî, Deo propitio,  
Succedens episcopô.

Iniscathensi enim, non, ut Campianus<sup>1</sup> ariolatus est, Armachanæ ecclesiæ Senanum præfuisse, nemo rerum nostrarum paulo peritior ignorat: cujus hanc etiam in vita S. Brigidæ mentionem factam animadvertimus: "Sanctus Senanus<sup>k</sup> habitabat in quadam insula in ostio pelagi posita, freto septa lato, in occidentali plaga Hiberniæ." Eodem demum tempore, quo David Menevensis præsul, cui conjunctissimus vixit, lucis hanc usuram reddidisse traditur. Unde et ipsis Calendis Martiis, quibus Davidis celebratur memoria, in Killenensi etiam martyrologio annotatum observavimus: "In Hibernia, S. Senani confessoris."

Aliorum vero Patricii successorum in antiquis Momoniensium libris Hibernicis hic repertus est catalogus: quem cum Ultoniensibus nostris annalibus comparatum lectori communicandum duximus.

<sup>b</sup> Shanau.

<sup>1</sup> Edm. Campian. hist. Hibern. lib. 1. cap. 14.

<sup>k</sup> Vit. Brigid. MS. lib. 2. cap. 60.



	Ex annal. Ulton.	Anno Christi,
Patraic.		
Sechnall, ann. VI.		
Sen-Patraic. X.	1. Patricius.	CCCCXLV.
Binen, X.	2. Benignus.	CCCCLV.
Jarlaithe, XVIII.	3. Jarlaitus.	CCCCXLV.
Cormac, XV.	4. Cormacus.	CCCCLXXXIII.
Dubthach, XVI.	5. Dubtachus.	CCCXCXVIII.
Aiill, XIII.	6. Aill.	DXIV.
Aiill, X.	7. Aill.	DXXVII.

Annos æræ Christianæ, episcoporum quatuor ultimorum initiis appositos, ex Ultoniensibus annalibus accepimus: in quibus ad annum CCCCLXXXI. cui vulgaris nostræ epochæ CCCCLXXXII. respondet, quies Jarlathi filii Threnæ, TERTII episcopi Ardmachani, et post annos quindecim (quatuor vero post ipsius Patricii excessum) Cormaci episcopi Ardmachani, HÆREDIS Patricii quies habetur consignata. Ea ratione quum primus Cormaci annus in Christi CCCCLXXXIII. incurrat, anni octodecim, in Hibernicis adnotati catalogis, inde subducti primum Jarlathi CCCCLXV. atque inde subtracti decem primum Benigni (Hibernis nostris Benen<sup>1</sup> et Binen dicti) CCCCLV. inde alii decem primum Sen-Patricii CCCCXLV. ac demum sex residui inde deducti primum Sechnalli CCCXXXIX. nobis exhiberent. Nam quindecim anni, quos pro sex in duorum quibus usi sumus Hibernici hujus catalogi exemplarium altero, quod ex Cassiliensi Cormaci filii Culenani psalterio dicebatur esse descriptum, huic assignatos invenimus, non modo Sechnalli in Hiberniam adventum (quem ad annum CCCXXXVIII. vel CCCXXXIX. ut aliqui, ad annum CCCXL. alii libri referunt) sed etiam ipsius Patricii, quem ante annum CCCXXXII. haudquaquam obtigisse ostendimus, præverterent plane et antecederent.

Collatione jam Ultoniensium annalium cum Momonensium illo catalogo facta, satis apparet, Sechnallum et Senpatricium ad Armachanorum antistitum seriem omnino non spectare. Nam Sechnallum quidem sive Secundinum, B. Patricii nepotem, in ecclesia sua de Donnach-seachlain

<sup>1</sup> Supra, pag. 108.

et vixisse et mortuum esse, jam ante declaravimus<sup>m</sup>. Anni autem Sen-Patricio in catalogo tributi ad ipsum annum CCCXLV. (ut vidimus) recta nos ducunt; quo a B. Patricio Armacham fundatam fuisse, ex antedictis annalibus significavimus<sup>n</sup>: et Sen-Patricium sive senem Patricium non hic solum sed alias quoque non semel cum magno nostro Patricio confusum fuisse, ex iis quæ postea producemus liquebit. Adde quod Patricium designavisse Benignum successorem suum futurum, doceat Probus<sup>o</sup>; de quo et Tirechanus: "Ipse est Benignus episcopus, successor Patricii in ecclesia Machiæ." Et Jocelinus<sup>p</sup>: "Ipsam successorem ministerii sui, sicut et fuit, fore prædixit. Idem namque Benignus in regimine pontificatus primatusque totius Hiberniæ successit S. Patricio." Quanquam alius biographus anonymus S. Moctheum Britannum, quem primum Ludunensium sive Louthianorum episcopum fuisse diximus<sup>q</sup>, per aliquot dies B. Patricii cathedram ante Benignum obtinuisse asserat. Sic enim ille: "Tunc Mocteus ait S. Patricio: Si ante te de hac luce migravero, familiam meam tibi committo. At Patricius ait: Et ego meam tibi commendo, si te ad Dominum præcessero. Et factum est ita. Rexitque post ipsum sedem Mocteus aliquot diebus; et Benignum illius discipulum pro se inthronizavit." Hæc ille: Benigno Patricium superstitem, viventique Patricio, non defuncto, successorem in sede Armachana substitutum fuisse, minus attendens vel plane etiam ignorans.

Guilielmus Malmesburiensis, in libro de Glastoniensis ecclesiæ antiquitate, in cujus prologo et vitam beati Patricii et miracula venerabilis Benigni a se conscripta fuisse memorat, vivente quidem Patricio Benignum pontificem fuisse agnoscit: sed in successionis ordine, Momonensium potius catalogum, quam annales sequi visus est Ultonensium. Verba illius hæc sunt: "Anno Domini CCCCLX. sanctus Benignus venit Glastoniam. Hic dis-

<sup>m</sup> Supra, pag. 383, 384.

<sup>n</sup> Supra, pag. 414.

<sup>o</sup> Prob. circ. init. lib. 2. vit. Patric.

<sup>p</sup> Jocelin. fin. cap. 39.

<sup>q</sup> Supra, pag. 415.

cipulus S. Patricii et successor in episcopatu ejus TERTIUS in Hibernia fuit: quemadmodum eorum gesta testantur. Hic igitur, angelo monente, patriam pontificique dignitatem ex voto deserens, voluntaria peregrinatione suscepta, Glastoniam Deo duce pervenit; ubi et sanctum Patricium invenit. Quantæ autem apud Deum gratiæ fuerit, multis patet virtutum indicia. Hoc etiam testantur ejus insignia apud Feringemere; data ejus precibus aqua largissima, et ex ejus baculo arido ingens arbor virens et frondifera. Hic itaque post immensos agones, in dicta insula beato fine quievit, usque ad tempora regis Willielmi Rufi: et tunc Glastoniam translatus est:” anno nimirum Domini MXCI. ut in Johannis Timmuthensis sanctilogio et magna Glastoniensium tabula notatum legimus. Priori vero ejus sepulcro apud Ferremere vel Ferlingemere hujusmodi inscriptum fuit epitaphium:

Hoc patris in lapide<sup>r</sup> Beonæ sunt ossa locata;  
 Qui pater extiterat monachorum hic tempore prisco.  
 Hunc fore Patricii dudum fortasse ministrum  
 Fantur Hybernigenæ, et Beonam de nomine dicunt:

quanquam alium hunc Beonam ab Hibernigenarum Benen sive Benigno esse oporteat; si hujus reliquias in summa civitate Patricii (Arnachana utique) honorifice jacere, operis tripartiti scriptor recte proliderit.

A Benigno in regimine pontificali transactos feliciter in Hibernia annos multos,” in vitæ ejus initio Johannes Timmuthensis, anno Dominicæ incarnationis CCCCLX. Glastoniam venientem, post triennium, anno videlicet CCCCLXIII. in Domino requievisse, scribit Glastoniensis quidam chronographus. Nostri decem in pontificatu annos eum exegisse significant, cum anno CCCCLXIV. terminatos; et quadriennio post anno nimirum, ut ex Ultoniensibus annalibus intelligimus, CCCCLXVIII. ex hac vita demigravisse. Et ante illius adventum et post illius decessum, Patricium nostrum monasticam Glastoniæ vitam coluisse, Malmesburiensis auctor est: de primo ejus ad locum illum accessu, ex Glastoniensium fide, ista referens: “Extremis diebus Britanniam remeans, priorem

<sup>r</sup> *Tumulo.*

(metropolitani pallii, ut in magna Glastoniensi tabula additum hic est) celsitudinem salutationesque in foro respiciens, super altare suum Cornubiam appulit; quod usque hodie apud incolas magnæ venerationi est, tum propter sanctitudinem et utilitatem, tum propter infirmorum salutem. Inde Glastoniam veniens duodecim fratres anachoritice viventes ibidem reperiens congregavit; abbatisque suscipiens officium, eosdem agere vitam docuit cœnobialem: sicut sequens scriptum, quod idem tempore suo conscripsit, manifestius declarat.”

#### CHARTA S. PATRICII.

“ IN nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Patricius humilis servunculus Dei, anno incarnationis ejusdem quadringentesimo vigesimo quinto in Hiberniam a sanctissimo papa Celestino legatus, Dei gratia Hibernicos ad viam veritatis converti. Et cum eos in fide Catholica solidassem, tandem in Britanniam sum reversus: ac, ut credo, duce Deo qui vita est et via, incidi in insulam Ynswytryn: in qua inveni locum sanctum ac vetustum, a Deo electum et sanctificatum in honore intemeratæ virginis Dei genitricis Mariæ. Ibi que reperi quosdam fratres rudimentis Catholice fidei imbutos, et piæ conversationis, qui successerunt discipulis sanctorum Phagani et Derwiani, &c. Hi cum essent nobiles orti natalibus, nobilitatem suam fidei operibus ornare cupientes, eremiticam vitam ducere elegerunt. Et quoniam inveni eos humiles ac quietos; elegi potius cum illis abjectus esse, magis quam in regalibus curiis habitare. Sed quia omnium nostrum erat cor unum et anima una; elegimus simul omnes habitare, comedere et bibere pariter, et in eadem domo dormire: sicque me, licet invitum, sibi prætulerunt. Non enim dignum eram solvere corrigiam calceamentorum eorum. Et cum vitam monasticam ita duceremus, juxta normam probabiliū patrum; ostenderunt mihi præfati fratres scripta<sup>s</sup> sanctorum Phagani et Derwiani,” &c.

\* Vid. supra, cap. 2. et cap. 6. op. tom. 3. pag. 34. et 143.

Sed hac de re in sexto<sup>†</sup> capite plura a nobis producta sunt scriptorum loca; quibus et sequentia hæc, ex jam dicto Glastoniensis ecclesiæ antiquitatum libello deprompta, adjungas licet: “ Sanctus Phaganus et Derwianus in Britanniam venientes, et eam fidei gratia illustrantes, a rege Lucio per eosdem in Christo renato insulam Avalloniæ cum suis adjacentiis confirmari obtinuerunt: duodecim fratribus ibidem institutis, ac aliis post eos instituendis. Successit post multum tempus beatus Patricius: qui adhuc fratres duodecim quasi eremiticam vitam agentes reperiens, eosdem vita cœnobiali informavit; et multis possessionibus, licet nobis incognitis, ut credi fas est, ditavit.” Item: “ Cum S. Patricius, a Celestino papa missus, Hibernicos ad fidem Christi convertisset atque eos in fide solidasset, ut superius declaratum est: Britanniam rediit, et in portum qui Haile-mont<sup>u</sup> nuncupatur appulit. Ob cujus reverentiam sanctitatisque excellentiam ibidem statuitur ecclesia S. Patricii nomine, propter ejus merita et frequentia miracula, insignita. Tunc ex omni copia locorum Glastoniam potissimum elegit, ubi ei triumphorum de Diabolo materia suppeteret, et cœlestium præmiorum gaudia promereri possset. Nam tunc locus ille, paludibus pene inviis, pro solitudine hominum cœlestibus excubiis erat opportunus. Ibi sanctissimam excurrens vitam, die vacationis suæ reposcentibus astris exhibuit animam.”

Habetur ibidem et sequens Patricianæ vitæ, non parum vitiosa, chronologia; in magna etiam Glastoniensi tabula et Johannis Tinmuthensis legenda Patricii inde repetita. “ Excessit hic Deo dignus anno ætatis suæ centesimo et undecimo; incarnationis vero Domini CCCCLXXII. ab anno quo in Hiberniam missus est quadragesimus septimus. Siquidem anno Domini CCCLXI. in lucem venit; et anno Domini CCCXXV. a Celestino papa in Hiberniam missus fuit. Hic fuit ætatis suæ annus sexagesimus quartus. Et anno Domini CCCXXXIII. Hibernicos ad fidem Christi convertit. Denum Britanniam reversus, in optima con-

<sup>†</sup> Vid. supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 132. et 136.

<sup>u</sup>. In Cornubia, supra, pag. 440.

versatione per viginti novem annos in insula Avalloniæ permansit." Cum qua et ista Jocelini<sup>w</sup> chronologia conferri poterit. "Quinquagenarius<sup>x</sup> quinquennis natus fuit, quando episcopali gradu decoratus Hiberniam prædicandi gratia intravit. Triginta quinque annorum spatio totam Hiberniam cum aliis quibusdam insulis ad Christum convertit: reliquis deinde triginta tribus contemplativæ vitæ dulcedini intendit." Ad centesimum et vigesimum tertium enim ætatis annum pervenisse illum vult; et decessisse<sup>y</sup> anno incarnationis Dominicæ CCCXCIII. pontificante Felice papa, primo anno imperii Anastasii imperatoris, principantibus Aurelio Ambrosio in Britannia, Forcherno (al Forthkerro) in tota Hibernia."

In mortis anno designando, ut vides, magna est inter istos discrepantia: de anno missionis in Hiberniam nulla. Sive enim spatium intermedium annorum sexaginta octo cum Jocelino ponas, et anno CCCXCIII. defunctum dicas; sive anno CCCCLXXII. et ab anno quo in Hiberniam missus est quadraginta septem excessisse, cum Glastonicensium antiquitatum scriptoribus affirmes: ex utraque hypothesis erit consecrarium, anno Domini CCCXXV. in Hiberniam missum esse Patricium; quod in chartula etiam illa, Patricii nomine a monachis Glastoniensibus venditata, cujus initium, ex tribus MSS. exemplaribus descriptum, exhibuimus, expressum legitur: licet in excerptis quæ vitæ Patricii inseruit Johannes Timmuthensis (et ab exscriptore illius Johanne Capgravio<sup>z</sup> mutuata in collectanea primum sua Marianus Victorius, indeque in sua SS. patrum<sup>a</sup> miscellanea Gerardus Vossius, atque hinc in renovatam bibliothecæ<sup>b</sup> patrum editionem Colonienses transtulerunt) pro anno CCCXXV. repositus CCCXXX. cernatur: quum horum tamen neuter admitti possit; nisi

<sup>w</sup> Jocelin. cap. 191.

<sup>x</sup> Vid. eund. cap. 185. et Offic. S. Patricii Paris. edit. lection. 5.

<sup>y</sup> Jocelin. cap. 196.

<sup>z</sup> Nova legenda Angliæ, edit. Londin. ann. 1516. in vita Patricii.

<sup>a</sup> Miscellaneæ patrum edit. Mogunt. anno 1604. cum operibus Gregorii Thau-naturgi.

<sup>b</sup> Bibliothec. patr. tom. 5. part. 3. pag. 793. edit. Colon. ann. 1618.

Patricium, contra<sup>c</sup> omnium scriptorum consensum, ante Palladium a Celestino missum fuisse in Hiberniam statuamus.

In edito Mariani Scoti chronico, ut diximus, ad annum **CCCCXXXII.** Patricius annis quadraginta, ad annum vero **CCCCXCI.** annis sexaginta in Hibernia prædicavisse legitur. Anno **CCCCXXXII.** quo in Hiberniam venisse Patricium, præter auctores in fine præcedentis capituli citatos, vetustus etiam Chromelliæ liber a Camdeno<sup>d</sup> productus, et annales quos Cantabrigiæ in collegii S. Benedicti bibliotheca MSS.<sup>e</sup> vidimus, confirmant, anni quadraginta adjecti ad annum **CCCCLXXII.** nos perdunt, quo et Glastonienses mortuum illum esse volunt: additi vero anni sexaginta in anno **CCCCXCII.** terminabuntur; licet ipse Marianus ad annum præcedentem, quo et Olybrius junior consulatum gessit, et Zeno imperator vita functus est, obitum illius referat. Sic enim ad annum illum **CCCCXCI.** in chronico ejusdem MS. annotatum legimus: "S. Patricius Hiberniæ archiepiscopus, annorum centum et viginti duorum beatissimo fine obiit:" in impresso vero fusius: "Sanctus Patricius Hiberniæ archiepiscopus, quum esset annorum nonaginta duorum obiit. Quum esset annorum sexdecim venditus est; sex annis vixit in servitute, in Romanis partibus: sexaginta annis in Hibernia prædicavit." Ubi pro nonaginta duobus Baronius<sup>f</sup> octoginta duorum annorum numerum substituendum existimat: quot particulares illi anni conficiunt, in unam collecti summam. Sed quum sex illos servitutis annos, non in Romanis partibus, sed in Hibernia Patricium exegisse constet: mutilatum esse locum non est dubium, et ad Mariani et sectatorum ejus mentem sic esse restituendum. Quum esset annorum centum et viginti duorum obiit. Quum esset annorum sexdecim venditus est, sex annis vixit in servitute, quadraginta annis in Romanis partibus: sexaginta annis in Hibernia prædicavit.

Neque enim unius Mariani hæc fuit sententia, anno Domini **CCCCXCI.** Patricium, ætatis annum centesimum

<sup>c</sup> Vid. fin. cap. 16. supra, pag. 370, 371.

<sup>d</sup> In Girald. Cambrens. topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 16.

<sup>e</sup> MSS. Colleg. Benedict. Cantabrig. num. 70.

<sup>f</sup> Baron. ann. 491. sec. 20.

et vigesimum secundum agentem, ex hac vita migravisse; sed Sigeberti quoque Gemblacensis, Florentii Wigorniensis, Rogeri Wendoverii, Matthæi Florilegi et Waverleiensium annalium collectoris. Quibus accedit et Ranulphus in polychronico, libro quinto, capite quarto, ita scribens: "Anastasius imperavit annis viginti septem, cujus primo anno obiit S. Patricius primus Hiberniensis archiepiscopus, centesimo et vigesimo secundo ætatis suæ anno, tempore Aurelii Ambrosii apud Britannos tunc regnantis." Cum primo enim anno Anastasii, non CCCCXCIII. ut voluit Jocelinus<sup>§</sup>, sed CCCCXCI. annus æræ Dominicæ convenit: licet non in Jocelino solo, sed etiam in Johannis Tinmuthensis aurea historia, vetusto libro Chromelliæ, Johannis Clinni et Henrici Marleburgensis chronicis, Ultoniensibus quoque et Dubliniensibus annalibus, ad annum gratiæ CCCCXCIII. Patricii obitus relatus inveniat.

Feria quarta (quam Hiberni, Græcorum ritu, faciunt<sup>h</sup> ἀποκριώσιμον) et natus ille fuisse traditur, et per baptismum renatus, et per mortem denatus: si verba libri<sup>i</sup> Slinguntini, Hibernice scripti, recte intelligo. Ea ratione in annum CCCCXCIII. (epochæ vulgaris Christianæ, a Calendis Januarii deductæ) potius quam CCCCXC. (ad quem in Anglicana legendæ auræ editione Patricii obitum relatum legimus) aut duorum sequentium alterutrum, tempus mortis illius conjici oporteret: quandoquidem eo anno feria quarta cum XVI. Calendas Apriles coinciderit. Hoc enim die martyrologia, non novum solum Romanum (cum illo antiquissimo, ab Heriberto Rosweydo edito, consentiens) sed etiam Bedæ, Usuardi, Rabani, Adonis, Notkeri, natalem illius commemorant: quo nomine non diem consecrationis in episcopatum (quod Hirlādos ignoravisse Dempsterus<sup>k</sup> jactat) sed depositionis designari (quod idem ipse uno quasi spiritu modo negat<sup>l</sup>, modo asserit<sup>m</sup>) etiam

<sup>§</sup> Jocelin. cap. 196.

<sup>h</sup> Quarta etiam et sexta feria et sabbato, frequenter Romanam plebem ipsius tempore jejunavisse, confirmat Augustinus in 36. epist. ad Casulanum. Ut inde ritum hunc a Patricio in Hiberniam tractum fuisse fiat verisimillimum.

<sup>i</sup> Ἐπι καταρχῆ Πατρισε, ἀγεῖθ, ἀβαταρ, ἀβαρ:

<sup>k</sup> Dempster. hist. eccles. lib. 15. num. 1001.

<sup>l</sup> Id. ibid. pag. 521.

<sup>m</sup> Id. ibid. pag. 524.



Probus, tripartiti operis scriptor, Jocelinus, Johannes Timmuthensis, Petrus Equilinus, et alii Patricianæ vitæ scriptores confirmant; qui de hoc ipso omnes consentiunt, quod in antiquissimo Armachanæ ecclesiæ codice ita consignatum invenimus: “Septimadecima Martii die translatus est Patricius ad cœlos.” Cujusmodi usus vocabulorum natalis et nativitatís apud veteres<sup>n</sup> frequentissimi, etiam duo e nostris scriptoribus petita jam succurrunt testimonia. Unum Cogitosi<sup>o</sup>, commemorantis “solemnitatem nativitatís S. Brigidæ; quæ in die Calendarum Februarii mensis dormiens secure sarcinam dejecit carnis:” alterum Adamnani<sup>p</sup>, S. Columbam cum ministro suo Diormitio in Iona insula sic colloquentem introducentis. “COLUMB. Sacra celeriter Eucharistiæ ministeria præparentur. Hodie enim natalis beati Brendini est dies. DIORMIT. Quare talia missarum solemnia hodierna præparari præcipis die? Nul- lus enim ad nos de Scotia sancti illius viri obitus pervenit nunci- us. COLUMB. Vade tu: meæ obsecundare jussioni debet. Hac enim nocte præterita vidi subito apertum cœlum, angelorumque choros sancti Brendini animæ obvios descendere; quorum luminosa et incomparabili claritudine totus eadem hora illustratus est mundi orbis.”

In annalibus Ultoniensibus, ad ann. Domini CCCCLVII. (qui nostræ æræ est CCCCLVIII.) annotata habetur “quies senis Patricii, ut alii libri dicunt.” Qui hunc senem Patricium a magno nostro nesciverunt distinguere, in tempore mortis ejus designando, ex hujusmodi libris errandi videntur accepisse occasionem: ut Giraldus Cambrensis<sup>q</sup>, qui anno ab incarnatione Domini CCCCLVIII. obiisse illum scribit: et Ninius, qui a morte Patricii usque ad obitum S. Brigidæ sexaginta annos dinumerat. In anno enim DXVIII. cum Sigeberto Gemblacensi et Waverleinsium annalium collectore, excessu Brigidæ posito; eundem ipsum hic calculus Patricianæ mortis exhibiturus est annum:

<sup>n</sup> Vid. supra, pag. 377. Jac. Pamel. in Tertullian. de corona milit. et Cyprian. epist. 39, et Jo. Molan. tractat. de martyrologiis, cap. 15.

<sup>o</sup> Cogitos. in fine vitæ Brigidæ.

<sup>p</sup> Adamnan. vit. Columbæ, lib. 3. cap. 15. edit. H. Canisii.

<sup>q</sup> Girald. topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 17.

quanquam in uno Ninii exemplari, pro LX. positi hic XL. reperiantur: quot etiam annis Patricio Brigidam fuisse superstitem, in Anglicana legendæ aureæ editione invenimus.

Extat Patricii testamentum, vêtustissimis Hibernicis versibus expressum: in quo, inter Patricium et Brigidam sermone distributo, Patricius annis<sup>r</sup> post se triginta Brigidam Hiberniæ benedicturam præmonendo vaticinatur. Quo respiciens auctor vetus, qui libris duobus acta Brigidæ descripsit, extremum vitæ illius actum hunc in modum nobis edisserit. “Iter faciens, benedicebat Hiberniam ex omni parte; sicut præcepit ei S. Patricius episcopus moriens et dicens: *Per triginta annos, beata Brigida, post mortem meam benedic Hiberniam.* Et adveniens sanctissima in aquilonalem plagam Hiberniæ (videlicet, in provincia Ultonum) Brigida, illico doloribus correpta est. Et post breve spatium temporis, inter multitudinem sanctorum, ætatis suæ anno LXXX. anno vero XXX. post obitum S. Patricii archiepiscopi, regnante in Themoria regnum Hiberniæ Murchertach filio Earc (cui successit in regno Tuathal Mælgarb) primo autem anno regni Justiniani imperatoris, sedente in sede apostolica papa Hormisda, anno quoque ab incarnatione Domini DXLVIII. visitantibus eam angelis Dei, felicissime obiit. In quo tamen pro Justiniani reponendum esse Justini nomen, et pro anno DXLVIII. jam dictum illum DXVIII. esse substituendum, præter alia, Murchertaci regis et Hormisdæ pontificis synchronismus arguit: a quo anno subducti XXX. annum Patricii emortualem, ex hujus quidem scriptoris sententia, CCCCLXXXVIII. numerandum relinquerent.

Marianus Scotus, ad annum CCCCXCI. Patricii mortem referens, convenienter huic hypothesei, post annos triginta excessum Brigidæ in anno DXXI. collocat. Henricus Marleburgensis, anno gratiæ CCCCXCIII. obiisse S. Patricium, et S. Brigidam supervixisse cum triginta annis, in chronico suo scribens; ad annum DXXIII. ea

<sup>r</sup> Արիստոս Երեմիայի շահութեան քառասուն տարեան յայտնելով.

ratione sacræ virginis promovet obitum. Sequenti vero anno bissextili (et secundum alios libros, anno post bissextilem altero) in Ultoniensibus annalibus annotata est "quies sanctæ Brigidæ, anno LXX. ætatis suæ:" et in proximo bissextili (qui nobis annus est DXXVIII.) "Dormitatio Brigidæ, secundum librum monachorum." Ibidemque juxta alios quidem anno CCCCLIII. juxta alios vero CCCCLVII. nativitas sanctæ Brigidæ facta fuisse significatur. In Dubliniensibus tamen et Rossensibus annalibus, ut et in vetusto libro Chromelliæ et Johannis Clinni chronico, anno CCCXXXIX. Brigida nata fuisse dicitur: unde ad annum DXVIII. vita illius producta, LXXIX. ad annum vero DXXIII. ætatis ipsius LXXXIV. numerandi fuissent anni. Anno gratiæ CCCCLXVIII. natam fuisse sanctam Brigidam in Hibernia apud Faghirt<sup>s</sup>, Henricus Marleburgensis affirmat: qui annus a DXXIII. (quo juxta illius rationes mortem illa obierit) subductus, ætatem Brigidæ LV. tantum annorum relinquit.

Sed longe major est auctorum in ætate B. Patricii definienda discrepantia. Nam Stanihursti<sup>t</sup> nostri rationes XCVII. illi annos attribuunt, annales Buelliani CIX. Guilielmus Malmesburiensis, cum monachis Glastoniensibus, CXI. Ninius, Tirechanus, operis tripartiti auctor, Giraldus<sup>u</sup>, Vincentius<sup>w</sup>, Antoninus<sup>x</sup>, vetus liber Chromelliæ, officium Patricii<sup>y</sup>, una cum Ultoniensibus et Dubliniensibus annalibus atque actis Patricii lingua Hibernica conscriptis, CXX. Marianus, Sigebertus, Wendoverius, vitæ Patricii scriptor Cottonianus, et alii superius commemorati, CXXII. Jocelinus, CXXIII. Johannes Tinmuthensis, CXXX. Anglo-Saxonicum Exoniensis ecclesiæ martyrologium, CXXXI. Probus, CXXXII. ut veterem<sup>z</sup> de ecclesiasticorum officiorum origine libellum scriptum taceam; in quo Patricius centum quinquaginta et tres annos vix-

<sup>s</sup> Vide supra, cap. 15. pag. 163. 249.

<sup>t</sup> Rich. Stanihurst. vit. Patricii, lib. 2. pag. 74.

<sup>u</sup> Girald. topograph. distinct. 3. cap. 17.

<sup>w</sup> Vincent. specul. hist. lib. 20. cap. 23.

<sup>x</sup> Antonin. chronic. tit. 11. cap. 18. sec. 2.

<sup>y</sup> Offic. Patric. edit. Par. lect. 6.

<sup>z</sup> De quo supra, cap. 11. op. tom. 5. pag. 394.

isse traditur. Annos CXX. illum exegisse, communior et magis recepta est sententia: ad quam ætatem Britannia<sup>a</sup> senes pervenire solitos, auctor est Asclepiades; et in qua Patricium nostrum, antiquissimi rerum ipsius scriptores, Ninius et Tirechanus parem fuisse Mosi observarunt. De quo notum est illud Trebellii Pollionis, in Claudio: "Doctissimi mathematicorum centum et viginti annos homini ad vivendum datos judicant, neque amplius cuiquam jactitant esse concessum. Etiam illud addentes, Mosem solum, Dei (ut Judæorum libri loquuntur) familiarem, CXXV. annos vixisse: qui cum quereretur quod juvenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum." Cujus fabellæ vanitatem sacrarum literarum veritas satis redarguit; quæ et Mosem<sup>b</sup> CXX. tantum annos vixisse docent, et Joiadam<sup>c</sup> sacerdotem, longe post Mosem, ad CXXX. ætatis annum pervenisse.

Qui Ninio notas adjecit, non in ætate solum integra, sed in tripartita etiam ejusdem distributione, Mosi Patricium æquare nititur. Quum enim Patricii tempora ita proposuisset Ninius: "Quindecim annis in captivitate, in vigesimo quinto anno ab Amatheo<sup>d</sup> sancto episcopo subrogatur, octoginta quinque annorum<sup>e</sup> in Hibernia prædicavit: scholiastes ille subjicit: Hic, ut mihi videtur, contradicit sibimet ipsi: sed aliter audivimus et scripta reperimus. Quadragenarius erat quando de captivitate exivit, et per XL. annos didicit et Deo servivit, et XL. prædicavit. In his tribus quadragenariis maxime Patricius æquatur Moysi. Nam sicut Moyses fuit XL. annis in domo Pharaonis velut in captivitate, et XL. in exilio in terra Madian, et XL. in prædicatione et in ducatu populi: ita Patricius \* \* XL. in exilio inter Gallos, et XL. prædicando et miracula faciendo Loigere regi et magis ejus (sicut Moyses Pharaoni et ejus magis) viriliter et indefesse Deo servivit. Nam bene potest fieri, illum fuisse in cap-

<sup>a</sup> Ἐν Βρεταννίᾳ ἢ ἐτῶν γηρᾶν. in fine operis de philosophorum placitis, Plutarcho et Galeno attribuiti.

<sup>b</sup> Denter. cap. 34. ver. 7.

<sup>c</sup> 2 Paralipom. cap. 24. ver. 15.

<sup>d</sup> Al. a Matheo sancto episcopus.

<sup>e</sup> Al. annos vel annis.

tivitate per quindecim annos, et quadragenarium egressum fuisse. Sed hic attende. Moyses quadragenarius fuit quando de Ægypto exivit in fugam, et ad Ægyptum propter populos Dei missus rediit post quadraginta annos: et ipse Patricius quadragenarius erat quando de Hibernia in fugam exivit, et post quadraginta annos missus ad populum Dei excipiendum de manu Diaboli ad Hiberniam rediit. Et uterque per quadraginta annos in stadio<sup>f</sup> prædicationis manserunt, et simili fine et jejunio non dissimili." Nam et Patricium dixerat paulo ante Ninius, ut et post eum complures alii<sup>g</sup>, quadraginta diebus totidemque noctibus in cacumine collis Eli jejunavisse, id est, Cruachan-eli." Editissimum et notissimum Connaciæ id promontorium est, in Maionensi comitatu occidentali imminens oceano: quod olim Cruachan Ægli, ut in Hibernico testamento B. Patricio attributo, sive Ailge aut Oeghli (ut alibi scriptum reperio) hodie Cruach-Phadruig, hoc est, Cumulus Patricii appellatur.

Verum communiori et veriori retenta chronologia, quæ sexagenarium non octogenarium Patricium in Hiberniam advenisse statuit; in quatuor tricenarios potius quam in tres quadragenarios Patricianæ ætatis annos visum est distinguere. Ita ut primam *τριακάδα* in prima illius profectio Romana sub ipsa pontificatus Innocentii I. initia, secundam in secunda sub ipsum pontificatus Celestini I. exitum, tertiam in tertia Hilari pontificis primo anno facta, quartam denique in Patricii ex hac vita discessu terminemus: atque ad primam servitutes illius et apud parentes ac avunculum Martinum commorationem, ad secundam literarum<sup>h</sup> studia exercitiaque spiritualia in partibus Romanis et Gallicanis et Tyrrheni maris insulis decursa, ad tertiam Hibernicæ gentis conversionem, ad quartam ecclesiæ jam constitutæ gubernationem et pia contemplativæ vitæ otia referamus. Quorum duorum posteriorum tricenariorum, uti ætatis etiam integræ, in testamento illo, de

<sup>f</sup> Al. *studio*.

<sup>g</sup> Jocelin. cap. 171. Vincent. spec. hist. lib. 20. cap. 23. Matth. Florileg. ad ann. 491. Offic. Patr. edit. Paris. lect. 6.

<sup>h</sup> XXX. annis legit. Tirechan.

quo diximus, Patricii nomine composito, mentionem hanc factam invenio:

Тръча блядхан дамһра фен, җҗн тҗабулл конглајне  
 Ы тҗјџа блядхан ајле, актҗҗтҗл на һејнн ујле  
 Se. xx. блядан нҗ зо, оҗом зенҗҗра зан ајл һе фад  
 Мо фадоз ајл ејн лоџд зур анојдһеһе аноџд җҗн фҗл.

Ter denis annis versatus in æde Saballi,  
 Ter denis aliis peragravi lætus Iernam :  
 Centum et vicens annos vivendo peregi ;  
 Præsenti nocte hac seculum concluditur istud.

Mosis vero et Patricii collationem Ninius (eumque ad annum CCCCXCI. secutus Matthæus Florilegus) sic instituit: “ Quatuor modis æquantur Moyses et Patricius. I. Angelo sibi colloquente in rubo igneo. II. In monte quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit. III. Similes fuerunt ætate centum et viginti annorum. IV. Sepulcrum<sup>1</sup> illius non invenitur; sed in occulto humatus est, nemine sciente.” Similiter et Tirechanus: “ In quatuor rebus similis fuit Moysi Patricius: I. Angelum de rubo audivit. II. Quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit. III. Annos centum et viginti peregit in vita præsentis. IV. Ubi sunt ossa ejus nemo novit.” Quod tamen postremum ita quodammodo corrigit: “ Columb-cille, spiritu sancto instigante, ostendit sepulcrum Patricii in ecclesia juxta mare: ubi est conductio martyrum, id est, ossium Columb-cille de Britannia et conductio omnium sanctorum in die judicii.” Cum quo mutilo et obscure loco conferri poterit et alter ille in vita Brigidæ: “ In<sup>k</sup> arce Leath-laidhi sepultus est sanctus pater Patricius, et beata Brigida, et reliquiæ beatissimi abbatis Columbæ post multos annos collatæ in uno sepulchro.”

Non alia autem est arx illa Leath-laidhi vel, ut postea appellatur, Leath-glaysse, quam urbs Dunensis, ad Hibernicum mare posita: in qua “ requiescere<sup>l</sup> corpora sanc-

<sup>1</sup> Idem de sepulcro illius habet etiam Vincentius in specul. histor. lib. 20. cap. 23.

<sup>k</sup> Vit. Brigid. MS. lib. 2. cap. 20.

<sup>l</sup> Rog. Hoveden, annal. ad ann. 1177.

torum Patricii et Columbæ confessorum, et S. Brigidæ virginis," Giraldus Cambrensis, Rogerus Hovedenus, Ranulphus Cestrensis, Johannes Brampton et Henricus Marleburgensis confirmant. "Apud Ultoniam in civitate Dunensi ipsorum trium corpora sunt recondita: quod de S. Brigida verum est, sed de S. Columba multum dubitatur;" ait in chronico suo Thomas Casæus: quanquam hic etiam de Brigida et Patricio, non minor quam de Columba, moveatur ab aliis controversia. De B. Columbæ sepultura, in capite decimo quinto<sup>m</sup> dictum est: ejusque reliquias non hic primum conditas, sed post multos annos collatas fuisse, jam audivimus. S. Brigidam Kildariæ, in suo monasterio, sepultam Cogitosus<sup>n</sup> in ejus vita innuit: sed nuper ille citatus vitæ ejusdem scriptor apud Dunenses humatam fuisse, hisce verbis indicat: "Sepulta<sup>o</sup> est cum gloria et honore in uno sepulchro cum beatissimo archiepiscopo Patricio, secundum voluntatem eorum, in civitate posita in regione Ultonum prope mare, nomine Dun-leathglaysse: quæ priscis temporibus Arascealltair filii Cuith-eachair, comitis regis Ultonum Conchubhair filii Neassa, vocabatur." Alia enim Brigida<sup>p</sup> fuisse videtur illa, cujus corpus Scoti non ita pridem "in<sup>q</sup> canonicorum collegio Abrenethi recte se colere putaverunt."

Ipsam quoque Patricium Armachia mortuum requiescere, Bernardum in vita Malachia affirmantem audivimus<sup>r</sup>: cum quo et vitæ Patricii scriptor ineditus consentit, quem ex bibliotheca Cottoniana exscribendum curavimus. At aliud refert, in secundo de vita illius libro, Probus: qui tamen in Sabul<sup>s</sup> obiisse illum scribens, locum sepulturæ clare non exprimit, sed hoc in eo factum miraculum commemorat: "In novissimis temporibus cum ecclesia<sup>t</sup> super corpus ejus ædificaretur, homines humum fodientes

<sup>m</sup> Supra, pag. 252.

<sup>n</sup> Tom. 5. antiqu. lect. Henr. Canisii, pag. 639.

<sup>o</sup> Vit. Brigid. MS. lib. 2. cap. 77.

<sup>p</sup> Vide supra, cap. 15. pag. 257.

<sup>q</sup> Jo. Leslæ. de reb. gest. Scot. lib. 4. in rege XLVII. Hect. Boeth. Scotor. histor. lib. 9. fol. 158. b.

<sup>r</sup> Supra, pag. 419, 420. ubi et locum Neubrigensis considera.

<sup>s</sup> Vid. ibid. pag. 405. 435.

<sup>t</sup> S. Patricii in Duno: cujus in chronico Manniæ, ad annum 1098. sit mentio.

ignem de sepulchro ejus exurgere viderunt: quo timore perterriti fodere desierunt, ac recedentes ab hac intentione majori veneratione memoriam ejus celebrare cœperunt." Jocelinus in cœnobio<sup>u</sup> Saballino vitam eum terminavisse, et in vicina urbe<sup>v</sup> Dunensi sepultum fuisse asserit: sed de miraculis, ibi peractis nihil dum sibi constitisse ita significat: "Quantis vel quibus miraculis sacrosancta ossa illius pullulaverint de loco suo, scriptum non invenimus: quia fortassis a negligentibus calamo mandata non sunt, vel quoniam sub paganis principantibus pluries in Hibernia hujusmodi scripta incendio deleta sunt."

Verum eodem tempore quo librum suum Jocelinus edidit, divinitus hoc in loco patefacta fuisse illius ossa, ab aliis traditum invenimus. Opus enim illud, quod prius "Malachiæ<sup>x</sup> Dunensis præsulis et Johannis de Courci Ulidiæ principis" suasionem fuerat aggressus, accedente demum Thomæ Armachani archiepiscopi cohortatione, perfecit ille atque absolvit. Anno autem MCLXXXV. Amlavo O Muredo defuncto Thomam hunc (Tomaltach O Connor Hibernis dictum) in archiepiscopatu Armachano successisse, ex annalibus Hibernicis; eodemque anno, quo succedet comes Johannes primo in Hiberniam venit, Patricii, Brigidæ et Columbæ in civitate Dunensi inventa fuisse corpora, ex Giraldo Cambrensi, Ranulpho Cestrensi, Johanne Brampton et Henrico Marleburgensi didicimus. Quæ inventio cum sub exitum illius anni (divulgato jam Jocelini illo opere, tam illustris et præsentis rei, atque ad institutum quam maxime appositæ, mentionem alias haudquaquam præterituri) contigisse videatur; sequentis initio ad Urbanum III. pontificem a Malachia Dunensi et Johanne Curcio Romam missa legatio, et a nuncio pontificio quinto Idus Junii, die S. Columbæ memoriæ sacro, reliquiarum illarum solennis facta fuerit translatio. Eam vero historiam ex ejusdem translationis officio ecclesiastico, Parisiis anno MDCXX. excuso, si placet, accipe:

"Gloriosorum Hiberniæ patronorum, Patricii archi-

<sup>u</sup> Jocelin. cap. 189.

<sup>v</sup> Id. cap. 187. et 196.

<sup>x</sup> Supra, pag. 372.



episcopi, Hiberniæ primatis et apostoli, atque sancti Columbæ abbatis et sanctæ virginis Brigidæ, translationem dignis laudibus recensentes, piæ mentis celebremus affectu. Fertur enim quod tempore conquestus Hiberniæ per Anglicos fuit quidam Malachias, vir magni meriti, et sanctæ vitæ ac conversationis, Dunensis episcopus, ubi corpora prædictorum tunc sepulta fuerunt. Episcopus iste sedulo orationibus insistens, Deum quasi quotidie deprecatus est, ut ostendere sibi dignaretur, ubi tam pretiosus thesaurus reliquiarum, videlicet dictorum sanctorum, absconditus esset, et ut suo tempore manifestaretur. Et cum nocte quadam instantissime in ecclesia Dunensi sic oraret, vidit quasi radium solis per ecclesiam, et usque ad locum sepulturæ dictorum sanctorum corporum perlustrantem."

"De visione prædicta episcopus multum exultans, intensius orabat ne radius ille discederet, quousque reliquias absconditas inveniret. Et tunc inde exurgens, adeptisque necessariis, terram irradiatam adiit; ibique effodit, donec ossa trium corporum prædictorum inveniret. Et super quæ radius ille irradiabat, illa in tabulis separatim insererat, et illa sic tabulata ibidem sub terra reponebat. In illo tempore præsidebat in Ultonia miles magnæ probitatis Johannes de Courci conquestor illius patriæ, qui multum Deo et ejus servitio deditus fuit: cui dictus Malachias per singula visionem et facta sua narravit. Et cujus assensu et magno adiutorio missa fuit Romam summo pontifici devota supplicatio pro translatione dictarum sanctorum reliquiarum habenda."

"Ipse vero papa supplicationi prædictæ aures inclinans, Johannem titulo S. Stephani in Cœlio monte presbyterum cardinalem et apostolicæ sedis legatum in Hiberniam misit. Qui in ecclesia S. Patricii in Duno, quinto Idus Junii, debitis reverentiis et servitiis præmissis, transtulit prænomintas reliquias ex loco ubi sepultæ et per Malachiam repositæ fuerunt, usque in honorabilem locum in ecclesia ibidem ad hoc præparandum. Tempore vero translationis eorum in dicta ecclesia præsidebant cum dicto legato quindecim episcopi cum abba-

tibus, præpositis, decanis, archidiaconibus, prioribus, aliisque viris orthodoxis quamplurimis. Statuentes diem translationis dictorum sanctorum ab universis Christi fidelibus, per Hiberniam constitutis, quarto<sup>y</sup> Idus Junii per singulos annos celebrari; et transferentes festum S. Columbæ in crastinum octavarum reliquiarum istarum :

Currite languentes, Duno piscina movetur :  
Corpora vel mentes ægrotas ipsa medetur."

In hac autem narratione nomen pontificii nuncii necessario est corrigendum: quum eo tempore tituli<sup>z</sup> S. Stephani in Cœlio monte presbyterum cardinalem, non Johannem sed Vivianum, sive Vibianum Thomasium, fuisse constet; illum ipsum videlicet, qui ante decennium in Scotia et Hibernia legati munus prius obierat. De quo, Melrosensis annales cœnobii: "Anno MCLXXVI. Vivianus tituli sancti Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, Scotiam intravit; conculcans et comminuens obvia quæque, expeditus capere nec impeditus rapere." Et Guilielmus Neubrigensis<sup>a</sup> similiter; de generali præsulum Hiberniæ synodo Dublinii ab eo coacta, quam, Guilielmi mente minus recte percepta, ad annum MCLXXXIII. perperam Baronius<sup>b</sup> retulit, verba faciens: "Auro Hibernico, quod multum sitierat, minus onustus in Scotiam remeavit."

Duni vero inventa esse Patricii, Brigidæ et Columbæ corpora "quasi in spelunca triplici, Patricio in medio jacente, aliis duobus hinc inde," testatur, qui tunc in Hibernia agebat, Giraldus Cambrensis<sup>c</sup>. Unde vulgati illi versus :

Hi tres in Duno tumulo tumulantur in uno ;  
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Vel ut habet codex Giraldi qui typis est excusus (nam

<sup>y</sup> Lege, quinto ex præcedent. et Stanihursto, lib. 2. de vita Patricii, pag. 76.

<sup>z</sup> Chronic. Roman. pontific. et cardinal. Onuphrii Panvini excus. Venet. ann. 1557. edit. Jacobi Stradæ, pag. 196. et 136. Mich. Tramezini, pag. 119. Alphons. Ciaconii, edit. Romæ, ann. 1630. col. 577. et 603.

<sup>a</sup> Neubrigens. rer. Anglic. lib. 3. cap. 9.

<sup>b</sup> Baron. ann. 1183. sec. 8.

<sup>c</sup> Girald. topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 18.

a tribus, quibus usus fui, manuscriptis versus isti aberant :) “In burgo Duno,” &c. Ranulphus Cestrensis in polychronico<sup>d</sup>, ex Giraldi topographia ista referens, ait “in horum tumba istos versus fuisse inscriptos.” Adversus quem sic insurgit Glastoniensis quidam poetaster :

De hoc Patricio, Columba, Brigida,  
Delirat plurimum Chester in chronica ;  
Scribens in Duno quod horum corpora  
Sunt uno tumulo.

Corpus enim Patricii penes se esse Glastonienses<sup>e</sup> contendunt monachi et, ne hic quicquam Dunensibus cedere videantur, divinis etiam ostentis comprobant; quæ genus hoc hominum habere sibi solebat obsequentissima. Cujus generis, in libro de antiquitate Glastoniensis ecclesiæ, annotata reperiuntur ista :

“Sepulturam, angelo demonstrante flammaque ingenti de eodem loco cunctis videntibus qui aderant erumpente, in vetusta ecclesia a dextris altaris promeruit. Requievit autem in vetusta ecclesia a dextro latere altaris per multorum annorum curricula (videlicet DCCX. annos) usque ad combustionem ejusdem ecclesiæ. Corpus vero suum in pyramide saxeâ fuit collocatum juxta altare versus austrum: quam, pro veneratione ejusdem sancti, auro et argento postea nobiliter vestivit domesticorum diligentia. Cum autem longe post obitum B. Patricii frequens quæstio verteretur, utrum ibi monachus et abbas fuerit: omnem scrupulum absolvit visio cujusdam fratris; qui post obitum beati viri nutante memoria utrum ibi monachus et abbas fuerit, cum de hoc frequens verteretur quæstio, tali confirmatus est oraculo. Resolutus enim in soporem, visus est audire quendam legentem, post multa ejus miracula, hæc verba: HIC IGITUR METROPOLITANI PALLII DECORATUS EST SANCTITATE; POSTMODUM VERO HIC MONACHUS ET ABAS FACTUS EST. Adjecit etiam, ut non integre credenti literis aureis quod dixerat scriptum ostenderet.”

Neque illud hic prætereundum; eodem fere tempore et

<sup>d</sup> Polychron. lib. 5. cap. 4.

<sup>e</sup> Vide supra, pag. 440. et cap. 6. op. tom. 5. pag. 136.

Duni in Hibernia, et Glastoniæ in Anglia, effossas perhiberi Patricii nostri reliquias. Combusto enim Glastoniensi cœnobio anno<sup>f</sup> MCLXXXIV. proximo videlicet ante corpus illius apud Dunenses patefactum anno; “in vestusta ecclesia effossum esse corpus S. Patricii, a dextris altaris, et in scrinio collocatum.” Ita enim in dicto annotatum legimus libello: sicut etiam in monasterii ejusdem, noviter restaurati, reliquiarum indiculo: “In feretro S. Patricii Hiberniensium apostoli, et primi abbatis hujus loci, continentur reliquiae ejusdem plene in parte boreali ejusdem feretri.” Et apud Johannem Timmuthensem, in vita Patricii: “Secundum opinionem modernorum, S. Patricius et S. Benignus discipulus suus jacent in uno scrinio ex australi parte summi altaris in Glastonia.” Nec Normannorum solum sed Anglo-Saxonum quoque temporibus sacrosanctam apud Glastonienses B. Patricii fuisse memoriam, Baldredi<sup>g</sup>, Inæ, et Ealdredi<sup>h</sup> ostendunt chartæ, in sexto capite a nobis productæ: ejusdemque apud illos conservatas fuisse exuvias, vetustus sanctorum in Anglia sepulcorum catalogus, Saxonica lingua exaratus, ita significat: *thonne ƿeƿteþ ƿeƿ Aidanur 7 ƿeƿ Patriciur on zlaertingabipiz, 7 ƿela oþra ƿca*: quod Gotcelinus Bertinianus Latine sic expressit: “Beatus Aidanus, sanctusque Patricius, et alii plures cum eis, requiescunt in loco qui dicitur Glæstingabyrig.”

Quo referendum et Osberni Cantuariensis de Patricio, in vita Dunstani, testimonium: “Olim evangelizando regnum Dei Glestoniam perveniens, vita, doctrina, signis mirabilibus multipliciter claruisse, et post omnia hæc ibidem in Domino quievisse narratur.” Et Guilielmi Malmesburiensis illud, de eadem Glestonia in libro secundo de gestis pontificum Anglorum hunc in modum scribentis: “Jacet ibi Patricius, si credere dignum, natione Britto, beati Germani Antisiodorensis discipulus, quem a papa Celestino ordinatum episcopum Hiberniensibus misit apostolum. Qui cum multis annis in conversione illius gentis, suo agente labore, Dei gratia cooperante, nonnihil pro-

<sup>f</sup> Supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 146. 148. et cap. 13. pag. 537.

<sup>g</sup> Ibid. pag. 138.

<sup>h</sup> Ibid. pag. 142.

movisset; tandem annosæ peregrinationis tædio simul et vicino senio admonitus, patriam redeundum ratus, ibi diem clausit." Ita Guilielmus: caute illud addens, "si credere dignum." Neque enim nobis dubium est, erravisse hic Glastonienses; sive loci, sive personæ, sive utriusque simul homonymia deceptos. Habetur in publica Cantabrigiensis academix bibliotheca vita Patricii nostri, ab Hiberno quodam conscripta: in qua, cum resurrectio illius futura diceretur in Dunlege-glaisse, interpolator quidam Anglus explicationis gratia addidit: "quod nos dicimus in nostra lingua Glestingabyri." Glastoniam eo nomine intelligens; de qua ad calcem vitæ Gildæ Albanii, a Caradoco Lancarvanensi descriptæ, istam adjectam legimus appendicem; "Ynis-gutrin<sup>l</sup> nominata fuit antiquitus Glastonia, et adhuc nominatur a Britannis indigenis. Ynis in Britannico sermone, insula Latine; Gutrin vero, vitrea dicitur. Post adventum Angligenarum, et expulsis Britannis (scilicet Walensibus,) revocata<sup>k</sup> est Glasti-beri, ex ordine primi vocabuli. Scilicet, glas Anglice, vitrum Latine; Beria, civitas nominatur: inde Glasti-beria, id est vitrea civitas."

Verum ut glas Anglis vitrum, ita Hibernis catenam significat. Unde a catenis confractis Jocelinus<sup>l</sup> Dunum nomen sortitum fuisse scribit Dun-da-leath-glas; quo Collem binorum mediorum catenæ denotat. Ita in antiquo provinciali Romano episcopatum Dunensem<sup>m</sup> alias Dun-dalethglas appellatum videmus: ibidemque sepultum fuisse B. Patricium ex operis tripartiti auctore jam<sup>n</sup> audivimus. Quo etiam spectat, quod in duobus antiquis actorum S. Brigidæ scriptoribus, de eodem legimus: "Sepultus est in arce Ladglaisse, vel Leathglaysse; et ibi usque ad diem iudicii corpus ejus permanebit:" et in testamento, ipsius Patricii nomine edito: "Dun imbia mejeipzi apaith celtaip mic Duach. Dunum, ubi erit mea resurrectio, in colle Celtaris filii Duach." Ut non sine causa Johannes Tinmuthensis, licet secundum opinionem mo-

<sup>l</sup> Confer locum Giraldi, supra, cap. 14. pag. 41.

<sup>k</sup> Id est, iterum vocata.

<sup>l</sup> Jocelin. cap. 38.

<sup>m</sup> Camden. Hibern. pag. 735.

<sup>n</sup> Supra, pag. 435.

dernorum (ut ille loquitur) in Glastonia, juxta propriam tamen sententiam in civitate Dunensi sepultum illum fuisse pronunciaverit.

Ad personæ *ὁμωνυμίαν* quod attinet: in Patricii nostri familia non juniorem solum fuisse Patricium constat, ipsi superstitem, in Glasconensi<sup>o</sup> vel Glastonensi ecclesia sepultum, sed etiam seniore<sup>m</sup>, ante ipsum vita functum; cujus, in domesticorum ipsius catalogo vetustissimis versibus Hibernicis exarato, hoc reperitur elogium.

*Sean Patricae rocla rlogach, ceand armuiche yenoinach.*

Senex Patricius mitis, comites aggregans, caput sapientum seniorum ejus.

Ejus obitum in annalibus Connaciensibus ita consignatum invenimus: “Anno CCCCLIV. dormitatio sancti senis Patricii episcopi Glosoniensis ecclesiae:” quod de Glastoniensi ecclesia ut accipiamus, verba illa antiquissimi vitae Dunstani scriptoris<sup>a</sup> suadere videantur: “Hibernensium peregrini praedictum locum Glestoniae, sicut et caeterae fidelium turbæ, magno colebant affectu; et maxime ob beati PATRICII SENIORIS honorem, qui faustus ibidem in Domino quievisse narratur.”

Tres Patricios hoc carmine nuper ille citatus Glastoniensium poetaster nobis enumerat:

Sunt hujus nominis, tene certissime,  
Tres sancti praesules: primus Hiberniae  
Archiepiscopus; alter Averniae.  
Qua natus fuerat ternus Hiberniae.  
Archiepiscopus primus Hiberniae,  
Is primus postea abbas Glastoniae,  
Natus Britannia praeclearo genere:  
Ut sua vita declarat optime.

Quod ab interpolatore<sup>r</sup> libelli Guilielmi Marnesburiensis de antiquitate Glastoniensis ecclesiae ille desumpsit: in quo similiter legimus: “Sciendum quod tres hujus nominis sunt sancti; quorum quisque episcopus et confessor extitit. Unus Avernis, alter in Hibernia; et ille de quo nunc agitur (Hiberniae scilicet archiepiscopus) in Glastonia

<sup>o</sup> Supra, pag. 373.

<sup>p</sup> Supra, pag. 381.

<sup>q</sup> De quo supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 133.

<sup>r</sup> MS. in bibliotheca Cottoniana.

requiescens. Iste Patricius Hiberniæ requiescens, in Hibernia extitit natus; qui ibidem pontificavit circa annum Domini DCCCL. qui etiam ibidem sepultus, translatus est tempore regis Henrici II. filii Matildis imperatricis, cum sanctis Columkilla et Brigida; ut testatur Giraldus Cambrensis in topographia Hiberniæ."

Ranulphus Cestrensis<sup>a</sup> in polychronico, eumque in Joranalensi historia secutus Johannes Brampton, magni nostri Patricii reliquias (Giraldi menti magis convenienter) eo tempore translatas tradit: alterum autem illum, qui circa annum Domini DCCCL. floruisse dicitur, non episcopum sed abbatem fuisse dicit; "de quo meminit martyrologium, quod quum populum rebellem reperit, de Hibernia recessit, et apud Glastingense monasterium ipso die S. Bartholomæi apostoli extremum diem clausit:" atque ad hunc secundum Patricium, abbatem non episcopum, potius quam ad alterum illum, purgatorii Patriciani originem referri scribit<sup>b</sup>. Cui ita se opponit libelli<sup>c</sup> de Glastoniensis ecclesiæ antiquitate interpolator alius: "Sciendum quod Ranulphus Cestrensis in nostro Patricio plurimum exorbitare non ignoratur: quippe qui sibi ipsi in sua descriptione contrariatur. Scribit namque in sua polychronica, libro quinto, Patricium Hibernensem apostolum inter cætera signorum suorum opera purgatorium quoddam ad terrorem incredulorum ibidem instituisse. Et tamen libro septimo asserit illud purgatorium non fuisse Patricii Hiberniensium apostoli, sed cujusdam Patricii abbatis, quem libro quinto dicit floruisse circa annum Domini DCCCL. et quia Hibernicos convertere non potuit, de Hibernia rediisse, et Glastoniæ in Anglia obiisse; cum satis evidenter constat, Hibernicos fuisse conversos per S. Patricium a Celestino papa missum anno Domini CCCXXV. Si ergo per priorem Patricium fuerunt Hibernienses conversi: per quæ chronica vel historias reperietur eos a fide postmodum discessisse, quos Patricius secundus convertere dicitur nequivisse? Et si

<sup>a</sup> Ranulph. polychronic. lib. 5. cap. 4.

<sup>b</sup> Id. ibid. et lib. 1. cap. 35. et lib. 7. cap. 20.

<sup>c</sup> MS. in bibliothec. colleg. S. Trinitat. Cantabrig.

sic erat quod nequivit: quis, rogo, eos ad fidem in qua nunc sunt legitur postmodum convertisse? Certe, prout in chronicis reperiri poterit, nullus. Certissimum est enim sanctum Patricium Hibernensium apostolum apud nos requiescere, et nostri monasterii primum abbatem fuisse; tam ex scripturis antiquis, quam etiam ex ejusdem sancti charta, quam idem sanctus suo tempore conscripsit, in qua et ipsemet eadem testatur. Et ex visione cuidam fratri ex eodem monasterio facta testimonium, &c. Cum longe post obitum ejusdem sancti frequens verteretur quæstio."

In indiculo reliquiarum Glastoniensis cœnobii, Henrici III. Anglorum regis temporibus edito, S. Patricii Hibernensium apostoli, et primi, ut ibi appellatur, abbatis illius loci, dies recolitur octavus Calendas Septembris: ad quem in Romano martyrologio et S. Bartholomæi apostoli et S. Patriciæ virginis anniversaria refertur festivitas. Die vero præcedente, qui Bartholomæo vulgo abscibitur, et in Usuardi et in Romano martyrologio S. Patricii abbatis signatus habetur natalis, sed Nivernis, non Glastoniæ, celebratus. In utroque etiam illo martyrologio, die decimo sexto Martii Arvernus depositio sancti Patricii episcopi commemorari dicitur: quo eodem die in officio Canonorum Lateranensium, a Pio V. approbato, S. Patricii Hiberniæ apostoli honoratur memoria. Die autem proxime sequente, quem suo Patricio Hiberni tribuunt, Nolæ S. Patricii ejusdem urbis episcopi agi natalitia, ex Nolanæ ecclesiæ tabulis refert in generali suo sanctorum catalogo Philippus Ferrarius. Idemque Calendis Novembribus in territorio Nivernensi S. Patricii martyris, eodem videlicet die quo Romanum martyrologium Arvernus S. Austremonii primi ejusdem civitatis episcopi, natalem peragi significat. Austremonius autem ille sive Stremonius, ut Gregorius Turonensis<sup>w</sup> eum appellat; Niverniæ<sup>x</sup> primum, deinde Arvernæ sedisse perhibetur; quum Nivernensibus, ut in martyrologio<sup>y</sup> suo Gallicano scribit

<sup>w</sup> Gregor. Turon. hist. Francor. lib. 1. cap. 28. et 39.

<sup>x</sup> Vid. Joan. Chenu et Claudii Roberti episcoporum Nivernensium et Claramontanorum catalog.

<sup>y</sup> Martyrolog. Gallican. Novemb. 1. pag. 807.



Andreas Saussaius, Patricium præfecisset, virum apostolicæ virtutis. Et certe post Austremonium, in Nivernensium episcoporum catalogo, Patricii antiquissima extat memoria; quem tamen a nonnullis cum Hiberniæ episcopo inter Macrobios annumerato confundi, Claudius Robertus monuit.

Quæ vero de Patricii feruntur purgatorio, non modo Ranulphus Cestrensis, Henricus Knighton, et Johannes Brampton, sed etiam Matthæus Parisiensis<sup>z</sup>, Vincentius Bellovacensis<sup>a</sup> et Antoninus Florentinus<sup>b</sup>, ex eo mutuati sunt libello, quem de Oeni cujusdam militis Hibernici in Patricianum purgatorium ingressu, ex Gilleberti Ludensis monachi relatione, in lucem edidit Henricus, Cisterciensis ordinis in Saltereyensi apud Huntingdonienses monasterio cœnobita: in quo rei gestæ tempus ita explicat, “Contigit his temporibus nostris, diebus scilicet regis Stephani, militem quendam nomine Owen, de quo præsens est narratio, ad episcopum, in cujus episcopatu præsens est purgatorium, confessionis gratia venire:” deinde reditu ipsius exposito, tum ex purgatorio illo tum ex peregrinatione Hierosolymitana; “Regem,” inquit, “Dominum suum, cui prius familiaris extiterat, utpote virum industrium et prudentem, adiit, quatenus ejusmodi quem ipse consuleret sibi religionis habitum suscipere. Eodem autem tempore piæ memoriæ Gervasius abbas cœnobii Ludensis, qui a præfato rege locum ad construendum monasterium impetraverat, monachum suum Gillebertum de Luda cum quibusdam aliis (qui scilicet Gillebertus postea fuit abbas de Basingewere<sup>c</sup>) ad eundem regem in Hiberniam misit; ut et locum suscipere, et monasterium fundaret.” Ubi quum non alium quam Hibernicum regem describi constet; Matthæum Parisiensem falli perspicuum est qui, Henrici loco minus attente considerato, “Oenum<sup>d</sup> illum, multis annis

<sup>z</sup> Matth. Paris. in hist. ann. 1153.

<sup>a</sup> Vincent. specul. hist. lib. 20. cap. 24.

<sup>b</sup> Antonin. chronic. tit. 11. cap. 18. sec. 2.

<sup>c</sup> In Flintensi comitatu.

<sup>d</sup> Matth. Paris. edit. Londin. ann. 1571. pag. 115, 116. 122. Florileg. sanctor. Hiberniæ, edit. Paris. ann. 1624. pag. 99. et 107.

sub rege Stephano militantem, licentia a rege impetrata, profectum esse in Hiberniam ad natale solum, ut parentes visitaret;<sup>e</sup> posteaque “Gervasium Ludensis cœnobii abbatem, rege Anglorum Stephano donante, (qui quod ibi donaret nihil omnino habebat) locum ad abbatiam construendam in Hibernia obtinuisse;” inconsulte tradidit.

Hujus autem pseudonyini purgatorii, in lacu Diargi apud Donnegallenses positi, originem ad magnum S. Patricium, qui a primo est secundus, Henricus refert: quem etiam ibi, in loco Reglis dicto, quam regiam<sup>e</sup> Ptolemæi alteram Camdenus<sup>f</sup> fuisse existimat, “Ecclesiam construxisse, et beati patris Augustini canonicos vitam apostolicam sectantes in ea constituisse” asserit. Non hic quæstionem illam tractandam nobis proponimus, utrum istiusmodi aliquos Augustiniani instituti canonicos ætas ea hisee in partibus viderit; multoque minus ridiculam illam a Dempstero<sup>g</sup> motam alteram, in Scotia hoc an in Anglia exstructum canonicis regularibus a Patricio fuerit monasterium: illud potius inquirendum, quam ob causam Patricium nostrum a primo fuisse secundum Henricus dixerit. Neque enim eo nomine minorem, quem Ranulphus<sup>h</sup> appellat, sed magnum illum designat, qui Hibernos ad Christi fidem convertit: quod ab alio aliquo circa annum Domini DCCCL. præstitum nemo existimabit, qui Hiberniam eo tempore et religionis et bonarum literarum laude præ aliis Europæ regnis floruisse consideraverit. Quamobrem, omisso Ranulphi, Henrici Knightoni et Johannis Bramp-toni de purgatorio Patricii secundi, abbatis non episcopi, commento; quæ nostra hac de re fuerit sententia simpliciter explicabimus.

Sigebertus, non ignobilis suo tempore chronographus, in vulgato Prosperi chronico, a Celestino papa ad Scotos in Christum credentes Palladium PRIMUM missum fuisse episcopum inveniens; totius Hiberniæ primatem et metropolitanum ordinatum illum fuisse (uti et nos<sup>i</sup>) intellexerat:

<sup>e</sup> ‘Ερέπα ‘Ρύγία vel ‘Ρηγία. Ptolem. Geograph. lib. 2. cap. 2.

<sup>f</sup> Camden. Hibern. pag. 771.

<sup>g</sup> Dempster. hist. ecclesiast. lib. 15. num. 1001. pag. 526.

<sup>h</sup> Polychronic. lib. 5. cap. 4.

<sup>i</sup> Supra, cap. 16. pag. 355.

indeque de Patricio, qui ipsi in eo successit munere, ita scripserat: "Sanctus<sup>k</sup> Patricius secundus Hiberniæ archiepiscopus anno ætatis suæ centesimo vigesimo secundo in Christo quievit." Hoc, ut videtur, legens Henricus, et primum Hiberniæ archiepiscopum Patricium fuisse existimans, prioris alicujus Patricii respectu secundum eum dictum fuisse censuit. Nam antiquum illum canonum librum, quem in Cottoniana bibliotheca reperi, ab eo visum fuisse vix crediderim; in quo, ex libris Patricii II. episcopi (id est, ut ego quidem interpretor, libris qui magni nostri Patricii acta explicant) illud citatum observavi. "Ethianus et Conallus in campo Hai episcopos indignos ordinaverunt: quos increpavit Patricius, dicens: Quare absque consilio nostro episcopos ordinastis? quam indigni sunt apud Dominum ordinari? Ideo ecclesiæ vestræ sint semper minimæ. Et monachi in pœnitentiam adducti sunt:" neque Tirechanum etiam; qui Palladium alio nomine Patricium nuncupatum tradidit: "Palladius," inquit, "episcopus primo mittitur, qui Patricius alio nomine appellabatur: qui martyrium passus est apud Scotos, ut tradunt sancti antiqui. Deinde Patricius secundus ab angelo Dei Victor nomine et a Celestino papa mittitur: cui Hibernia tota credidit." Unde etiam fortasse factum, ut quod alii annales Anglo-Saxonici ad annum CCCCXXX. de Palladio, id Petroburgensium annalium collector de Patricio hunc in modum extulerit. "Heñ þar Patriciur aþend þþam Celestine thæ papan to boðn, anne þcotum þulluht. Hic missus est Patricius a Celestino papa prædicaturus Scotorum populo." Atque hæc de Patricio, et Patriciis etiam, dicta sufficiant.

In illa Glastoniensis ecclesiæ reliquiarum notitia, inter sanctos quorum "corpora super sepulchrum D. Johannis de Cantia abbatis in opere lapideo honorifice collocata sunt in parte aquilonari magni altaris," recensentur etiam sancta Brigida et sancta Columkilla, vel potius sanctus Columkilla de Hibernia; ut in brevi catalogo sanctorum

<sup>k</sup> Sigebert, in chronico a Miræo edit, eumque secuti Matthæus Florilegus et annalium Waverleiensium scriptor. ad ann. 491.

<sup>l</sup> Vid. Jocelin, vit. Patricii, cap. 123.

in ecclesia Glastoniensi requiescentium, magnæ Glastoniensium tabulæ inserto, nominatus reperitur. De utriusque adventu et excessu ita scribit anonymus quidam Glastoniensium chronographus. “Anno ab incarnatione CCCCLXXXVIII. S. Brigida venit Glastoniam: quæ in insula juxta Glastoniam, quæ parva Hibernia et in Anglorum lingua *Bride-lhay*<sup>m</sup> nominatur, multo tempore usque ad senilem ætatem mansit. Sed utrum ibi obierit, vel inde repatriavit, pro certo non habemus. Anno ab incarnatione DIV. S. Columkylla venit Glastoniam. Quidam autem confirmant hunc sanctum cursum præsentis vitæ ibidem consummasse.” Quod enim in libro de Glastoniensis ecclesiæ antiquitate (unde præcedentia desumpsit) subjungitur, ille supprimendum putavit. “Sed utrum sic, aut inde repatriaverit, non definio:” vel, ut in magna Glastoniensium tabula habetur. “Utrum ibi requiescit, vel inde repatriavit, pro certo non habemus:” in qua etiam de S. Brigida similiter legitur. “Ibi B. Brigida virgo diu perendinavit: sed utrum ibi requiescit, vel repatriavit, scriptum non invenimus.”

Giraldus Cambrensis<sup>n</sup> (eumque secutus Johannes Brampton, et Henricus Marleburgensis) de horum translatione agens, contemporaneos Patricio S. Columbam et S. Brigidam fuisse affirmat. A quo non immerito hic dissentit libelli de Glastoniensis ecclesiæ antiquitate interpolator; hac de re ita scribens. “Quamvis sanctus Columkilla, qui etiam secundum quosdam Columbanus<sup>o</sup> dictus est, et sancta Brigida cum hoc Patricio translati fuerunt; non tamen contemporanei fuerunt. Nam S. Brigida circa finem S. Patricii majoris (de quo superius actum est) floruit; supervixit enim eum, ut scribit Gildas, sexaginta annis; venitque Glastoniam anno Domini quadringentesimo octogesimo circiter octavo. Sanctus vero Columkilla natus fuit quatuor annis ante obitum S. Brigidæ; succedenteque ætate venit ipse Glastoniam anno Domini quingentesimo

<sup>m</sup> *Bride-eye*. id est, Brigidæ insula.

<sup>n</sup> Girald. topograph. distinct. 3. cap. 18.

<sup>o</sup> Vid. supra, cap. 15. pag. 229.

circiter quarto. Hi namque ob venerandas sui patroni Patricii reliquias, cum nonnullis Hiberniæ nobilibus, locum Glastoniæ frequentarunt. Hæc vero sancta Brigida in quadam insula juxta Glastoniam, ubi erat oratorium<sup>p</sup> in honore S. Mariæ Magdalenæ consecratum, Bekery<sup>q</sup> sive parva Hibernia dicta, aliquantulam moram per nonnullos annos traxit. Et relictis ibidem quibusdam suis insignibus, pera, monili, nola, et textrilibus armis, quæ pro ejus sanctitatis memoria ibi ostenduntur et adorantur, Hiberniam rediit: ibique non multo post in Domino quievit, sepultaque est in urbe Dunensi.”

Qui falso Gildæ hic citatur nomine Ninus est: qui “ a morte Patricii usque ad obitum S. Brigidæ sexaginta annos, et a nativitate S. Columkillæ usque ad obitum S. Brigidæ quatuor annos” dinumerat: quum nostra chronologia dimidiata intervalla hæc exhibeat: inter Patricii quidem et Brigidæ mortem, non sexaginta, ut cum Ninio etiam Ranulphus Cestrensis<sup>r</sup> et Johannes Brampton<sup>s</sup> prodiderunt, sed triginta; inter Columkillæ ortum et Brigidæ obitum, duorum tantum annorum non quatuor. Anno enim ætatis quadragesimo secundo in Britanniam hinc enavigavisse B. Columbam ex Adamnano didicimus, et triginta quatuor annos ibidem complevisse: licet septuaginta septem vitæ annos Beda<sup>u</sup> illi attribuat. Ab anno DXCVII. quo illum obiisse putamus, subducti anni septuaginta sex natali illius assignandum annum DXXI. relinquunt; biennio mortem Brigidæ antevertentem, quam, cum doctissimo Vossio<sup>w</sup>, ad annum DXXIII. referendam docuimus. Quod non Giraldum solum refellit, qui Patricio Columbam fecit *σύγχρονον*, sed etiam Glastoniensis simul et Wintoniensis monasterii annalium convellit fidem; qui ut anno CCCCLXXXVIII. Brigidam, ita anno DIV. Columbam Glastoniam venisse tradunt, ipsis septemdecim prius quam ille natus fuerat annis.

<sup>p</sup> Adhuc ibi exstare sacellum quidam annotavit, prope roborarium de Wirall.

<sup>q</sup> Vid. supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 140. 142.

<sup>r</sup> Polychronic. lib. 5. cap. 4.

<sup>s</sup> Hist. Joralanens. ad ann. Dom. 1185.

<sup>t</sup> Vid. supra, cap. 15. pag. 235.

<sup>u</sup> Bed. hist. ecclesiast. lib. 3. cap. 4.

<sup>w</sup> Voss. de historicis Latin. lib. 3. in Cogitose.

S. Columbam, discrimen quod capiti suo a Dermatio rege imminerebat declinantem, Hiberniam reliquisse, in decimo quinto<sup>x</sup> capite leviter significavimus. Id anonymus vitæ ipsius scriptor ex Adamnano fusius explicat: quod, quoniam in edito Adamnani opere desideratur, ut a Stephano Vito humanissime communicatum accepimus, lectori hic integrum proponendum consuimus: “Causa igitur peregrinationis S. Columbæ in insulis maris, secundum Adamnanum qui compilavit ejus vitam, talis est: cum enim Dermatus filius Kerbayll regnaret in Hibernia tota, et communium negotiorum atque causarum determinatio ad judicium regis devolveretur; accidit ut S. Columba ad præsentiam regis pro quodam libero repetendo accessisset. Cumque rex Dermatus inique in causa liberi judicaret, commotus vir Dei pro iniquitate sententiæ, illico coram omnibus adstantibus surrexit, ac dixit: Scito, rex inique, quia amodo faciem meam in tua provincia non videbis, donec Deus iudex justus regnum tuum superbum inclinaverit, et addidit: Sicut enim me hodie coram senioribus tuis iniquo iudicio despexisti, sic te Deus æternus in conspectu inimicorum tuorum despiciet in die belli. Cumque hæc diceret, equum ascendens flagello percussit; et statim sanguis in copia emanavit. Quod videns senatus astantium, valde miratus tanquam de re insolita, regi dixerunt, ut voluntatem sancti compleret, ac per omnia ei obediret; ne regnum ejus a Domino Deo dissiparetur.”

“Sed rex furore repletus indignationis, noluit intelligere ut bene ageret; sed vindictam de genere S. Columbæ capere volens, juravit, ut plebem ejus tanquam proprium mancipium sibi subjugaret. Cumque rex juramentum suum opere vellet complere collecto grandi exercitu in curribus, et equitibus, et pedestribus, plusquam 2300<sup>y</sup>. prope fines terræ eorum pervenit, ut eos penitus extirparet. Cumque plebs Conalleorum<sup>z</sup> adventum regis cum suo exercitu audiret, collecta multitudine circiter 3000. affuerunt; viriliter pro sua patria pugnare cupi-

<sup>x</sup> Supra, pag. 236.

<sup>y</sup> 23000. MS.

<sup>z</sup> Vid. supra, cap. 15, pag. 230, 248, 249.

entes. Quibus in tanto periculo positis, atque in Deo solo spem habentibus, consurgens S. Columba diluculo noctis, in spiritu virtutis Dei, confortando eos ait: Si ego aliquando contra inimicos meos commissem, nunc in nomine Domini Dei Altissimi contra eos surrexissem, et vox ejus sic terribilis facta est in auribus suorum commilitonum, ut etiam omnes de somno excitaret: et addidit, dicens: Sicut enim Dominus cum Moyse contra Ægyptios in mari rubro fuit, sic hodie pro vobis pugnabit in bello. Nihil ergo timeatis; quia nihil passuri estis. Scitote enim quod Dominus valde iratus est super castra superbi regis hujus: et si unus vestrum tantum fiducialiter contra illos in nomine Domini configere surrexerit, solus eos in fugam per Dei virtutem convertet. Constantes ergo estote, quia nullus vestrum hodie in acie cadet."

"Tunc pauci milites hæc verba audientes, et tanquam Dei Altissimi testimonium credentes, constanti animo in hostes eadem hora licet improvidos irruerunt. Sancti enim verbum omnem metum ac pavorem mortis de cordibus eorum abstulit. Tunc angelus Domini in forma viri maximi, veste militari indutus, in castris regis Dermittii terribilis apparuit; inter cujus femora hostes cælum videbant. Qui scuto et gladio accinctus, paratus ad prælium, paucos milites fiducialiter antecedebat. In hujus viri conspectu terribili, corda multitudinis adversæ partis viribus defecerunt; et facti sunt omnes quasi fœminæ imbecilles: et antequam arma in hostes converterent, semetipsos præ nimio impetu curruum et equitum propriis armis occidebant. Sicut enim Dominus currus et equites Pharaonis dejecit in mare, et filios Israel illæsos permisit transire: sic populum hunc humilem inter hostes custodivit, ut nullus ex eo in bello caderet; et obsides inimicorum obtineret. Cumque victores læti post trophæum ad virum Dei rediissent, vir Dei prophetica voce ad puerum suum Scandalanum ait: Dies ista, fili mi, longam peregrinationem a cognatis carnalibus in terra aliena mihi præparavit. Sed ne dixeris, donec res ipsa ostendet."

"Post hæc S. Columba<sup>a</sup> ad S. Finianum episcopum ac-

<sup>a</sup> Vid. Adamnan. vit. Columb. lib. 3. cap. 4.

cessit, ut ab eo pœnitentiam condignam causa præfati belli acciperet. Angelus vero Domini comitator ejus apparuit: qui præ nimio splendore obtutibus humanis non videbatur, nisi tantum a sancto viro Finniano, qui Finbarrus nominatur. Cumque a viro Dei pœnitentiam condignam S. Columba quæreret, respondit: Oportet, ut quot instigatione belli ad infernum dejecti sunt, tot per exemplum tuum ad cœlum vehantur. Cui S. Columba gaudens dixit: Judicium rectum judicasti de me. In illo vero tempore, quo hæc fiebant, seniores Hiberniæ miserunt per nuncios fideles epistolam ad S. Gildam de genere Saxonum, ut charitatem mutuam nutrent. Cumque literas per ordinem legeret, et epistolam a Columba scriptam in manibus teneret, statim illam osculatus est, dicens: Homo qui scripsit hanc, Spiritu sancto plenus est: et ait unus de nunciis: Ut dixisti ita est; sed tamen a synodo<sup>b</sup> Hiberniæ reprehenditur, eo quod cognatos suos in periculo mortis constitutos belligerare jusserit. Tunc S. Gildas reprehensionem hanc de Columba audiens, respondit: O quam stultum est genus vestrum, nihil prudenter intelligens!"

Hoc prælium, quod poetica magis quam historica fide habetur hic descriptum, est Culedreibnense illud, quod altero ante relictam a Columba Hiberniam anno, id est, DLXI. gestum fuisse, ex Adamnano declaravimus<sup>c</sup>: in quo tria millia cecidisse, et Diarmitti filii Cearbhailli exercitum per orationes Columcillæ devictum fuisse, annales nostri confirmant. Ut sequente anno DLXII. legatio hæc seniorum Hiberniæ ad Gildam, non Saxonum (ut per incuriam huic excidit biographo) sed Britonum doctorem, missa fuisse videatur: quo quidem tempore, extra majoris Britanniæ terminos egisse Gildam dicendum est, si et nostra admittatur hypothesis, qua<sup>d</sup> anno DLXIV. edidisse eum quam habemus de Britannia excidio epistolam opinati sumus, et illa Floriacensis libri altera; quæ eum "a<sup>e</sup> fratribus rogatum religiosus, qui ad eum e Britanniiis venerant, post decem annos ex quo inde recesserat," epistolam

<sup>b</sup> Vid. Adamnan. vit. Columbæ, lib. 3. cap. 3. edit. Canisii.<sup>1</sup>

<sup>c</sup> Supra, cap. 15. pag. 236.

<sup>d</sup> Supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 544.

<sup>e</sup> Supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 509.



illam scripsisse statuit. Nempe Constantinum Damnoniæ tyrannum ita in ea affatus est Gildas: "Age jam quasi præsentem arguo, quem adhuc superesse non nescio." Inde extra Britanniam cum fuisse, quum ista scriberet, collegit auctor ille. "Siluisse" præterea se Gildas in prologo suo dixerat, "cum immenso cordis dolore, spatio bilustri temporis vel eo amplius prætereuntis;" posteaque vel "cogitatum rationibus vel fratrum religiosis precibus coactum, persolvisse debitum multo tempore antea exactum." Et hoc bilustri spatio, quo de opusculo hoc scribendo ille deliberaverat, per decem annos a Britannia illum abfuisse conclusit idem: recte secusne, alii viderint.

Duplicem quoque legationem ex Hibernia ad Gildam eodem fere tempore missam auctor<sup>f</sup> ille memorat. Unam a "B. Brigida, quæ ipso tempore insignis erat in Hibernensi manens insula, et monasterio virginum præerat abbatissa, virgo præclara:" cui ab eo nolam, a se fusam, donatam fuisse ait; illam fortasse ipsam, quam in Sommersettensium parva Hibernia a Brigida relictam, Glastoniensium<sup>g</sup> antiquitatum libellus indicat. Alteram ab Ammerico Hiberniæ rege: cujus ita ille meminit; "Eo tempore regnabat Ammericus rex per totam Hiberniam, qui et ipse misit ad B. Gildam, rogans ut ad se veniret; promittens se ipsius doctrinis in omnibus obediturum, si veniens ecclesiasticum ordinem in suo regno restauraret: quia pene Catholicam fidem in ipsa insula omnes reliquerant. Cum hæc itaque audisset Gildas Christi miles beatissimus, munitus armis cœlestibus, petivit Hiberniam, Christum prædicaturus."

Juxta nostras rationes, in fine capitis decimi tertii expositas, Gildas epistolaris libelli auctor natus fuerit triennio ante mortem Brigidæ: et ex annalium Hibernicorum fide, anno demum æræ nostræ DLXVI. hoc est, post Brigidæ excessum quadragesimo quarto regnare cœperit Ainnireus Setnai filius, actorum S. Colmani Elo concinnatori Annirech, actorum S. Ædani sive Moedogh<sup>h</sup> collectori Ainnireach, Adamnato Amureg<sup>h</sup>, vel (ut emendatior habet

<sup>f</sup> Vit. Gildæ ex Floriacensi bibliotheca edit. cap. 9 et 10.

<sup>g</sup> Supra, pag. 464, 465.

<sup>h</sup> Supra, cap. 15. pag. 255.

codex) Ainmuireg, et Ainmurech, huic vitæ Gildæ scriptori Ammericus appellatus. Quibus positis, neque ad idem tempus ambas hasce historias referre possumus, neque ad eandem etiam personam: sed Brigidæ quidem virginis ad Gildam Albanium, Ainmirei vero regis legationem ad Gildam Badonicum spectare dicamus, necesse est; quos (ut a Gregorio Nazianzeno<sup>i</sup> duos Cyprianos) a biographo hoc confundi, jam antea<sup>k</sup> monuimus. Illud vero constat, posteriorem hanc legationem ad extrema posterioris Gildæ tempora esse referendam: quum ex Ultoniensibus annalibus, et anno DLXIX. Ainmirum regem occisum fuisse intelligamus, et anno proxime sequente hunc ipsum, ut illi cum appellant, obiisse Gillam; licet biennio ante mortem regis Ainmirechi in annalibus Inisfallensibus quietem Gillaïs episcopi annotatam etiam invenerimus. Sed quid ab hoc sive Gilda sive Gilla in Hibernia præstitum fuisse auctor ille narrat, audire fuerit operæ pretium.

“Inventus,” ait is de Gilda, “a quibusdam nobilibus viris quondam sibi notis, regi Ammerico est præsentatus. Quem cum vidisset, multis precibus eum rogabat, plurimaque offerens dona postulabat, ut apud se maneret, et sicut ei prius mandaverat, ecclesiasticum restauraret ordinem in regione eadem. Quia penitus Catholicam fidem, a maximo usque ad minimum, omnes amiserant. Tunc sanctus Gildas munitus clypeo fortitudinis et galca salutis, omnes fines Hiberniensium circumvit, et ecclesias restauravit, clerum universum in fide Catholica ut sanctam Trinitatem colerent instruxit, populos graviter morsibus hæreticorum sauciatos curavit, fraudes hæreticas cum auctoribus suis ab eis longe repulit. Jamjamque pullulante in gremio sanctæ matris Ecclesiæ segete multitudinis credentium, et avulsis hæreticorum spinis, terra diu sterilis fecundata rore cœlestis gratiæ, gratiores profert fructus ad agnitionem supernæ vocationis. Fide namque crescente Catholica, regio gavisa est tantum se promeruisse patrum. Multa deinceps vir beatus monasteria construxit

<sup>i</sup> Baron. notat. in martyrolog. Roman. Septemb. 14.

<sup>k</sup> Supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 506. 509.

in eadem insula, non paucos in eis nobilium filios enutrens, et norma regularis disciplinæ informans. Et ut plures Domino offerre posset alumnos, jam factus monachus collegit monachos secum, tam ex nobilibus quam ex pauperibus et orphanis: necnon et captivos tyrannica servitute paganorum irretitos misericorditer liberavit: utque pastor bonus, talenta sibi a Domino credita fideliter duplicata ipsi ovans reportare curavit. Omnem denique regionem Hiberniensium et Anglorum, necnon et exterarum nationum, suo instruxit exemplo et eruditiv sermone: quarum gentes et nationes actus et virtutes ejus, usque in hodiernum diem, honorifice venerantur ubique."

Verum eadem vanitate Hibernienses ad fidem reduxisse Gildam iste scribit, qua "omnem regionem Anglorum suo erudivisse sermone." Tantum enim abest, ut Gildæ opera Hibernienses ad fidem fuerint conversi; ut Hiberniensium potius industria ipse Gildas in fide et divinarum literarum scientia plenius institutus fuisse videatur. Neque enim alio locum illum rectius accommodari posse arbitrator, qui in vitæ Gildæ sexto capite antea præcesserat: "S. Gildas, cum per aliquos annos in doctrina B. Hilduti commoratus fuisset, et tam secularibus prout res suppetebat quam divinis scripturis ab eo optime quicquid sibi a divina bonitate creditum fuerat edoctus esset, valedicens pio magistro venerandisque condiscipulis IREN perrexit, ut et aliorum doctorum sententias, in philosophicis atque divinis literis, investigator curiosus exquireret. Igitur cum plurimorum doctorum scholas peragrasset, et tanquam apis prudentissima diversorum florum succos collegisset, in alveario matris Ecclesiæ recondidit: ut in tempore oportuno melliflua evangelii verba in populos ad superna gaudia revocandos effunderet, et ut servus bonus talentum sibi creditum suo Domino cum lucro reportaret."

Nam ut Hibernia a Diodoro Siculo<sup>1</sup> olim Iris, et Hiberni posterioribus quoque temporibus Iri<sup>m</sup> et Irenses dicti: ita Gildæ ætate celebres in Hibernia fuerunt scholæ; Armachana, in qua Gildam seniore studium rexisse audivimus<sup>n</sup>,

<sup>1</sup> Diodor. lib. 5. pag. 309. edit. Hanov. Græco-Latin.

<sup>m</sup> Supra, cap. 16. pag. 231.

<sup>n</sup> Supra, pag. 420.

Clonardensis, cui S. Finianus præfuit, et Rossensis, ubi S. Brendanum artes liberales prælegisse in suis rerum Hibernicarum collectaneis refert D. Hanmerus. Est autem hæc sedes episcopalis, in provinciali Romano Ros-aillithir, in archivis regiis Ros-hilary, hodieque a Carbræa regione, ad oram maritimam Corcagiensis comitatus posita, Ros-carbre appellata: in qua habetur ecclesia S. Fachnani nomine insignita, quem ut virum sapientem et probum scriptor vitæ S. Mocoemogi celebrat, et habitavisse notat “ in australi Hiberniæ parte juxta mare, in suo monasterio quod ipse fundavit; ubi crevit civitas, in qua semper mansit magnum studium scholarium, quæ dicitur Ross-aillithry.”

Fuit et Clonarda episcopatus Midensis sedes antiqua: cujus in Finiani officio hymnus olim cani solitus ita meminit:

Nativus de Lagenia  
 Qui sprevit nomen regium,  
 Hic sumpsit infra mænia  
 Legendi privilegium.  
 Trium virorum millium  
 Sorte fit doctor humilis:  
 Verbi his fudit fluvium,  
 Ut fons emanans rivulis.  
 En hic rexit in literis  
 Viæ vicinus regiæ:  
 Hic se jungebat superis,  
 Hic transfertur egrægie.

De eadem schola Clonardensi in vita S. Moluæ sive Lugidi ita legimus: “ Venit ad sanctam scholam S. Finiani in sua civitate Cluain-haiaird, quæ est in confinio Laginensium et nepotum Neil: in qua schola multitudo sanctorum Hiberniæ divinitatem apud S. Finianum scrutabantur.” Et in vita S. Ruadani, monasterii Lothrani in regione Muscraiana conditoris: “ Perrexit ad sanctum Finianum virum sapientissimum, qui habitabat in sua civitate Cluain-ihaird, quæ est in confinio Laginensium et regionis Midi: mansitque ibi B. Ruadanus apud prædictum S. Finianum, legens diversas scripturas et multum proficiens in eis.” Et in ipsius Finiani actis: “ In loco qui Cluanaird dicitur, velut sol in medio cœli, S. Finianus radios

virtutum et salutaris doctrinæ atque miraculorum, illustrando mundum emisit. Fama enim bonorum operum ejus ex diversis terræ partibus viros illustres partim ad Scripturam sacram addiscendam, partim ad ecclesiasticam institutionem percipiendam, quasi ad quoddam totius sapientiæ sacrarium, attraxit: quorum nomina sunt, duo Kierani (Kieranus filius artificis qui μαε-γ-ταεγν dicitur, et Kieranus Saigre) Columba Kille et Columba filius Crimthaind, duo Brandani (Brandanus filius Findloga, et Brandanus Birra qui propheta in scholis illis et sanctorum Hiberniensium habebatur) et Laserianus filius Nadfraith, et Sinell filius Maenaci, et Caineus filius nepotis Daland, et Ruadan Lothra, et Nannyd Lamdere, et Mugenoc Killicumuli, et episcopus Sennach, et multi alii. Et hi omnes erant viri sancti et virtutibus pleni."

De Kierano filio artificis, qui primo hic nominatus est loco, accipiendum est illud, quod in Midensis ecclesiæ habetur tabulis: "Dominium de Clonard, cum suis villulis sibi annexis, dedit sanctus Keranus sancto Finiano doctori suo et suis successoribus." Quem *μυνηθάδιον* extitisse scriptor vitæ illius indicat, anno ætatis trigesimo tertio, quem nostræ æræ Dominicæ DXLIX. fuisse, ex annalibus Ultoniensibus intelligimus, "quum uno tantum anno vixisset in civitate sua Cluan mic nois;" quæ Clonensis episcopatus sedes, Midensi hodie habetur unita. Sed quod junior ille usurpare non potuit,

*Γηράσκω αἰεὶ ἐ πολλὰ διδασκόμενος,*

id Kieranus alter Saigrius habuit dicere; si ut jam proposito discipulorum Finiani catalogo, ita veræ etiam rationi esset consentaneum, quod in illius refertur vita: "Iste S. Kieranus valde erat humilis in omnibus: qui multum diligebat divinam Scripturam audire discere ad decrepitam ætatem. Fertur enim de eo, quod ipse cum cæteris sanctis Hiberniæ sui temporis ad virum sanctum sapientissimumque Finianum abbatem monasterii Cluana-haiaird exivit in sua senectute; et in° divinis sancta schola ejus legebat. Inde vero beatissimus Kiaranus alumnus sancti Fi-

niani, sicut alii sancti Hiberniæ, dicitur. Cum enim ipse senex sapiens et bene doctus ac pontifex esset; dignatus tamen est discere sub genu alterius, propter humilitatem suam et amorem sapientiæ." Verum, quum anno CCCLII. natum fuisse Kieranum ex hoc ipso biographo docuerimus<sup>p</sup>; ad hanc ætatem vitam eum produxisse, existimare non possumus.

Ex aliis Finiani auditoribus hic commemoratis, Brendanus Findlogæ filius "multa<sup>q</sup> monasteria et cellas per diversas regiones Hiberniæ fundavit; in quibus tria millia monachorum, ut perhibetur a senioribus, sub illo erant." Columba vero, a multitudine cellarum a se constitutarum Kille cognomentum adeptus, "centum<sup>r</sup> cœnobiolorum extitit fundator:" quorum præcipua Dearmachanum et Heyense fuisse declaravimus: "ex quo utroque per plurima exinde monasteria per discipulos ejus et in Britannia et in Hibernia propagata" fuisse testatur Beda<sup>s</sup>. De antiquis vero hisce cœnobiis Johannes Rossus Warwicensis<sup>t</sup> jam pridem monuit: "Magistros et scholares, qui ad fidem Christi conversi sunt, docuisse in monasteriis locisque devotis, secundum formam studiorum antiquorum:" cum divinis videlicet studiis humaniorem etiam literaturam conjunxisse; ut et Trithemius<sup>u</sup> indicat, et codex ille MS. confirmat, qui in Wigorniensis ecclesiæ bibliotheca adhuc conservatur, continens "Commentum (ut libri habet inscriptio) Dunchat pontificis Hiberniensis, quod contulit suis discipulis in monasterio S. Remigii Douns, super astrologia Martiani Capellæ Varronis." Ejusmodi in Hibernia, hisce de quibus nunc agimus temporibus, præter Brendanica et Columbiensia, duo celeberrimi nominis flourerunt cœnobia: Benchorensis S. Comgalli, et Ratheniense S. Carthagi.

Rathenin locum hunc hodie nominant, in occidentali

<sup>p</sup> Supra, pag. 429. et cap. 14. pag. 50.

<sup>q</sup> Vita Brendani MS. de quo vid. supra, pag. 277.

<sup>r</sup> Jocelin. vit. Patricii, cap. 89.

<sup>s</sup> Bed. hist. ecclesiastic. lib. 3. cap. 4. Vide supra, cap. 15. pag. 231. 244.

<sup>t</sup> Hist. reg. Angl. pag. 77.

<sup>u</sup> Jo. Trithem. chronic. Hirsaugiens. ad annum Dom. 850. et lib. 1. de illustribus viris ordin. Benedicti, cap. 6. vide Christoph. Brower. antiquitat. Fuldens. lib. 1. cap. 9, 10, 11.

Midia ad octo milliarium a Dearmachano Columbæ monasterio situm; non procul a Land-clo cœnobio, quod in Fer-callia construxerat Colmanus abbas, cognomentum Elo inde adeptus. De eo, in vita Carthagi, cujus penes me duo sunt MSS. exemplaria, ista tradita invenio: "Civitas Rathen posita est in medio Hiberniæ, in regione Midi, in plebe scilicet Fearceall. In ipso loco maximum monasterium ædificatum est a S. Carthago: in quo ipse, per quadraginta annos vixit, et in quo DCCCLXVII. monachi simul sub eo fuerunt;" multis ad eum a diversis provinciis Hiberniæ et Britannicæ confluentibus. Idem quoque author expulsionem S. Carthagi monasterio Rathenien is postea enarrans; "Perrexit," inquit, "Sanctus in viam cum discipulis suis, qui erant numero DCCCLXVII. et cœqualis numerus in civitate Raythen in sepulchris mansit: et plures in aliis locis per Hiberniam de discipulis S. Mochuda vivi et defuncti fuerunt. Et qui secuti sunt sanctum senem Carthagum de civitate Raythen, pleni gratia Dei erant: et plures ex eis postea sancti episcopi et abbates facti, loca Domino ædificaverunt." Ab alio vitæ ejusdem scriptore, "exceptis parvulis et servientibus, sanctorum monachorum numerus DCCCXLVII." fuisse proditur, "labore manuum suarum victum sibi ac pauperibus acquirentium." Alius, iisdem exceptis, DCCCXLIV. tantum numerat: monasterium illud situm fuisse addens, "in aquilonali parte Hiberniæ, in finibus Midia, in plebe Ferrel, in loco qui dicitur Rathen." Sed multo celebrius fuit illud alterum Benchorens<sup>m</sup> cœnobium, in regione quæ ab arduo situ Ardes, et eodem<sup>x</sup> sensu Latine altitudo Ul-torum dicitur, constitutum: de quo in vita Comgalli legimus: "Constituit magnum monasterium quod vocatur Beanchor, in regione quæ dicitur altitudo Ul-torum, juxta mare orientale." Et paulo post: "In diversis monasteriis et cellis tria millia monachorum sub cura sancti patris Comgalli fuerunt: sed major et nominatior cæteris prædictum monasterium Beanchor est; ubi clara civitas in honore sancti Comgalli ædificata est."

<sup>m</sup> Vide supra, pag. 430. et cap. 6. et 13. op. tom. 5. pag. 161. 506.

<sup>x</sup> Ut Alti-macha et Ardmacha, supra, pag. 414.

Monasterium hoc a piratis olim destructum, nongentis simul monachis una die occisis, a Malachia fuisse reædificatum, docet in ejus vita Bernardus: de antiqua illius gloria, inter alia, hæc adjiciens: “Nempe nobilissimum extiterat ante sub primo patre Congello multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput. Locus vere sanctus fœcundusque sanctorum, copiosissime fructificans Deo; ita ut unus ex filiis sanctæ illius congregationis, nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur. Quod idcirco dixerim, ut ex hoc uno conjiciat lector, quam ingens fuerit reliqua multitudo. Nec modo Hiberniam Scotiamque repleverunt genimina ejus: sed in exteris etiam regiones, quasi inundatione facta, illa se sanctorum examina effuderunt. E quibus ad has nostras Gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens, Luxoviense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnum fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris continuarentur solemnia divinorum; ita ut ne momentum quidem diei ac noctis vacaret a laudibus.”

Hæc Bernardus: et illum in annalibus ad annum Christi MCXXXIX. excipiens Thomas Casæus. Hoc “olim destructum a piratis, qui fere omnes ecclesias et libros totius Hiberniæ destruxerunt et combusserunt, Malachias reædificavit. Ferunt namque nongentos monachos simul una die a piratis in eodem occisos. Sed non est putandum, ut quidam æstimant, propter aliqualem similitudinem nominum et rerum gestarum, hoc esse quod Beda dicit in secundo libro de gestis Anglorum, et Henricus Lincolliensis archidiaconus de conversione gentis Anglorum. Nam illi monachi erant de monasterio Bangorensi in Britannia, isti de monasterio Benghorensi in Hibernia: illi interfecti a rege Æthelredo Northumbrorum juxta Lexcestriam, isti in monasterio suo a piratis in Ultonia; illi mille ducenti, isti nongenti.”

Etsi vero ex his quæ dicta sunt satis liqueat, a scriptore vitæ Gildæ sine judicio et modo fuisse illud pronunciatum; illius temporibus, Hibernos “penitus Catholicam fidem, a maximo usque ad minimum, omnes amisisse:” illud tamen



non difficulter admitti posse arbitramur, a primævo et fidei et sanctitatis a Patricio illis tradito exemplo nonnihil eos defecisse. Ut licet non universalis et ὀλική, particularis tamen et μερικὴ in nostris partibus religionis eclipsis observari, indeque quod ab Andrea Saussaio de Gilda scriptum est aliquo modo ferri potuerit: “Hibernos maxime ab impietatis errorisque non modo laqueis, sed et vitiorum turpiter illic grassantium exitiosis nexibus, fortiter emancipatos, feliciter in veritatis et pietatis tramitem perduxit.” Nam et doctissimum Finianum nostrum e Britannia, in qua “tribus constructis ecclesiis triginta ipse annis commemoratus est,” reversum esse in Hiberniam, ad fidem post B. Patricii obitum neglectam restaurandam, in ecclesiastico ipsius officio notatum invenimus: hoc etiam hymno apposito:

Adest dies lætitiæ;  
 Cleri plaudant cum júbilo:  
 Refulsit sol justitiæ,  
 Qui prius erat sub nubilo.  
 Gratuletur Hibernia,  
 Freta doctore cœlitus;  
 Quo cleri contubernia  
 Reformantur divinitus.  
 Erroris iter devium,  
 Quo sine fine curritur,  
 Per hujus magisterium  
 A nobis intercluditur.

A priorum vero perfectione tantum abfuisse successores hęcce, quantum a solis splendore lunam, antiquus sanctorum Hiberniæ catalogus significat: quem, quia summa cum brevitate sanctorum nostrorum seriem ab anno CCCXXXIII. ad DCLXIV. continuatam exhibet synopsis, e tenebris in quibus hactenus delituit eruere et aliquantulum illustrare placuit.

INCIPIT CATALOGUS SANCTORUM HIBERNIÆ, SECUNDUM  
 DIVERSA TEMPORA.

“PRIMUS ordo Catholicorum sanctorum erat in tempore Patricii. Et tunc erant episcopi omnes clari et sancti et

spiritu sancto pleni CCCL. numero, ecclesiarum fundatores. Unum caput Christum, et unum ducem Patricium habebant: unam missam, unam celebrationem, unam tonsuram ab aure usque ad aurem, sufferebant. Unum Pascha, quarta decima luna post æquinoctium vernale, celebrabant: et quod excommunicatum esset ab una ecclesia omnes excommunicabant. Mulierum administrationem et consortia non respuebant<sup>v</sup>: quia super petram Christum fundati, ventum tentationis non timebant. Hic ordo sanctorum per quaterna duravit regna, hoc est, pro tempore Lægarii, et Aila Muilt, et Lugada filio Lægarii, et Tuathail. Hi omnes episcopi de Romanis, et Francis, et Britonibus, et Scotis exorti sunt."

"SECUNDUS ordo Catholicorum presbyterorum. In hoc enim ordine pauci erant episcopi, et multi presbyteri, numero CCC. Unum caput Dominum nostrum habebant, diversas missas celebrabant et diversas regulas, unum Pascha quartadecima luna post æquinoctium, unam tonsuram ab aure ad aurem; abnegebant mulierum administrationem, separantes eas a monasteriis. Hic ordo per quaterna adhuc regna duravit, hoc est, ab extremis Tuathail, et per totum Diarmata regis regnum, et duorum Muredaig nepotum, et Ædo filii Ainmereich. A Davide episcopo et Gilla<sup>z</sup> et a Doco Britonibus missam acceperunt: quorum nomina hæc sunt: duo Finiani, duo Brenda-ni, Jairlathia Tuama, Comgallus, Coemgenus<sup>a</sup>, Ciaranus<sup>b</sup>, Columba, Cainceus, Eogenius mac Laisreus<sup>c</sup>, Lugeus, Ludeus, Moditeus, Cormacus, Colmanus, Nesanus, Laisreanus, Barrindeus, Coemanus, Ceranus, Comanus, [Endeus, Ædeus, Byrchinus,] et alii multi."

"TERTIUS ordo sanctorum erat talis. Erant presbyteri sancti, et pauci episcopi, numero centum: qui in locis desertis habitabant, et oleribus et aqua et elemosynis [fidelium] vivebant, propria<sup>d</sup> devitabant, et diversas regu-

<sup>v</sup> Al. *nec laicos nec foeminas de ecclesiis repellebant.*

<sup>z</sup> Al. *S. Gilda.*

<sup>a</sup> Al. *Caymginus.*

<sup>b</sup> Al. *Queranus.*

<sup>c</sup> Al. *Laysreus.*

<sup>d</sup> Al. *Omnia terrena contemnebant, et omnem susurrationem et detractionem penitus evitabant.*

las et missas habebant, et diversam tonsuram, (alii enim habebant coronam, alii cæsariam) et diversam solemnitatem paschalem. Alii enim resurrectionem XIV. luna vel<sup>e</sup> XVI. cum duris intentionibus celebrabant. Hi per quaterna regna vixerunt, hoc est, Æda Allain (qui tribus annis, pro cogitatione mala, tantum regnavit) et Domnail, et filiorum Mailcobi et Æda Slaine permixta tempora; et usque ad mortalitatem illam magnam perduraverunt. Hæc sunt nomina eorum. Petranus episcopus, Ultanus episcopus, Colmanus episcopus, Murgæus episcopus, Ædanus episcopus, Lomanus<sup>f</sup> episcopus, Senachus episcopus. Hi sunt episcopi, et alii plures. Hi vero presbyteri: Fechinus presbyter, Airendanus, Failanus, Comanus, Commianus, Colmanus, Ernanus, Cronanus, et alii plurimi presbyteri.”

“ Primus ordo sanctissimus, secundus ordo sanctior, tertius sanctus. Primus sicut sol ardescit, secundus sicut luna, tertius sicut stellæ.”

In duorum, quæ hic secutus sum, altero et recentiori exemplari paulo prolixior hic habebatur ἀνακεφαλαιώσις. “ Nota quod primus ordo erat sanctissimus, secundus sanctus sanctorum, tertius sanctus. Primus sicut sol in fervore claritatis calescit, secundus sicut luna pallescit, tertius sicut aurora splendescit. Hos tres ordines B. Patricius superno oraculo edoctus intellexit; cum in visione illa prophetica vidit totam Hiberniam flamma ignis repletam, deinde montes tantum ardere, postea lucernas ardere in vallibus conspexit.” Quæ visio a Jocelino<sup>g</sup> plenius habetur proposita; lucis, quæ post extremas istas tenebras a Patricio conspecta fuisse dicitur, duplici hac secundum Hibernicorum et Anglicorum sensum subjecta interpretatione.

“ Tempus tenebrarum Hibernici illud autumant, quo prius Gurmundus<sup>h</sup> ac postea Turgisus, Norwagenses principes pagani, in Hibernia debellata regnabant. In illis enim diebus sancti in cavernis et speluncis, quasi carbones cineribus cooperti, latitabant a facie impiorum, qui eos tota die quasi oves occisionis mortificabant. Ex qua re

<sup>e</sup> Al. alii XIII. celebrabant.

<sup>f</sup> Al. Lomprianus.

<sup>g</sup> Jocelin. vit. Patric. cap. 175.

<sup>h</sup> Vid. supra, pag. 373. 421. et cap. 14. pag. 91.

accidit, ut varii ritus contra ecclesiastica instituta in Hibernia inducerentur; et a praelatis sanctæ ecclesiæ, divinæ legis ignaris, contra formam ejusdem nova sacramenta conficerentur. Lucem vero ex aquilonali parte exorientem et licet diutino conflictu, tenebras exterminantem Hibernigenæ S. Celestium<sup>1</sup> Machinensem archipræsulem totiusque Hiberniæ primatem asserunt, qui S. Patricii vestigia diligentiori studio secutus fuit; seu S. Malachiam, qui prius in Dunensi ecclesia, postmodum in Ardmachana metropoli præfuit, et Hiberniam ad Christianæ legis statum reduxit. E contra Anglici lucem illam arbitrantur ascribendam suo adventui; eo quod tunc ecclesia videbatur suo judicio in meliorem statum provchi, religio plantari ac propagari, atque sacramenta ecclesiastica et Christianæ legis instituta ritu competentiori observari. Ego vero funem contentiosum inter eos nec porto nec dirimo; sed hujus rei discussionem atque definitionem divino judicio relinquendam censeo." Ita Jocelinus.

In tribus istis sanctorum ordinibus, præcipuam in liturgia ecclesiastica, regulis monasticis, tonsura, observatione paschali et mulierum contubernio, ab auctore catalogi vides observatam fuisse discrepantiam. Et missæ quidem sive publicæ liturgiæ unum et eundem ritum initio a Patricio huc introductum, et a discipulis ipsius observatum ille notat. Ejus originem a B. Marco evangelista accessit libelli de officiorum ecclesiasticorum prima institutione vetus<sup>k</sup> auctor: atque eundem ritum, a Germano et Lupo acceptum, Hibernis communicavisse Patricium; indeque Comgallum, per discipulum suum Columbanum, ad transmarina cœnobia propagavisse significat. Quum enim dixisset (quod ipsius tamen fide dictum esto) "B. Hieronymum adfirmasse, ipsum cursum, qui dicitur præsentem tempore Scotorum, B. Marcum decantavisse," Patricium, a Lupo et Germano archiepiscopum in Scotiis ac Britanniiis positum, "ipsum cursum ibidem decantavisse" affirmat: de subsecuta successione ista subjiciens; quæ ut

<sup>1</sup> Ceallach sive Kellach Ardmachanum archiepisc. aliis Celestinum, Bernardo in vita Malachii Celsum appellatum.

<sup>k</sup> Vide supra, pag. 399. et cap. 11. op. tom. 5. pag. 394.

depravatissime erant scripta repræsentare voluimus, crassiorum errorum emendatione ad marginem apposita.

Patricius “ ipsum cursum ibidem decantavit; et post ipsum, beatus Wandilocus senex et beatus Comogillus<sup>1</sup>; qui habuerunt in eorum monasterio monachos circiter tria millia. Inde beatus Wandilocus in prædicationis ministerium a beato Comogillo missus est, et beatus Columbanus partibus Galliarum destinati<sup>m</sup> sunt Luxogilum monasterium: et ibidem ipsum cursum decantaverunt. Et inde postea percrebuit formam<sup>n</sup> sanctitatis eorum per universum orbem terrarum: et multa cœnobia, ex eorum doctrina, tam virorum quam puellarum sunt congregata. Et postea inde sumpsit exordium sub beato Columbano, quod ante beatus Marcus evangelista decantavit. Et si nos<sup>o</sup> non creditis: inquirete in vita beati Columbani et beati Eustasi abbatis, (plenius invenietis) et dicta beati Attclæti<sup>p</sup> abbatis Ebovensis.”

Comogillum illum, sive Comgallum potius, Columbani, Luxoviensis et Bobiensis cœnobii conditoris magistrum, ad secundum sanctorum ordinem catalogi auctor refert: in quo, ut et in tertio, diversas missas, sive dissimiles liturgiæ formulas, in Hibernia receptas fuisse idem indicat. Quam varietatem subsequenter seculis auctam potius quam imminutam fuisse, illud Gilleberti<sup>q</sup>, Lumnicensis episcopi et Romani pontificis apud Hibernos, duodecimo post Christum seculo, legati, in libelli de usu ecclesiastico ad episcopos et presbyteros Hiberniæ proœmio, demonstrat: “ Rogatu<sup>r</sup>, necnon et præcepto multorum ex vobis, charissimi, canonicalem consuetudinem in dicendis horis et peragendo totius ecclesiastici ordinis officio scribere conatus sum, non præsumptivo, sed vestræ cupiens parere piissimæ jussioni: ut diversi et schismatici illi ordines, quibus Hibernia pene tota delusa est, uni Catholico et Romano cedant officio. Quid enim magis indecens aut

<sup>1</sup> *Comgallus.*

<sup>m</sup> *Destinatus est Luxovium.*

<sup>n</sup> *Fama.*

<sup>o</sup> *Nobis.*

<sup>p</sup> *Atthalæ abbatis Bobiensis.*

<sup>q</sup> De quo supra, pag. 432.

<sup>r</sup> Epist. Hibern. sylloge, num. 30. op. tom. 4. pag. 500.

schismaticum dici poterit; quam doctissimum unius ordinis in alterius ecclesia idiotam et laicum fieri?"

A Comgallo vel Congello illo, de quo jam diximus, "monachismus Ægyptius a Pelagio (hæresiarcha) introductus, sub specie religionis in Britannia radices, vires et incrementa largissima cepit, ad alias Europæ provincias plantaria transmittens:" si Johannem Balæum<sup>a</sup> audire liceat, qui hunc anno Christi DXXX. (quo, juxta nostrorum<sup>t</sup> annalium fidem, vixdum ex pueris ille excesserat) "Bannochorensē Christianorum philosophorum collegium in monachorum sub apostolici<sup>u</sup> ordinis titulo cœnobium permutavisse" asserit; Britannicam<sup>w</sup> suam Bangoriam ab Hibernica nostra nesciens distinguere. Per Patricium quoque nostrum "religionem monachorum in Glastonia sumpsisse exordium, vitam ducentium monachorum more Ægyptiorum,"<sup>v</sup> ex Glastoniensium commentariis audivimus<sup>x</sup>. Unde, in libello de cœnobii illius antiquitate Guilielmus Malmesburiensis, de nova Benedicti regula post Augustini adventum huc introducta mentionem faciens: "His," inquit, "temporibus in monasterio Glastoniensi cœpit primo eadem regula exerceri, quod prius fuerat more cœnobiorum Ægypti." Quomodo et Rudburnus<sup>y</sup> ait, Faganum et Dwianum anno CLXIX. Wintoniensem ecclesiam "monachis replevisse Deo devote famulantibus, ac professis secundum regulam a S. Marco evangelista traditam." De qua scribit Cassianus<sup>z</sup>: "Cum in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi, monachorum nomine censerentur; sicut a beatæ memoriæ evangelista Marco, qui primus Alexandrinæ urbi pontifex præfuit, normam susceperere vivendi, non solum illa magnifica retinebant, quæ primitus ecclesiam vel credentium turbas in actibus apostolorum<sup>a</sup> legimus celebrasse, verumetiam his multo sublimiora cumulaverant."

<sup>a</sup> Balæ. script. Britann. cent. 1. cap. 53.

<sup>t</sup> Supra, pag. 431.

<sup>w</sup> Vide supra, cap. 6. op. tom. 5. pag. 162.

<sup>v</sup> Ibid. pag. 161.

<sup>x</sup> Ibid. pag. 136.

<sup>y</sup> Ibid. pag. 156.

<sup>z</sup> Jo. Cassian. de institut. cœnobior. lib. 2. cap. 5.

<sup>a</sup> Act. cap. 4. ver. 32, 33, 34, 35.

Gabriel Pennottus, et<sup>b</sup> ab apostolico illo exemplari et ab Ægyptiorum institutis clericorum suorum canonicorum originem repetens, eum<sup>c</sup> ordinem et Patricium in Hibernia, et post illum Hibernos<sup>d</sup> in Anglia et Belgio propagavisse primitus existimat. Sive autem antiqui illi nostri regulares fuerint clerici, sive alterius alicujus generis monachi; verissimum esse illud constat, quod in superiore legimus catalogo, diversas eos habuisse regulas. In eorum enim codicum antiquiore, e quo descriptus iste est catalogus, quatuor sequebantur regulæ, Hibernico sermone antiquissimo exaratae et nostris temporibus pene ignorabili. I. Columbækilli: ad quam omnia<sup>e</sup> Columbiensium monasteria, quorum centum ab ipso Columba<sup>f</sup> condita fuisse perhibentur, tam in Hibernia et Albania quam in ipsa Anglia fuisse conformata, par est credere. Ex<sup>g</sup> horum enim collegio primi Lindisfarnenses episcopi, Aidanus, Finanus et Colmanus, prodeuntes, monasticum hoc vivendi institutum in Northumbriae regnum introduxerunt: quibus succedens postea Wilfridus Anglus, primum<sup>h</sup> se ibi S. Benedicti regulam a monachis observari jussisse jactitat. Ut maximopere fallatur Johannes Trithemius, et eum, cum aliis, hic secutus Arnoldus Wion in Ligno suo vitæ, qui Columbienses nostros cœnobitas in Benedictinorum numero reponendos esse judicavit. II. Comgalli Beanchorensis: in cujus "monasterio<sup>i</sup> et cellis tria milia monachorum fuisse perhibentur;" uti nuper etiam monuimus. III. Mochuttai; qui Carthagus ille est, celeberrimi Ratheniensis cœnobii abbas, et Lismoriensis ecclesie antistes primus: unde et Lismoria ab ipso Lismor Mochuda, et ipse a Rathenia Carthagh Raithen accepit cognomentum. Carthagus enim, ut in vita illius habetur, "vulgo vocatur Mochutu: et ista duo nomina unam personam significant." IV. Albei Imelacensis archiepiscopi<sup>k</sup>: de quo et in hoc et in præcedente capite plura diximus.

<sup>b</sup> Pennot. histor. clericor. canonic. lib. 2. cap. 4, 5. et lib. 3. cap. 49. sec. 1.

<sup>c</sup> Id. lib. 2. cap. 34.

<sup>d</sup> Id. lib. 3. cap. 49. sec. 2.

<sup>e</sup> Vid. supra, cap. 15. pag. 239. 243.

<sup>f</sup> Supra, cap. 15. pag. 228, 229.

<sup>g</sup> Bed. hist. ecclesiast. lib. 3. cap. 4, 5. 26.

<sup>h</sup> Guill. Malmesburiens. lib. 3. de gest. pontific. Anglor.

<sup>i</sup> Vita S. Mocoemogi, MS.

<sup>k</sup> Supra, pag. 427, 428.

Ex his, Albeus ad primum pertinet sanctorum ordinem, in quo etiam ipsius S. Patricii regulæ Jocelinus<sup>1</sup> meminit; tres alii ad secundum; uti et Kieranus<sup>m</sup> filius artificis, a quo regulam monasticam conscriptam fuisse liber Navanensis indicat, et Brendanus Findlogæ filius: de cujus regula, in vita ipsius legimus. “*Scriptis S. Brendanus regulam ab angelo, secundum quam ordinavit vitam suam: et illa usque hodie manet apud successores S. Brendani.*” Neque alia est illa lex Ciarani et Brendani, cujus amplificatum usum ad annum DCCXLIII. in annalibus Ultoniensibus observavimus. Hisce vero et duos Comgalli discipulos addere possumus: Lugidum, qui et Moluæ nomen obtinuit, et Columbanum, de quo diximus, Luxoviensis et Bobiensis monasterii conditorem: Prioris illius regulam scriptor vitæ ipsius a Gregorio I. Romano pontifice ita laudatam fuisse memorat: “*Sanctus abbas Daganus pergens Romam, duxit secum regulam quam sanctus Molua ordinavit et dictavit monachis suis. Et legens sanctus Gregorius papa illam regulam, dixit coram omnibus: Ille sanctus, cujus est hæc regula, circumsepsit sepem circa familiam suam usque ad cælum. Et mandavit sanctus Gregorius papa suam orationem et benedictionem sancto Moluæ: et de hoc sanctus Molua gaudens, gratias egit Deo.*”

S. Columbani regula in omnium manibus extat, in lucem sæpius edita; a Melchiore Goldasto primum in Paræneticis veteribus, deinde a Thoma Messinghamo in Florilegio sanctorum Hiberniæ, Johanne Tomco in Columba sacra, et Carolo Stengelio in Corona sua lucida: ubi et veteris cujusdam Benedictini in regulam hanc breve hoc appositum legitur præfationem: “*Incipit præfatio regulæ cœnobialis patrum de Hibernia subsequentis. Equidem sanctus pater Benedictus in hanc regulam qualitate ordinis pœnitentiæ modos constituit. Sed unde, de quibusdam causis intimavit, dicens: Si quis hoc aut illud perpetraverit, disciplinæ regulari subiaceat. Ipsius quippe disciplinæ mensuram in arbitrium abbatis judicandum permisit:*

<sup>1</sup> Jocelin. vit. Patricii, cap. 165. 167. et 174.

<sup>m</sup> Supra, pag. 473.



quia dum qualitatis morum vel pœnitentiarum innumera-  
bilis est diversitas, potuit ei fieri in arbitrium onerosa pro-  
lixitas. Etenim ipse, per humilitatem spiritus, præceden-  
tium patrum disciplinæ auctoritatem recipit: quia (ut fer-  
tur) omnium sanctorum spiritu plenus fuit. Igitur de  
eadem emendatione disciplinæ quibusdam verbis instituta  
subter inserta nectuntur.<sup>n</sup> Ex qua præfatione Clemens  
Reynerus<sup>n</sup>, licet, ut ipse quoque agnoscit “subobscura,  
et scriptoris incuria in aliquibus vocabulis depravata,” cum  
aliis aliquot non magni momenti testimoniis collata, “omnes  
monachos qui de schola fuere S. Columbani, regulæ  
S. Benedicti sese subdidisse” contendit; quod ipsum  
etiam, præter Trithemium et illius sequaces Constantinus  
Caictanus<sup>o</sup> asserit; quam recte, jam non disputo.

Ordericus<sup>p</sup> quidem Vitalis S. Columbanum “Spiritu  
sancto edoctum monachilem regulam edidisse, primumque  
Gallis tradidisse” scribit; sed discipulos ipsius addit,  
“ædificationis causa, normam suscepisse Benedicti: ita ta-  
men ut non abhorrerent sui statuta magistri, almi videlicet  
Columbani. Ab ipso siquidem, modum divinæ servitutis  
et ordinem didicerunt; et formam orationum pro cunctis  
ordinibus qui in Ecclesia Dei sunt, nigredinem vestium,  
aliasque observationes sumpserunt: quas pro religione et  
honestate ipsius tenuerunt, et sequaces eorum usque in  
hodiernum diem reverenter observare appetunt.” Unde  
rationem intelligimus, cur toties in antiquis monumentis  
regulas Benedicti et Columbani simul conjungi videamus;  
ut quum Leodebodus abbas S. Aniani in testamento<sup>q</sup> suo  
Floriacense cœnobium se conditurum significat, “in quo  
monachi juxta regulam sanctissimi Benedicti et domini  
Columbani consistere debeant:” et Bertefridus Ambia-  
nensis episcopus in privilegio Corbeiensi<sup>r</sup> monasterio anno

<sup>n</sup> Reyner. de antiquitate Benedictinor. in Anglia, tractat. 1. sec. 1.

<sup>o</sup> Vid. Martini Farsensis abbatis scholia in vitam S. Atagni, edit. August. Vindelic. ann. 1627.

<sup>p</sup> Orderic. Vital. hist. ecclesiastic. lib. 8. ad ann. Dom. 1094.

<sup>q</sup> Apud Helgaldum Floriac. ante vitam Roberti regis, a P. Pithæo edit. inde-  
que apud Carolum Sansseym, in annal. eccles. Aurelian. lib. 4. cap. 1.

<sup>r</sup> Tomo 1. concilior. Gallix, pag. 504.

DCLXIV. concesso monet, “ ut ipsi monachi sub regula sancti Benedicti vel sancti Columbani conversari et vivere debeant:” et non longe post, Hildulphus Trevirensis archiepiscopus in consimili privilegio<sup>s</sup>, cœnobia a Deodato Nivernensi episcopo in valle Galilæa apud Lotharingos constructa fuisse memorat, “ ubi monachos vel peregrinos sub sanctissimorum patrum Benedicti et Columbani regula victuros deliberabat collocare devotus;” et Theodoricus II. Francorum rex in donatione<sup>t</sup> anno DCCXXIV. data Maurimonasteriensibus juxta Argentinam cœnobitis gratiam facit, sub sua defensione, “ cum omnibus rebus suis et monasterii sui, secundum normam patrum domini Benedicti et domini Columbani, quietos residere atque securos.” Non quod una eademque esset utriusque regula: sed quod Columbani sectatores, majoris profectus ergo, duas illas celeberrimas asceticæ vitæ normas conjunxissent; quæ mediis hisce temporibus in Italia, Gallia et Germania solæ enitebant et apparebant. Unde quum Robertus abbas Molismi in Burgundia, “ discipulis<sup>u</sup> persuaderet, ut labore manuum viverent, decimas et oblationes clericis qui in diœcesi deservirent relinquerent, femoralibus, staminiis pelliciisque abstinerent: illi contra nitentes, a consuetudinibus quæ in occiduis orbis monasteriis observabantur, quas constat institutas esse a beato Mauro discipulo S. Benedicti et a beato Columbano, recedere abnuerunt.”

Etsi vero sub Valentiniano abbate, quem ipsius Benedicti fuisse discipulum, et Romæ annis multis Lateranensi monasterio præfuisse, in libri secundi dialogorum suorum Gregorius docet exordio, Britannia et Scotia, sive Hibernia, ordinem ostensum fuisse Benedicti, Petrus<sup>w</sup> Casinensis diaconus significet: a Columbano tamen nostro proprium conditum fuisse canonem, in vita ipsius Jonas abbas

<sup>s</sup> Vit. S. Deodati. cap. 13. in tomis Surli et Mosandri; Junii 19.

<sup>t</sup> Apud Jodoc. Coccium, in Dagoberto suo, cap. 6.

<sup>u</sup> Rob. de Monte, de immutatione ordinis monachorum: apud Camden. in Hibernia, pag. 767.

<sup>w</sup> Petr. Diacon. in catalog. abbat. Casin. et Lateran. apud Constantin. Cajetan. pro Johanne diacono cardinal. lib. 2. cap. 8. pag. 244.

clare confirmat; de monasteriis ab eo constructis hunc scribens in modum: "His ergo in locis monachorum plebibus constitutis, ipse vicissim omnibus intererat, regulamque quam tenerent Spiritu sancto repletus condidit: ex qua, qualis et quantæ disciplinæ vir sanctus fuerit, prudens lector vel auditor agnoscit." Neque aliam par est credere Sangallensibus in Helvetia cœnobitis ab eorum conditore S. Gallo traditam initio fuisse regulam: de quo Nicolaum Oudartum, si placet, canentem audias:

Sancta Columbani placuit sic regula Gallo,  
Protinus ut generis spreverit omne decus,  
Discipulumque illi se junxerit: et suo Ierno  
Plus Araris lentas mox adamarit aquas.  
Unde ablegatus Brunichildis fraude, Suevum  
Devia adit; functus nomina datque loco.

De diversa tonsuræ ratione, ut ad eam jam accedamus; Naitanum<sup>x</sup> Pictorum regem abbas Ceolfridus<sup>y</sup> jam olim admonuit, quod neque apostoli omnes uno eodemque sunt modo tonsi, neque nunc Ecclesia Catholica, sicut una fide, spe, et charitate in Deum consentit, ita etiam una atque indissimili totum per orbem tonsuræ sibi forma congruit." Omnibus tamen anteponendam ille censuit, quam in capite suo gestavisse Petrum credidit, utpote a consuetudine Romanorum, qui ad Petrum omnium suarum traditionum originem referebant, ad Anglo-Saxones suos traductam: quamque iis "qui vel monachi votum vel gradum clericatus habebant" ferendam esse judicavit, ad "formam coronæ quam in passione sua spineam portavit in capite" Servator noster effictam et figuratam. Ejusque suasione gentem Pictorum ita commotam fuisse refert Beda<sup>z</sup>, ut "attonderentur omnes in coronam ministri altaris ac monachi; quasi novo se discipulatu beatissimi apostolorum principis Petri subdidissent."

Ubi notandum, apud Romanos olim eandem fuisse tonsuram et clericorum et monachorum: quum hodie non modo tonsura in rasuram sit conversa, sed diversi etiam

<sup>x</sup> Al. *Nechtanum*.

<sup>y</sup> Bed. lib. 5. hist. cap. 22.

<sup>z</sup> Bed. lib. 5. in fine capituli.

generis monachi et clerici gerere soleant coronam. Monachi enim, tota supra aures capitis parte abrassa, inferiorem ad modum coronæ (puræ tamen et illibatæ non, ut olim, spineæ) intonsam relinquunt; clerici vero brevi tantum in vertice utuntur orbe: quem morem, ut ab hæreticis in Hispaniam introductum, ita olim condemnauerat Toletanus<sup>a</sup> canon: “Omnes clerici vel lectores, sicut Levitæ et sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquunt: non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando ab ecclesiis scandalo hoc signum dedecoris auferatur, et sit una tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei Catholicæ reus erit.”

Ut Romanorum vero a Petro, ita ab ea diversæ orientalium tonsuræ originem a Paulo Beda repetit; de Theodoro, Tharsi in Cilicia nato, scribens: “Subdiaconus<sup>b</sup> ordinatus, quatuor expectavit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset. Habuerat enim tonsuram, more orientalium, sancti Pauli apostoli. Τὸ δὲ κείρεσθαι τὴν κάραν ὀλοτελῶς, κατὰ μίμησιν τοῦ ἁγίου Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου, καὶ Παύλου τοῦ ἀποστόλου, καὶ τῶν λοιπῶν. Radi toto capite, ad imitationem fit sancti Jacobi Dei fratris, et Pauli apostoli, et reliquorum:” inquit Germanus Constantinopolitanus archiepiscopus, in rerum ecclesiasticarum theoria: ubi et “duplicem<sup>c</sup> coronam, circumpositam capiti sacerdotis, ex capillorum significatione, imaginem referre venerandi capitis apostoli Petri” scribit: quum simplicis suæ coronæ usum eidem Petro, ut primo auctori, Latini acceptum referant.

Ita Gregorius Turonensis<sup>d</sup>, “Petrus apostolus, ad humilitatem docendam, caput desuper tonderi instituit.”

<sup>a</sup> Concil. Toletan. IV. can. 40.

<sup>b</sup> Bed. lib. 4. hist. cap. 1.

<sup>c</sup> Ὁ ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ ἱερέως περικείμενος διπλοῦς στέφανος ἐκ τῆς τῶν τριχῶν σημειώσεως, εἰκονίζει τὴν τοῦ ἀποστόλου Πέτρου τιμίαν κάραν. German. C. P.

<sup>d</sup> Lib. 1. de gloria martyrum, cap. 28.

Stephanus presbyter, qui et Æddius<sup>e</sup> “*Servus Dei Wilfridus desiderio concupiscens tonsuræ Petri apostoli formulam, in<sup>f</sup> modum coronæ spineæ caput Christi cingentis, a sancto Dalfino archiepiscopo Lugdunensi libenter suscepit.*” Beda, in vita S. Cuthberti episcopi (ut ab Amalario Fortunato<sup>g</sup> est citatus; nam in libro edito locum non inveno:) “*Postquam servitutis Christi jugum, tonsuræque Petri formam in modum coronæ spineæ caput Christi cingentis, Domino adjuvante, suscepit.*” Egbertus Eboracensis archiepiscopus, in jure sacerdotali: “*Petrus apostolus clericali tonsura primo usus est, gestans in capite imaginem coronæ spineæ Christi:*” et Alcuinus, in libro de divinis officiis: “*Fertur B. Petrus primus hujusmodi tonsuram sibi fecisse ad similitudinem spineæ coronæ Domini.*”

Quas vero ob causas ritus iste a Petro fuerit introductus, exponit Aldhelmus, in epistola ad Geruntium Britanorum Cornubiensium regem: “*Nos, secundum sacrosanctam Scripturæ auctoritatem, de tonsura nostra veritatis testimonium perhibentes, diversas ob causas Petrum apostolum hunc ritum sumpsisse asserimus. Primitus, ut formam et similitudinem Christi in capite gestaret, dum pro redemptione nostra crucis patibulum subiturus a nefanda Judæorum gente acutis spinarum aculeis crudeliter coronaretur. Deinde, ut sacerdotes veteris et novi Testamenti in tonsura et habitu discernentur. Postremo, ut idem apostolus sui que successores et sequipedæ ridiculosum gannaturæ ludibrium in populo Romano portarent: quia et eorum barones et hostes exercitu superatos sub corona vendere solebant.*” Quibus et causas consimiles, ex vetere libro canonum titulorum LXVI. in bibliotheca Cottoniana reperto, adjicere liceat: “*Romani dicunt, quod Petrus primus clericus tonsurando usus est, gestans in capite imaginem coronæ spineæ Christi: idque quinque de causis. I. Ut adsimilaret Christi coronam. II. Ut clerici a laicis in tonsura et habitu et operibus discern-*

<sup>e</sup> In vita S. Wilfridi, cap. 6.

<sup>f</sup> Coronæ hujus icon in margine MS. Cottoniani est opposita.

<sup>g</sup> Amalar. ecclesiast. offic. lib. 4. cap. 39.



rentur. III. Ut sacerdotes veteris Testamenti reproba-  
rent, in illo loco ubi columba super caput Christi descen-  
dit. IV. Ut derisionis gannituram in regno Romano  
propter Dominum sustinerent. V. Ut a Simone Mago  
Christianos discerneret, in cuius capite cæsaries ab aure  
ad aurem tonsa anteriore parte; cum antea Magi in fronte  
cirrum habebant.”

Diversum enim ab hoc Britonum, Pictorum et Hiber-  
norum ritum, quo anteriore tantum capitis parte tonde-  
bantur clerici, rotunda quidem tonsura, sed imperfecto  
orbe ab aure ad aurem circumducto, ut in odium et con-  
temptum adducerent, originem illius alii quidem ad  
Simonem Magum, alii ad subuleum quendam Læogarii  
regis, cuius tempore Hibernis evangelium annunciare cœpit  
B. Patricius, referendam censuerunt. Ita enim Aldhel-  
mus, in illa ad Britannorum Cornubiensium regem et sa-  
cerdotes epistola, *θεσιω* suam satis confidenter *διαφυλάτ-  
των*. “Rumor, ecclesiæ fidei contrarius, longe lateque  
percrebuit, quod sint in provincia vestra quidam sacer-  
dotes et clerici, tonsuram S. Petri apostolorum principis  
pertinaciter refutantes: seque tali excusationis apologia  
pertinaciter defendentes vivunt, quod auctorum et præ-  
cessorum suorum tonsuram imitentur, quos divina illus-  
tratos gratia fuisse grandiloquis affectionibus contestan-  
tur: qui si a nobis solícite sciscitentur, quis primus auctor  
rasuræ hujus et tonsuræ extiterit; omnino aut veritatem ig-  
norando, aut falsitatem dissimulando obmutescunt. Nos au-  
tem, secundum plurimorum opinionem, Simonem magicæ ar-  
tis inventorem hujus tonsuræ principem fuisse comperimus.”

Similiter et Ceolfridus, in altera illa ad Pictorum regem  
epistola: “Tonsuram eam, quam Magum ferunt habuisse  
Simonem, quis, rogo, fidelium non statim cum ipsa magia  
primo detestetur et merito exsufflet? quæ aspectu, in  
frontis quidem superficie coronæ videtur speciem præ-  
ferre; sed ubi ad cervicem considerando perveneris, de-  
curtatam eam quam te videre putabas invenies coro-  
nam:” et vetustus ille Cottonianus canonum codex:  
“Romani dicunt tonsuram a Simone Mago sumpsisse  
initium, cuius tonsura de aure ad aurem tantum con-

tingebat; pro excellentia<sup>h</sup> ipsa magorum tonsura, qua sola frons anterior regi solebat. Auctorem autem hujus tonsuræ in Hibernia subulcum regis Loigeri filii Nil extitisse, Patricii sermo testatur: ex quo Hibernenses pene omnes hanc tonsuram sumpserunt." Patricium certe ritum, cui ipse assueverat, Romanum huc introduxisse, synodi ab ipso, una cum Auxilio et Iernino episcopis, habitæ canon, in hoc etiam codice commemoratus, satis ostendit; quo excommunicandus declaratur clericus, "si non more Romano capilli ejus tonsi sint." Ut si in primo sanctorum nostrorum ordine, quod utrumque superioris catalogi habet exemplar, una tonsura fuerit observata; non ab aure usque ad aurem, quod in posteriori apographo omnino non est inventum, sed circumducta potius universo capiti corona expressam eam fuisse, existimandum omnino videatur.

Verum hic libere profitetur abbas Ceolfridus, quod<sup>i</sup> "tonsuræ discrimen non nocëat quibus pura in Deum fides et charitas in proximum sincera est: maxime cum nunquam patribus Catholicis, sicut de Paschæ vel fidei diversitate conflictus, ita etiam de tonsuræ differentia legatur aliqua fuisse controversia." Quod ipsum etiam, et eadem pene loquendi formula, de paschalis temporis antiquitas apud nos observati dissonantia Petrus abbas Cluniacensis prudenter monuit: ad Bernardum Clarævallensem de hujusmodi rituum ἀδιαφορία ita scribens: "Frustra<sup>k</sup> rem patentem multiplicibus testimoniis vel exemplis cingerem: maxime cum nec apud antiquos ipsius paschalis temporis dissonantia, nec apud modernos ipsius sacrificii Christiani inter Græcos et Latinos nota varietas, charitatem lædere vel schisma aliquod unitatis gignere poterit. Testes sunt præcedentis rei patres sancti, et eorum quos ecclesiæ reliquerunt approbati libri; quod alio tempore oriens, alio occidens, alio in eadem Britanniae insula Angli, alio Scoti, Christiani scilicet antiquiores, Pascha Domini celebrabant. Testes sumus et nos temporis nos-

<sup>h</sup> Forte *expellenda*.

<sup>i</sup> Bed. hist. lib. 5. cap. 22.

<sup>k</sup> Petr. Cluniac. lib. 4. epist. 17. tom. 12. bibliothec. Patr. part. 2. pag. 95. edit. Colon. al. lib. 5. epist. 16.

tri, qui Romanam ecclesiam et totam Latinam linguam offerre Deo salutare sacrificium azymi panis videmus; cum Græca ecclesia, et maxima orientis pars, ac Barbaræ sed Christianæ gentes, sacrificare de fermentato dicantur. Cum hoc ita sit, nec antiqui nec moderni propter tam celebres et famosas usuum dissonantias a charitate mutua desciverunt: quia nihil quod fidem vel charitatem læderet in his omnibus invenerunt."

Ut autem Lunaticæ hujus controversiæ, quæ nostros tantopere exercuit, origo rectius intelligatur: notandum est, aliam cyclorum paschaliū rationem Romæ fuisse observatam quum in Hiberniam venit Patricius; aliam quum Alexandrinorum cyclum decemnovennalem, a Dionysio Exiguo explicatum, Romani pontifices demum admiserunt. Prioribus enim illis temporibus Romæ octoginta quatuor annorum receptam fuisse periodum, ab anno æræ Christianæ CCCLXXXII. dinumeratam, ex Paschasinii Lilybetani<sup>1</sup> ad Leonem I. epistola, cum Prosperi Aquitanici (qui eidem Leoni fuit ab epistolis) integriore chronico collata, intelligimus. Ita enim de Paschate anni CCCXLIV. (non CCCCLV. ut, harum rerum imperitissimus, credidit Baronius) scripsit Paschasinus. "Cum ROMANA SUPPUTATIO quæ in cyclo concluditur, cujus ipse de quo agitur erit annus LXIII.<sup>m</sup> quia cœpit consulatu Antonii et Syagrii, nobis dubietatem adferret; eo quod septimo Calendarum Aprilium dies Dominica et luna vigesima prima incurreret, et iterum nono Calendarum Maiarum die (ut rei veritas habet) Dominica dies et luna decimanona obveniret: in hoc ambiguo fluctuantes, ad Hebræorum, hoc est legalem supputationem nos convertimus; quæ cum a Romanis ignoratur, facile errorem incurrunt." Ad eundem vero Antonii et Syagrii consulatum, anno CCCLXXXII. peractum, annotavit Prosper; "Finis<sup>n</sup> cycli quarti, et exordium quinti:" quum suo loco de primo

<sup>1</sup> Vid. supra, cap. 9. op. tom. 5. pag. 306.

<sup>m</sup> Ita habent duo antiquissimi, quibus hic usus sum, MSS. non LXIV. ut in hæc inter Leoninas edita legitur epistola.

<sup>n</sup> Hist. Francor. scriptor. ab Andr. du Chesne edit. tom. I. pag. 201.



admonisset : “ Incipit<sup>o</sup> cyclus paschalis, qui annis constat octoginta quatuor et post annos octoginta quatuor ad eandem legem revertitur.”

Ex hoc cyclo ætate lunæ numerata, a decima sexta ad vigesimam secundam lunationem Latini Dominicas suas paschales observabant; non ut postea, recepto cyclo Alexandrino, a quinta decima ad vigesimam primam. Inde Innocentius I. in epistola ad Aurelium Carthaginiensem, de anni CCCCXIV. Paschate verba faciens : “ Cum<sup>p</sup> ante diem undecimum Calendarum Aprilium pene luna decimasexta colligatur (nam quippiam minus est) itemque cum ante diem quartum Calendarum earundem veniat vigesima tertia; existimavi undecimo Calendarum memoratarum die festa paschalia celebranda : quoniam in vigesima tertia luna nullum Pascha unquam, ante hoc Pascha, factum esse cognoscimus:” et Victorius Aquitanus, in canonis sui paschalis prologo, de primi mensis agens terminis : “ Latini<sup>q</sup> a tertio Nonas Martii usque in quartum Nonas Aprilis, diebus scilicet viginti novem observandum maxime censuerunt; ut quocunque eorum die luna fuerit nata, efficiat primi mensis initium. Cujus luna decima quarta si feria sexta provenerit, sequens Dominica, id est, luna decima sexta festivitati paschali sine ambiguo deputetur. Sin autem die Sabbati plenilunium esse contigerit, et consequenti Dominico lunam decimam quintam reperiri; eadem hebdomade transmissa, in alterum diem Dominicum, id est, lunam vigesimam secundam transferri debere Pascha dixerunt. Nec minus ejusdem Dominicæ resurrectionis peragendo mysterio destinarunt quam decimam sextam nec amplius quam vigesimam secundam lunam aliquando recipiunt: eligentes potius in lunam vigesimam secundam diem festi paschalis extendi, quam Dominicam passionem ante lunam decimam quartam ulla-tenus inchoari.

Ex tribus cyclis solaribus conflata est ista octoginta

<sup>o</sup> Ægid. Bucher. commentar. in Victorii canon. Paschal. cap. 6. pag. 136.

<sup>p</sup> Epistol. Decretal. tom. 1. part. 2. pag. 62. edit. Rom. ann. 1591.

<sup>q</sup> Dionys. Petav. de doctrina tempor. tom. 2. pag. 886. Ægid. Bucher. pag. 4. Bed. de tempor. ratione, cap. 49.

quatuor annorum periodus; diebus constans 30681. lunationibus 1039. per quas dierum ille numerus divisus, mensis synodici modulum exhibet dierum 29. horarum 12. primorum minorum 42. secundorum 16. quum rationes Calippicæ, ab Alexandrinis et Dionysio Exiguo receptæ, prima minuta 44. secunda 25. vel 26. requirant; astronomicus vero syzygiæ mediæ calculus scrupulos primos 44. secundos 3. postulet. Ita lunationes 1039. astronomicæ, dies 30682. horas paulo minus 7. Calippicæ, præter dictum dierum numerum, horas paulo plus 13. continerent: et quod his est consequens, octoginta quatuor annorum integer quisque cyclus cœlestia quidem *σελήνια* die 1. et horis fere 7. Calippica vero et Alexandrina die 1. et horis paulo amplius 13. anteverteret. Indeque bidui illa inter Latinorum et Alexandrinorum rationes orta est differentia; de qua in cyclorum suorum prologo Cyrillus: "Lunam<sup>f</sup> quam illi tertiam vel decimam sextam vel vigesimam tertiam improprie nuncupant; hanc S. Theophilus primam vel decimam quartam vel vigesimam primam cœlo demonstrante, confirmant." Unde et hoc (ut postea appellat) biduum lunæ superfluum, argumento ab ipsis sensibus deducto, ita rejicit: "Quales ergo est cæcitas mentis, vel dementia, ut cum videri non possit trigesima, videatur adhuc deficiens, et dicatur prima, nonnunquam etiam et secunda? ac si per omnem ordinem mentiuntur<sup>g</sup>. Sicut enim pro trigesima secundam, et pro prima tertiam vocant; sic pro decimaquarta decimam sextam, et pro vigesima prima dicere compelluntur vigesimam tertiam."

At primum hujus Romanæ supputationis, ut Paschasinus eam appellat, conditorem tanta vel cœcitate vel dementia laboravisse nemo facile crediderit, ut in ipsa prima periodi suæ constitutione aliud tabulis suis inscriberet, quam quod cœlestia sui seculi *φαινόμενα* omnium oculis ingerebant. De quo quum jure dubitare non possimus: non in cycli quem quintum Prosper nuncupat, quo decurrente, bidui illa notata a Cyrillo est *ἀνωμαλία*, sed in quarti potius exordio, quod in annum æræ nostræ CCXCVIII. inci-

<sup>f</sup> Petav. doctrin. tempor. tom. 2. pag. 883. Bucher. pag. 483, 484.

<sup>g</sup> *Mentiuntur.*

dit, primæ suæ periodi caput illum collocavisse, pariter dicamus necesse est. Quod enim ad epochæ Christianæ, quam proxime ab eo fieri poterat, initia cyclos istos Prosper extenderit; usitata chronologis *προλήψει* id ab eo factum est, quam magisterium redeundi retro Hebræi vocant: qua eadem usum licentia scriptorem etiam antiquiorem, qui anno Christi CCCLIV. currente cyclo illo, quem quartum Prosper, nos primum numeravimus, fastos consulares edidit, ab ipso usque regifugio Romanæ hujus octoginta quatuor annorum periodi *ψηφοφορίαν* deduxisse observavimus.

In horum fastorum initio, primorum consulum tempora hisce characteribus fuisse insignita, notavit Cuspinianus<sup>t</sup>; "quos neque se intelligere potuisse, neque hactenus qui intellexisset reperisse," profitetur.

Bruto et Collatino,	Lu. XXIX.
Publicola II. et Tricipitino,	Mar. X.
Publicola III. et Pulvillo,	Mer. XXI.
RUFFO <sup>u</sup> ET AQUILINO,	Jo. II.
Valerio et Tuberto,	Sat. XIII.
Publicola IV. et Tricipitino,	Sol. XXIV.
Tuberto II. et Lanato,	Ven. V.

Primi consulatus characteres ad annum periodi Julianæ 4206. nos ducunt; in quem Olympias sexagesima octava incurrit: quam in primorum consulum anno actam fuisse, et Polybii Megalopolitani et Dionysii Halicarnassæi est sententia; licet illius rationes ab urbe condita CCXLIV. hujus CCXLV. numerandum esse hunc annum postulent.

Primus primi hujus anni character Calendarum Januariarum feriam designat hebdomadicam: quam lunæ, id est, secundam fuisse significat; G litera Dominicali anni 4206. id ipsum attestante: quod in sequentium etiam annorum initiis animadvertere liceat, si in postremo manifestum librorum mendam correxeris, et Lun. pro Ven. substitueris. Character alter ætatem lunæ in iisdem Calendis, juxta Romanum octoginta quatuor annorum

<sup>t</sup> Cuspinian. commentar. in Cassiodor. ad annum U. C. 248.

<sup>u</sup> Annus bissextilis, rubro colore in MS. notatus.

cyclum, indicat : quæ in 36. (cujusmodi hic fuit) periodi illius anno triginta novem dierum fuerit. Similiter in anno periodi Julianæ 4918. æræ Christianæ CCV. (a quo posterior horum fastorum pars initium ducit, quam magno Ægidii Bucherii beneficio, jam habemus editam) Antonio II. et Geta consulibus Mar. id est, dies Martis sive feria tertia, et XXII. ætas videlicet lunæ in Calendis Januariis anni septuagesimi sexti hujus periodi annotata cernitur. Ubi etiam ad annum Christi CCXIV. (a quo Prosper tertium suum cyclum dinumerat) Sat. I. atque illa octoginta quatuor annorum periodo demum evoluta, ad annum Christi CCLXXXVIII. (de quo diximus) iterum Sat. I. apponi; intermediis Calendarum Januariarum feriis et lunationibus ad eandem legem recurrentibus, eaque ratione principium cujusque cycli a die Saturni, sive feria septimanæ ultima, et lunatione prima, exhaustis in precedente periodo epactis omnibus, deduci, operæ pretium fuerit animadvertere.

Jam vero Britonum et Pictorum et Hybernorum cyclus paschalis, in hoc quidem cum Romana supputatione congruebat, quod octoginta quatuor is esset annorum: in hoc vero discrepabat, quod non a decima sexta luna ad vigesimam secundam sed a decima quarta ad vigesimam paschales Dominicas numeraret. Sic enim de Britonibus Beda: "Non<sup>w</sup> enim Paschæ diem Dominicæ suo tempore, sed a decima quarta usque ad vicesimam lunam observabant. Quæ computatio octoginta quatuor annorum circulo continetur." Et de Pictis, Alexandrinam Enneadecaeterida, quæ a decima quinta luna ad vigesimam primam Dominicas paschales celebrandas indicabat) postea recipientibus: "Statim<sup>x</sup> jussu publico mittebantur ad transcribendum, discendum, observandum per universas Pictorum provincias circuli Paschæ decennovenales; oblitteratis per omnia erroneis octoginta et quatuor annorum circulis." Contra Hibernos quoque Anatolii auctoritate, ut ex eodem Beda<sup>y</sup> liquet, numerationem suam a decima

<sup>w</sup> Bed. hist. lib. 2. cap. 2. init.

<sup>x</sup> Id. lib. 5. cap. 22. fin.

<sup>y</sup> Id. lib. 3. cap. 25.

quarta ad vigesimam lunam defendentes, ejusdem testimonium urget Cummianus<sup>z</sup>; “ad veram Paschæ rationem nunquam pervenire eos, qui cyclum octoginta quatuor annorum observant.” Cujus quidem cycli “auctorem, locum, tempus, incertum haberi” idem addit: diversumque ab eo fuisse, “quem sanctus Patricius papa noster tulit et fecit; in quo luna a decima quarta usque in vigesimam secundam regulariter, et æquinoctium a duodecimo Calendarum Aprilis observatur.”

Verum catalogi sanctorum nostrorum, quem explicandum suscepimus, concinnator ut secundi ita etiam et primi ordinis sanctos qui ducem secuti sunt Patricium, unum Pascha celebravisse significat; a decima quarta scilicet luna post æquinoctium vernale dinumeratum. Unum autem illud Pascha a secundo ordine observatum, idem ipsum cum eo fuisse quod Britonibus fuerat in usu, illustre S. Columbæ nostri apud Bedam<sup>a</sup> exemplum docet: ut alium cyclum ab hoc diversum vel a Patricio excogitatum vel huc invectum fuisse, nullo modo fiat verisimile. Britonum vero illum canonem paschalem a Sulpitio Severo acceptum fuisse, qui octoginta quatuor annorum cursum descripsit, ex Aldhelmi ad Geruntium Britannicum regem epistola jam ante<sup>b</sup> notavimus. Unde cycli illius et auctorem habemus Severum<sup>c</sup>, Patricii nostri sub S. Martini magisterio condiscipulum, et locum, Galliam; tempus quoque annum circiter CCCCX. quo urbs ab Alarico capta est. Nam et eo tempore Sulpitius Severus claruit, et ille a Bucherio<sup>d</sup> nuper editus Paschalis centum annorum Laterculus primum est conscriptus: in quo, licet a librariis pessime accepto, hujus paschalis octoginta quatuor annorum cycli, veteri Latinorum illi multum disparis, non obscura mihi visus sum deprehendisse vestigia.

Paschalis controversiæ in synodo Pharensi (in Ebor-

<sup>z</sup> Epist. Hibernicar. syllog. num. 11. op. tom. 4. pag. 440.

<sup>a</sup> Bed. lib. 3. cap. 5.

<sup>b</sup> Supra, cap. 11. op. tom. 5. pag. 368.

<sup>c</sup> Vide supra, init. cap. 9. op. tom. 5. pag. 263, 264.

<sup>d</sup> Ægid. Bucher. in Victorii canon. paschal. commentar. cap. 14. pag. 252. et 259.

censium septentrionalium<sup>e</sup> litore locus ille situs est; olim Strenæschalch, id est, ut Beda interpretatur, Sinus phari, hodie Whitby vel White-baye, hoc est Albus sinus, nominatus) anno DCLXIV. agitatæ statum a Stephano Æddio presbytero, in vita Wilfridi, ita legimus propositum: “Utrum more Brittonum et Scottorum omnisque aquilonalis partis (Britanniæ) a XIV. luna, Dominica die veniente, usque ad XXII. Pascha agendum; an melius sit, ratione sedis apostolicæ, a XV. luna usque XXI. paschalem Dominicam celebrandam?” ubi in priore membro pro XXII. reponi debere XX. et res ipsa loquitur, et Wilfridi verba in hac synodo contra Colmanum Scotum prolata (uti a Beda<sup>f</sup>, cum eodem Stephano ætate conjuncto, literis habentur prodita) extra omnem ponunt controversiam: “Petrus a quinta decima luna usque ad vicesimam primam diem Paschæ Dominicum celebrabat: quod vos non facitis, qui a decimaquarta usque ad vicesimam lunam diem Dominicum Paschæ observatis. Ita ut tertiadecima luna ad vesperam sæpius Pascha incipiatis; cujus neque lex ullam fecit mentionem, neque auctor ac dator Evangelii Dominus in ea, sed in quartadecima luna vel vetus Pascha manducavit ad vesperam, vel Novi Testamenti sacramenta in commemorationem suæ passionis Ecclesiæ celebranda tradidit: itemque lunam vicesimam primam, quam lex maxime celebrandam commendavit, a celebratione vestri Paschæ funditus eliminatis.”

De traditione a Petro repetita similiter etiam, apud eundem Bedam<sup>g</sup>, ad Naitanum<sup>h</sup> Pictorum regem scripsit postea Ceolfridus: “Decrevit apostolica traditio, quæ per Marcum evangelistam et interpretem ipsius Alexandriæ confirmata est, ut adveniente primo mense, adveniente in eo vespera diei quartadecimæ, expectetur etiam dies Dominica a quintadecima usque ad vicesimam primam diem ejusdem mensis. In quacunque enim harum inventa fu-

<sup>e</sup> North-Riding. “Streoneshalch, quod Hwiteby appellatur:” inquit Turgotus in Dunelmensi chronico.

<sup>f</sup> Bed. hist. lib. 3. cap. 25. Vid. eund. lib. 2. cap. 2. et 4. item lib. 3. cap. 3. 17. et 28. ubi in Beda quoque pro XXI. ex MSS. luna XX. est reponenda.

<sup>g</sup> Ibid. lib. 5. cap. 22.

<sup>h</sup> Al. *Nechtanum*

erit, merito in ea Pascha celebrabitur: quia nimirum hæc ad numerum pertinet illarum septem dierum, quibus azyma celebrari jubetur." A quo discrepantem calculum, ex altera quidem parte Britonum, Pictorum et Scotorum, qui a decima quarta luna ad vigesimam, ex altera vero Gallorum qui Victorii canonem secuti a decima sexta ad vigesimam secundam Dominicas suas paschales deducebant, ita deinde rejicit:

"Cujus observantiæ Catholica ratione patefacta, patet e contrario error irrationabilis eorum, qui præfixos in lege terminos nulla cogente necessitate vel anticipare vel transcendere præsumunt. Namque sine ratione necessitatis alicujus anticipant illi tempus in lege præscriptum, qui Dominicum Paschæ diem a quartadecima mensis primi usque ad vicesimam putant lunam esse servandum. Cum enim a vespera diei tertiæ decimæ vigiliæ sanctæ noctis celebrare incipiunt; claret quod illum in exordio sui Paschæ diem statuunt, cujus nullam omnino mentionem in decreto legis inveniunt. Et cum vicesima prima die mensis Pascha Dominicum celebrare refugiant; patet profecto quod illam per omnia diem a sua solennitate discernunt, quam lex majore præ cæteris festivitate memorabilem sæpenumero commendat. Sicque diem Paschæ ordine perverso, et aliquando in secunda hebdomada totam compleant, et nunquam in hebdomadæ tertiæ die septimo ponant."

"Rursumque qui a sexta decima die mensis sæpe dicti usque ad vicesimam secundam Pascha celebrandum magis autumant, non minore utique errore (tametsi altero latere) a recto veritatis tramite divertunt, et veluti naufragia Scyllæ fugientes in Charybdis voraginem submergendi decidunt. Nam cum a luna decima sexta primi mensis oriente, id est, a vespera diei quintæ decimæ Pascha incipiendum doceant; nimirum constat quod quartam decimam diem mensis ejusdem, quam lex primitus et præcipue commendat a sua prorsus solennitate secludunt: ita ut quintæ decimæ, in qua populus Dei ab Ægyptiaca servitute redemptus est, et in qua Dominus suo mundum sanguine a peccatorum tenebris liberavit, in qua etiam sepultus, spem

nobis post mortem beatæ quietis tribuit, vix vesperam tangant. Idemque pœnam erroris sui in semetipsos recipientes, cum in vicesima secunda die mensis Paschæ diem statuunt Dominicum, légitimos utique terminos Paschæ aperta transgressione violant : utpote qui ab illius diei vespera Pascha incipiunt, in qua hoc lex consummari et perfici debere decrevit ; illam in Pascha diem assignent primam, cujus in lege mentio nulla usquam reperitur, id est, quartæ primam septimanæ.”

Nempe et hic boni hi viri, quod Romæ suo tempore videbant observatum, ad apostolicam traditionem et Petri institutionem referendum fuisse non dubitabant : quum Alexandrinorum illum paschalem calculum, non modo post Marci, sed etiam post Dionysii Alexandrini episcopi tempora, in ipsam Alexandrinam ecclesiam introductum ; sexto demum post Christum seculo primum a Romanis receptum fuisse constet. Eorum enim majores a decima sexta luna ad vigesimam secundam Pascha suum celebrasse, id est, ut Ceolfridus rei ignarus iudicat, “ in Charvylidis voraginem submergendos decidisse,” jam ostendimus : quippe qui ante lunam decimam quartam non modo cum Alexandrinis *πάσχα ἀναστάσιμον*, sive diem Dominicæ resurrectionis, sed ne *στανρώσιμον* quidem *πάσχα*, sive salutiferæ passionis diem (in quo præcipuam plenilunii rationem habendam fuisse existimabant) celebrandum putarent ; de sequentibus azymorum diebus in Mosaica lege præscriptis, ut ad homines Christianos nihil omnino attinentibus, ne cogitandum quidem fuisse rati. Quum autem Sulpicius Severus bidui illam inter cycli Alexandrini et Romani neomenias observavisset discrepantiam ; vidissetque Romanis decimam sextam lunam numeratam quæ Alexandrinis, cælo etiam demonstrante, uti ex Cyrillo retulimus, erat tantum decima quarta : hunc Romani calculi errorem ita emendandum censuit ; ut non jam amplius a decima sexta ad vigesimam secundam sed a decima quarta luna ad vigesimam ex antiquo illo annorum octoginta quatuor laterculo Dominicæ paschales exciperentur. Quod etiam a Britonibus, Pictis, et Hibernis, ejusdemmodi noviluniorum anticipationem in cyclis subsequenter sub-



inde crescentem minus advertentibus, deinceps observatum fuisse invenimus.

Seculo deinde post Christum septimo, quo tertius sanctorum nostrorum ordo floruit, Honorius I. Romanus pontifex, de paschalis observationis ritu quam de fidei ratione a Monothelitis violata magis sollicitus; dum “flammam hæretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit sed negligendo confovit,” ut de eo in epistola ad episcopos Hispaniæ conqueritur Leo II. successor ipsius: ad Scotos sive Hibernos nostros missis literis eos exhortatus est, “ne<sup>k</sup> paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam sapientiore antiquis sive modernis quæ per orbem erant Christi ecclesiis æstimarent; neve contra paschales computos et decreta synodaliū totius orbis pontificum aliud Pascha celebrarent.” Quæ quidem monita irrita non fuisse, partim ex Beda<sup>l</sup> colligo, qui “gentes Scotorum, quæ in australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, ad admonitionem apostolicæ sedis antistitis Pascha canonico ritu observare didicisse” narrat: partim ex Cummiano, qui eo ipso tempore vixit, et in epistola ad Segienum sive Segenium Hyensis<sup>m</sup> cænobii abbatem, de Alexandrinorum magno viginti octo Ennea-decaeteridum sive DXXXII. annorum cyclo (quo expleto, ut inquit Ceolfridus<sup>n</sup>, “omnia quæ ad solis et lunæ, mensis et septimanæ consequentiam spectant, eodem quo prius ordine recurrunt”) in Hibernia primum admissio ita scripsit: “Ego<sup>o</sup> primo anno, quo cyclus DXXXII. annorum a nostris celebrari orsus est, non suscepi, sed silui; nec laudare, nec vituperare ausus. Anno deinde emenso, successores nostrorum patrum priorum, Ailbei episcopi, Querani Coloniensis, Brendini, Nessani, Lugidi” se consuluisse; eosque in campo Lene congregatos, “ut Pascha

<sup>l</sup> Tom. 2. Decretal. epistol. edit. Romæ ann. 1591. pag. 654.

<sup>k</sup> Bed. hist. lib. 2. cap. 19.

<sup>l</sup> Id. lib. 3. cap. 3. et 26.

<sup>m</sup> Tom. 2. Decretal. epistol. edit. Rom. ann. 1591. pag. 702.

<sup>n</sup> Ap. Bed. lib. 5. hist. cap. 22. Vid. lib. 2. de mirabilib. S. Scripturæ, cap. 4. oper. Augustin. tom. 3. app. pag. 17.

<sup>o</sup> Epist. Hiber. sylloge, num. 11. op. tom. 4. pag. 432.

cum universali Ecclesia in futuro anno celebrarent," edixisse ait.

Ut autem sancti omnes hic nominati, primo excepto, secundi fuerunt ordinis, ita eorum successores, qui in Leniensi ista synodo convenerunt, fuerunt tertii; et quidem ex australibus Hiberniæ partibus (quod cum Bedæ narratione convenit) omnes congregati. Qui enim Coloniensis hic scriptus est, Clonensis dici debuerat. Ea enim Querani sive Kerani (idem enim nomen est: uti Cyrenii in evangelio<sup>p</sup> et Quirinii in Romana<sup>q</sup> historia, Kiliani nostri in nova<sup>r</sup> et Quilliani in veteri Sigebertini chronici editione) quem a nostris filium artificis cognominatum fuisse notavimus<sup>s</sup>, sedes fuit; vulgo Cluan-mic-nois vel Clon-mac-nosh, in veteri<sup>t</sup> provinciali Romano Dunckeranensis, quæ vox collem Kerani denotat, appellata: in qua, hoc ipsum paschale dissidium S. Columbam longe ante prædixisse, docet in ejus vita Adamnanus<sup>u</sup>. Cum enim illum in Clonensi S. Cerani cœnobio subsistentem de puero quodam qui aderat prophetavisse dixisset; subjicit: "Hic erat Ereneus, postea per omnes Scotiæ ecclesias famosus, et valde notissimus. Qui hæc omnia suprascripta verba Segeneo abbati (ad quem Cummiani scripta est epistola) de se prophetata enarraverat; meo decessore Failbeo<sup>w</sup> intentius audiente, qui et ipse cum Segeneo præsens inerat: cujus relatione, et ego ipse cognovi hæc [eadem] quæ enarravi. Sed et multa alia iisdem diebus, quibus in Clonensi cœnobio hospitabatur sanctus, revelante Spiritu sancto prophetavit: hoc est, de illa quæ post dies multos ob diversitatem

<sup>p</sup> Luc. cap. 2. ver. 2.

<sup>q</sup> Sueton. in Tiber. cap. 49. Tacit. annal. lib. 3.

<sup>r</sup> Sigebert. ann. 694. "Kiliani Wirziburgensis episcopi discipulus Arnual in Gallia, Adamanus abbas, Aldhelmus et Wilfrid episcopi, clarent in Anglia." Unde Dempsterus non solum Arnvallum, sed etiam Adamanum et Adelmum, inepte Kiliani facit discipulos. Hist. ecclesiastic. Scot. lib. 1. num. 3. 6. et 29.

<sup>s</sup> Supra, pag. 473.

<sup>t</sup> Notitiæ episcopatum ab Aub. Miræo edit. Antuercp. ann. 1613. lib. 1. pag. 80. Nam quod idem lib. 4. pag. 219. Cluanensem et Dunckeranensem episcopatum distinguit, et priorem Kiloomb, posteriorem Dondalck interpretatur; homini rerum nostrarum ignaro venia concedenda est.

<sup>u</sup> Adamnan. vit. Columb. lib. 1. cap. 3.

<sup>w</sup> Vide supra, cap. 15. pag. 245.

paschalis festi orta est inter Scotiae ecclesias discordia, et de quibusdam angelicis frequentationibus sibi manifestatis." Hæc Adamnanus.

Locus in quo habita est jam dicta synodus, campus Leniæ<sup>x</sup> sive Legh-lenæ fuit, aliis Campus<sup>y</sup> albus dictus; ad ripam fluvii, quem Ptolemæus Birgum, nos Barrow vocamus, non procul a monte Margeo positus. Præses Imelacensis fuit archiepiscopus, S. Albei<sup>z</sup> successor: primarii antagonistæ, Molaiissi qui et Lasreanus Kiarelli filius; Leghleniensis cœnobii abbas; et Munnu monasterii item a se Teach-munnu nomen sortiti abbas; "in australi plaga Laginensium quæ dicitur Chenselach." Hic alio nomine Fintanus dictus, patre natus Tulcano, matre Fedelmia, postquam octodecim annos cum S. Synello mac Maynacur abbate monasterii de Chuayn-ynis in stagno Erne commoratus fuisset; ad insulam Hy eodem tempore suscepit iter, quo S. Columba vitam ibidem finiit. Estque idem Fintenus hic, de quo apud Adamnanum in libro primo, de vita Columbæ, capite secundo, longa habetur narratio: cujus hoc exordium: "Sanctus Fintenus, qui postea per universas Scotorum ecclesias valde noscibilis<sup>a</sup> habitus est, a puerili ætate integritatem carnis et animæ, Deo adjuvante custodiens, studiis dialis<sup>b</sup> sophiæ deditus; hoc propositum in annis juventutis conversatus in corde habuit, ut nostrum sanctum Columbam, Hiberniam descrens, peregrinaturus adiret." Iste epilogus, in libris editis desideratus: "Hæc, mihi quodam narrante religioso sene, presbytero Christi milite, Oisseneo nomine, Ernani filio, gente Mocu-nethcorb, indubitanter didici: qui eadem omnia supra memorata verba, ejusdem ab ore sancti Finteni filii Tailchani audisse testatus est, ipsius<sup>c</sup> monachus."

In hujus vero S. Finteni sive Munnu vita, de Leghleniensi hac synodo, ista memoriæ prodita invenimus: "Quodam tempore erat magnum concilium populorum Hiberniæ in Campo albo: inter quos erat contentio circa ordinem

<sup>x</sup> Vid. supra, cap. 14. pag. 93.

<sup>y</sup> Vide supra, pag. 425.

<sup>z</sup> Vid. supra, pag. 428.

<sup>a</sup> Al. *mirabilis*.

<sup>b</sup> Lib. edit. *dialecticalis*, male.

<sup>c</sup> Al. *qui et ipse monachus ejus extitit*.

Paschæ. Lasreanus enim abbas monasterii Leighlenne, cui suberant mille quingenti monachi, novum ordinem defendebat, qui nuper de Roma venit: alii vero veterem defendebant. Sanctus autem Munnu ad hoc concilium statim non pervenit; et omnes expectabant eum: ipse jam veterem defendebat ordinem.”

“ Tunc Subne filius Domnaill dux regionis Huamairche dixit: Quare tam longo tempore illum expectatis leprosum? Cui abbas Lasreanus ait: O dux, ne dicas tale verbum de sancto Munnu; quia quamvis absens corpore, est spiritu tamen præsens: et certe quod tu dicis hic ubi ipse sit jam audit; et vindicabit in te Deus injuriam famuli sui. Illo jam die ante vesperam S. Munnu venit ad concilium: et convenerunt sancti in obviam ejus. Cumque S. Lasreanus et S. Munnu salutassent se invicem; affuit etiam prædictus dux Subne, postulans benedictionem a sancto Munnu. Cui vir Dei ait: Cur postulas benedictionem ab homine leproso? Vere tibi dico quia, quando de me male locutus es, Christus in dextera Patris sui erubuit: jam unum Christi membrum sum, et ipse caput meum est; et quicquid nocet membro, inde dolet caput. Ideo, antequam mensis iste compleatur, occident te consanguinei tui et decollabunt te; et caput tuum projicietur in flumen Berow<sup>d</sup>, et ultra non apparebit: et sic completum est. Nam in ipso mense filius fratris sui juxta rivulum Blathach occidit illum: et caput ejus projectum est in flumen, juxta vaticinium viri Dei.”

“ Postea S. Munnu Lasreano abbati coram omnibus populis dixit: Nunc tempus est ut hoc concilium finiatur, ut unusquisque ad suum locum recedat. Contententes de ordine Paschæ, dixit S. Munnu, breviter disputemus: sed in nomine Domini agamus judicium. Tres optiones dantur tibi, Lasreane. Duo libri in ignem mittantur, liber veteris ordinis et novi; ut videamus quis eorum de igne liberabitur. Vel duo monachi, unus mens et alter tuus, in unam domum recludantur, et domus comburatur: et videbimus, quis ex eis evadat intactus igne. Aut eamus

<sup>d</sup> Al. *Berbla*.

ad sepulcrum mortui iusti monachi, et resuscitemus eum; et indicet nobis, quo ordine debemus hoc anno Pascha celebrare. Cui S. Lasreanus ait: Non ibimus<sup>e</sup> in iudicium tecum: quoniam scimus quod, pro magnitudine laboris tui et sanctitatis, si diceres ut mons Marge commutaretur in locum Campi albi, et Campus albus in locum montis Marge; hoc propter te Deus statim faceret. Erant enim illi tunc in Campo albo, cui imminet mons Marge. Postea consentientes populi cum sanctis, ad sua reversi sunt." Vel, ut in alio libro plenius legitur: "Consentientes igitur omnes juxta sententiam viri sancti, ad propria cum gaudio sunt reversi."

Annus ille æræ Christianæ DCXXX. fuisse videtur; quo Hiberni cyclum octoginta quatuor annorum secuti, paschalem Dominicam Calendis Aprilibus, integra ante tempus in Alexandrina Enneadecaeteride, a Romanis jam recepta, præstitutum septimana, observabant: quum anno proxime insequente totarum quatuor hebdomadam inter utrumque calculum intercederet differentia; illis vigesimo primo Aprilis, Romanis vero vigesimo quarto Martii die Pascha suam celebrantibus: quo illam Cumiani narrationem spectare minime dubitamus: "Misimus<sup>f</sup>, quos novimus sapientes et humiles esse, velut natos ad matrem: et prosperum iter in voluntate Dei habentes, et ad Romam urbem aliqui ex eis venientes, tertio anno ad nos usque pervenerunt: et sic omnia viderunt, sicut audierunt: sed et valde certiora, utpote visa quam audita, invenerunt. Et in uno hospitio cum Græco et Hebræo, Scytha et Ægyptiaco, in ecclesia sancti Petri simul in Pascha, in quo mense integro disjuncti sumus, fuerunt: et ante sancta sic testati sunt nobis, dicentes: Per totum orbem terrarum hoc Pascha, ut scimus, celebratur." Eodemque referri posse existimamus, quod in Lasreani vita legimus; ipsum, extremis vitæ suæ temporibus cum sanctis quinquaginta viris, Romam concessisse; Romanumque pontificem et "cum præsulem consecravisse, et revertenti legationis<sup>g</sup> in

<sup>e</sup> Al. *intrabimus*.

<sup>f</sup> Epist. Hibernic. syllog. num. 11. op. tom. 4. pag. 442.

<sup>g</sup> Vide supra, pag. 432.

Hibernia officium commisisse." Anno autem DCXXXIX. Molissam<sup>5</sup> sive Lasreanum hunc vivere desiisse, ex annalibus nostris intelligimus.

Audiamus jam Bedam, de hac inter nostros agitata controversia in chronico suo ista breviter annotantem: "Eo tempore exortum apud Scotos in observatione Paschæ errorem Quartadecimanorum Honorius papa per epistolam redarguit. Sed et Johannes, qui successori ejus Severino successit, cum adhuc esset electus in pontificatum, pro eodem Pascha eis simul et pro Pelagiana hæresi, quæ apud eos reviviscebat, scripsit." Ex quo obiter corrigendus venit, tum Marianus Scotus, apud quem error quatuordecim annorum, pro Quartadecimanorum magno errore legitur: tum Hermannus Contractus, vel Sangallensis potius monachus qui vulgatum ipsius chronicon interpolavit, in quo ad annum DCXXX. "hæresis de Pascha et Pelagiana Britanniam turbavisse" dicitur; pro Scotia vel Hibernia nostra perperam posita Britannia. Mortuus autem est Severinus quarto Nonas Augusti, anno (non, ut significavit Baronius, DCXXXIX. sed) DCXL. et ante illius exitum a Johanne nuper electo pontifice, et reliquis cleri Romani viris primariis, ad Tomianum, Armachanum eo tempore archiepiscopum, Segenum (quem Hyensem illum abbatem fuisse sentimus, cui Cummiani de paschali hac quæstione dicatus est commentariolus) et alios Hiberniæ doctores missæ sunt literæ: quibus ita eos sunt affati: "Reperimus quosdam provinciæ vestræ, contra orthodoxam fidem, novam ex veteri hæresim renovare conantes; Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, et quartadecima luna cum Hebræis celebrare nitentes." Contra quos pluribus deinde astruebant, "Dominicum Paschæ diem a quintadecima luna usque ad vicesimam primam lunam, quod in Nicæna synodo probatum est, oportere inquiri." Refert hæc Beda, ecclesiasticæ suæ historiæ libro secundo, capite undevigesimo, ex prioribus illis epistolæ verbis colligens, "et nuperrime temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam;

<sup>5</sup> Molassum.

et non totam eorum gentem, sed quosdam in eis hac fuisse implicitos."

Et verum quidem est, non universos Scotos, sed boreales tantum, eo tempore paschalem Romanorum calculum admittere noluisse: qui enim in australibus Hiberniæ partibus morabantur, ad Honorii papæ admonitionem, ut dictum<sup>h</sup> est, jam illum receperant. Sed illud quoque considerandum fuerat, non minus recentem apud ipsos Romanos fuisse consuetudinem, a decima quinta luna ad vigesimam primam Pascha celebrandi, quam apud Scotos, a decima quarta ad vigesimam. A decima sexta enim luna, ut ostendimus usque ad vigesimam secundam Romani Pascha suum antea observabant: Nicænæ synodi limites (siquidem ejusmodi aliqui ab ea præscripti fuerint) non minus in eo prætergressi, quam eos postea antegressi sunt Scoti. Quin et minorem multo cum Hebræis syncretismum fovisse Scotos, quum in decimum quartum forte primi lunaris mensis diem eorum Pascha incidisset, quam Romanos decimo quinto ejusdem mensis die suum Pascha celebrantes, æqui rerum æstimatores judicabunt. Die enim decimo quinto festum agebatur Azymorum, summa Judæorum festivitas: quum decimi quarti diei postremum tantum trihorium sacrum haberetur. Et epulantibus quidem Judæis, Scoti Pascha *στανρώσιμον* jejunantes observabant: Romani vero die decimo quinto Pascha *ἀναστάσιμον* non minore cum lætitia quam Judæi festum suum Azymorum transigebant.

Et tamen Scotorum ritum hunc non modo hæresim, sed etiam "novam<sup>l</sup> ex veteri hæresim," Romanis appellare libuit: non novam quidem simpliciter, ut Bedæ visum, sed, respectu ad veteres Quartadecimanos habito; quorum sententiam a Scotis renovatam fuisse, falsis quorundam rumoribus decepti, suspicabantur. Colmanus quidem Scotus, in Pharensi<sup>k</sup> colloquio anno DCLXIV. habito, celebrandi Paschatis rationem quam a B. Columba et majoribus suis acceperat eandem ipsam fuisse putabat quam, Johannis apostoli exemplum secuti, Asiani olim observa-

<sup>h</sup> Supra, pag. 501.

<sup>l</sup> Vid. Hieron. supra, cap. 8. op. tom. 5. pag. 255.

<sup>k</sup> Bed. lib. 3. hist. cap. 25.

verant. “Pascha,” inquit, “hoc quod agere soleo a majoribus meis accepi, qui me huc episcopum miserunt; quod omnes patres nostri, viri Deo dilecti, eodem modo celebrasse noscuntur. Quod ne cui contemnendum et reprobandum esse videatur; ipsum est quod beatus Johannes evangelista, discipulus specialiter Domino dilectus, cum omnibus quibus præerat ecclesiis celebrasse legitur.” Quomodo etiam de Quartadecimanis scripserat olim Socrates<sup>1</sup>: “Τεσσαρεσκαίδεκάτιται φασὶν ὑπὸ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου τὴν παρατήρησιν τῆς τεσσαρεσκαίδεκάτης παραδέδοσθαι αὐτοῖς. Quartadecimani sibi dicunt a Johanne apostolo traditam esse lunæ decimæ quartæ observati-  
onem.” Verum quam longe opinione Colmanus noster falleretur, Wilfridus demonstravit; contra regerendo: “Johannes, ad legis Moysaicæ decreta tempus paschale custodiens, nil de prima sabbati curabat: quod vos non facitis, qui non nisi prima Sabbati Pascha celebratis.” Ipseque postea Beda, re melius pensitata, eorum opinionem ut falsam redarguit, qui Scotorum et Quartadecimanorum sententiam eandem fuisse senserunt.

“Paschæ enim diem non semper,” inquit ille<sup>m</sup>, “in luna quarta decima cum Judæis, ut quidam rebantur, sed in die quidem Dominica, alia tamen quam decebat hebdomada, celebrabant. Sciebant enim, ut Christiani, resurrectionem Dominicam, quæ prima Sabbati facta est, prima Sabbati semper esse celebrandam: sed, ut barbari et rustici, quando eadem prima Sabbati, quæ nunc Dominica dies cognominatur, veniret, minime didicerant.” Et alibi<sup>n</sup>, de Aidano nostro verba faciens: “In celebratione sui Paschæ non aliud corde tenebat, venerabatur et prædicabat, quam quod nos; id est, redemptionem generis humani per passionem, resurrectionem, ascensionem in cælos Mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi. Unde et hanc non, ut quidam falso opinantur, quarta decima luna in qualibet feria cum Judæis, sed die Dominica semper agebat a luna quarta decima usque ad vicesimam: propter fidem videlicet Domi-

<sup>1</sup> Socrat. hist. ecclesiast. lib. 5, κεφ. κβ.

<sup>m</sup> Bed. lib. 3, cap. 4.

<sup>n</sup> Id. ibid. cap. 17.



nicae resurrectionis, quam una Sabbati factam, propter spem nostrae resurrectionis quam eadem una Sabbati, quae nunc Dominica dies dicitur, veraciter futuram cum sancta Ecclesia credebat.”

Sed neque illos omnes, qui luna decima quarta, in quemcunque hebdomadae diem illa incidisset, Pascha celebrabant, in calem cum Blasto haeresi fuisse existimandum est: de quo Tertullianus: “Latenter<sup>o</sup> Judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysis, decima quarta mensis. Quis autem nesciat, quoniam evangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum redigit?” Aliud enim est, antiquatas Judaeorum ceremonias ut divino jure adhuc necessario observandas nobis obtrudere: aliud, more a Christianis suis majoribus recepto, luna decima quarta jejunando Dominicae passionis memoriam recolere. Alioqui enim et Asianis<sup>p</sup>, et Cilicibus, et Syris, et Mesopotamianis omnibus infamis illa haereticae pravitate macula, esset inurenda: qui, Victore Romano episcopo nequicquam reclamante, id ipsum factitabant; nec nisi communis concordiae causa, ut ab instituto *πατροπαράδοτω* recederent, a Nicænis patribus persuaderi sibi patiebantur. Unde de Antiochenis suis Johannes Chrysostomus, in oratione adversus eos habita qui primo (sive antiquo illo) Pascha jejunabant: “Καὶ ἡμεῖς οὕτως ἐνηστεύομεν πρότερον, ἀλλ’ ὁμῶς προετιμήσαμεν τὴν συμφωνίαν τῆς τῶν χρόνων παρατηρήσεως. Et nos prius sic jejunabamus: sed tamen concordiam observationi temporum praetulimus.” De rei tamen summa ibidem admonet, Deum quidem “virginis<sup>q</sup>, quod oleum in lampadibus non haberent, a thalamo sponsi exclusisse; alium, quod<sup>r</sup> nuptialem vestem non habens esset ingressus, sed sordidis vestimentis indutus, fornicatione et impuritate cooptus: quod<sup>s</sup> autem hoc vel illo mense Pascha non

<sup>o</sup> Tertull. lib. de praescript. cap. 46.

<sup>p</sup> Athanas. in libro de synodis.

<sup>q</sup> Matth. cap. 25. ver. 10, 11.

<sup>r</sup> Ibid. cap. 22. ver. 12, 13.

<sup>s</sup> “Ὅτι δὲ τῷ δεῖνι μηνί, καὶ τῷ δεῖνι, οὐκ ἐποίησε τὸ Πάσχα, οὐδεὶς ἐκόλασθη ποτὲ οὐδὲ ἐνεκλήθη. Chrysost. op. tom. I, pag. 612. Vide Petrum Cluniacensem, supra, pag. 491. et P. Halloix notat. in cap. 11. vitæ S. Irenæi.

fecerit, neminem unquam punitum fuisse aut in iudicium vocatum:" sed super hac re nimis.

Primi ordinis Sanctos, qui ducem habebant Patricium, "mulierum administrationem et consortia non respuisse," tradit catalogi<sup>t</sup> auctor: "quia super petram Christum fundati, ventum tentationis non timebant." Ipsum tamen S. Patricium sanxisse refert Jocelinus<sup>u</sup>, "ut a mulieribus viri sequestrarentur, et utrique sexui ædificia et oratoria distincta construerentur; ne nomen Dei per eos inter gentes, quibus illud prædicabant, blasphemaretur; nec infirmis scandali occasio ulla in casu tali, vel detrahendi materia tribueretur." Extatque adhuc in Patricii, Auxilii et Jernini synodo canon ejusmodi: "Monachus et virgo, unus abhinc et alia ab aliunde, in uno hospitio non commaneant: nec in uno curru a villa in villam discurrant; nec assidue invicem confabulationem exerceant." Neque aliam Senano, qui<sup>w</sup> in Iniscattensi episcopatu Patricio successisse dicitur, mentem fuisse legimus; quum ad illum invisendum sacra virgo Kynrecha accessisset:

Cui<sup>x</sup> Præsul: Quid fœminis  
Commune est cum monachis?  
Nec te, nec ullam aliam  
Admittemus in insulam.  
Tunc illa ad episcopum:  
Si meum credis spiritum  
Posse Christum suscipere;  
Quid me repellis corpore?  
Credo, inquit, hoc optime:  
Sed nulli unquam fœminæ  
Huc ingressum concedimus;  
Esto, salvet te Dominus.  
Redi iterum ad seculum,  
Ne sis nobis in scandalum:  
Etsi es casta pectore,  
Sexum habes in corpore.

De Lismorensi civitate, in S. Carthagi<sup>y</sup> vita, ista scripta invenimus: "Egria et sancta civitas est Less-mor:

<sup>t</sup> Supra, pag. 478.

<sup>w</sup> Supra, pag. 436.

<sup>y</sup> De quo supra, pag. 475. 483.

<sup>u</sup> Jocelin. vit. Patric. cap. 102.

<sup>x</sup> Vit. Senani MS. cap. 18.

cujus dimidium est asyllum, in quo nulla mulier audet intrare, sed plenum est cellis et monasteriis sanctis : et multitudo virorum sanctorum semper illic manet. Viri enim religiosi ex omni parte Hiberniæ, et non solum, sed ex Angliæ et Britannia confluunt ad eam, volentes ibi migrare ad Christum. Et est ipsa civitas posita super ripam australem fluminis quondam dicti Nem, modo autem Abanmor, id est, amnis magnus, in plaga regionis Nandesii." De Clonfertensi etiam Ophaliensium cœnobio, in vita Lugidi sive Moluæ abbatis, habentur ista : " Constituit S. Molua ut nulla mulier ibi semper intraret : et ab illo die usque hodie nulla mulier in illud monasterium audet intrare. Magnaque multitudo monachorum hinc et inde venit ad illum locum : et recipiebat eos benigne pius pater Molua. Et in ipso loco clara civitas quæ vocatur Cluainferta-molua, id est, latibulum mirabile S. Molua, eo quod ipse in sua vita multa miracula in ea fecit, et adhuc gratia Dei per eum patrantur, in honore S. Moluæ crevit : et ipsa est in confinio Laginensium et Muneniensium; inter regiones Osraigi et Hele et Laiges<sup>2</sup>." De S. Fechini quoque molendino et ecclesia in Midia occidentali, apud Giraldum Cambrensem leguntur ista : " In<sup>a</sup> Media apud Foveram est molendinum, quod S. Phechinus in latere cujusdam saxi miraculose nimis manibus suis exculpit. Hoc, sicut et ecclesiam sancti istius, mulieres non intrant. Nec in minori reverentia molendinum istud ab indigenis, quam una ecclesiarum sancti ejusdem haberi solet." Similiter et S. Fiacrii monasterium atque sacellum, in Meldensi territorio positum, nullam fœminam ingredi, actorum ipsius scriptores confirmant. De quo eremitæ<sup>b</sup> cujusdam extat hoc distichon :

Fœmina quæ læsit blasphemo murmure sanctum,  
Fecit quod sancti non intret fœmina templum.

Et sequentia de S. Fiacrio ita cantitans :

<sup>2</sup> Læsiæ, in reginæ comitatu. Vide supra, pag. 374.

<sup>a</sup> Girald. topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 5.

<sup>b</sup> Rob. Gaguin. de gest. Francor. lib. 3.

Orat<sup>c</sup> ne loci intret limina  
 Immunis ulla fœmina.  
 Hæc est causa cur fœminæ  
 Arcentur ejus limine.

Est autem hic ipse Fiacrius, quem Eugenii IV. Scotorum Albanensium regis filium facit Hector Boethius<sup>d</sup>: quum tamen Hiberniam patriam illum habuisse ex vita ejus constet, tum ea quam ex Trajectensi codice Jacobus Mosander<sup>e</sup> curavit evulgandam, tum ea quæ breviario Burdegalensi habetur inserta, necnon et illa quam Johannes Timmuthensis in sanctilogio suo edidit: in quo, Pharoni Meldorum episcopo (cujus et Beda<sup>f</sup> meminit) de patria ipsum percontanti respondisse memorantur: “Hibernia, Scotorum insula, mihi meisque genitoribus originem dedit.” Quo facit et illud, in sequentiæ jam citatæ exordio:

Lucernæ novæ specula  
 Illustratur Hibernia:  
 Coruscat Meldis insula  
 Tantæ lucis præsentia.  
 Illa misit Fiacrium,  
 Hæc missum habet radium:  
 Habent commune gaudium;  
 Hæc patrem, illa filium.  
 Ad vitam solitariam  
 Suspirans, exit patriam:  
 Faronem Meldis reperit,  
 Cui suum votum aperit.

Qui Cutliberti nostri acta, de historiis Hiberniensium excerpta, circa annum MCLX. edidit, scribit illum “ad<sup>g</sup> devitanda malæ suspicionis opprobria semper suis fœminarum interdixisse contubernia vel frequentata consortia: indeque provenisse<sup>h</sup>, quod suam ecclesiam fœminas intrare non permiserit. Quod hactenus, inquit, in patria Pictorum arctius observatur, ubicunque ipsius honori ecclesia dedicatur.” Atque hujus instituti duas auctor iste causas commemorat: illa tamen prætermissa, quam ante eum

<sup>c</sup> Offic. S. Fiacrii, pag. 108. edit. Paris. ann. 1620.

<sup>d</sup> Supra, cap. 15. pag. 255.

<sup>e</sup> Tom. 7. Sur. August. 30.

<sup>f</sup> Bed. hist. lib. 4. cap. 1.

<sup>g</sup> Vit. Cuthberti MS. lib. 2. cap. 6.

<sup>h</sup> Vit. Cuthberti MS. lib. 2. cap. 4.

Turgotus assignavit unicam; sic in Dunelmensium episcoporum historia rem totam referens: "Ante paucos sane sui episcopatus annos monasterium in Coldingham per culpam incuriæ flammis absumptum est: quod tamen a malitia inhabitantium in eo contigisse, omnes qui novere facillime potuerunt advertere. Erant siquidem in eodem loco, diversis tamen separatæ mansionibus, monachorum sanctimonialiumque congregationes: qui paulatim a regularis disciplinæ statu defluentes, inhonesta invicem familiaritate decipiendi occasionem inimico præbuerant." Recitatis deinde ex Beda<sup>1</sup> cœnobii illius sordibus, et incendio postea subsecuto, Turgotus subjicit:

"Nec multo post vir Domini Cutlbertus episcopali<sup>k</sup> sublimatus cathedra, ne sui vel præsentis vel futuri quandoque tali exemplo Dei super se iram provocarent, omne ab eis fœminarum separavit consortium: ne indiscreta illarum societas servis Dei aliquod sui propositi periculum, et ex eorum ruina inimico generaret gaudium. Omnibus ergo et viris et fœminis consentientibus, omne suis et in præsentem et post futuris temporibus muliebrem interdixit consortium; earumque ab ecclesiæ suæ ingressu penitus amovit introitum. Unde in insula sedis episcopalis ejus facta ecclesia quæ lingua indigenarum Grene-cyric, id est, Viridis ecclesia appellatur (eo quod in campi virentis plantitie sita sit) jussit ut illo missas et verbum Dei audituræ mulieres convenirent; nec propius ecclesiæ, in qua ipse cum monachis conversabatur, unquam accederent. Quæ consuetudo usque hodie diligenter observatur: in tantum, ut nisi metus hostilis vel concrematio loci compellat, nec in cœmiteria quidem ipsarum ecclesiarum ubi ad tempus corpus ejus requieverat mulieribus introire liceat." Hæc Turgotus prior Dunelmensis.

Explicatis jam illis, in quibus tres sanctorum Hiberniæ ordines vel consensisse dicuntur vel discordasse: ad tempora eorum venio, quæ per Hibernicorum monarcharum successiones habentur descripta. Et in recentiore quidem hujus catalogi exemplari primus ordo "a tempore Leo-

<sup>1</sup> Bed. hist. lib. 4. cap. 25.

<sup>k</sup> Anno DCLXXXV.

degarii filii Neyl qui regnavit triginta septem annis, et Aylelli cognomento Molt qui triginta annis regnavit, et Lugdech qui septem annis regnavit, usque ad tempora extrema Tuathall Meyl<sup>1</sup> Garb duravisse" dicitur. Secundus " ab extremis Tuathall Mayl<sup>m</sup> Gairb temporibus, per triginta annos quibus Dermitus Mac Kairvail regnavit, et pro tempore quo duo nepotes Murcadayth qui septem annis regnaverunt, et pro tempore quo Æd Mac Aynmrech qui triginta annis regnavit." Tertius, " pro tempore Æda Allain qui tribus annis tantum regnavit, et pro tempore Dompnalli qui triginta annis regnavit, et per tempora filiorum Maylcoba<sup>n</sup> et pro tempore Æda Slain," vel potius, " filiorum Mailcobi<sup>o</sup> Ædæ Slaine:" uti superius locus hic a nobis est correctus. Ubi observandum, in meliore et antiquiore catalogi hujus codice istorum regum nulli, uno Æda Allain excepto, annorum quibus dominati sunt numerum esse assignatum: neque eum qui hic est appositus cum accuratior nostrorum scriptorum chronographia satis congruere. Quod ut planius percipiatur, et trium horum ordinum tempora rectius distinguantur; veriorum regiarum hujus successionis descriptionem, ex Ultoniensibus nostris annalibus, visum est hic subijcere.

## I.

Anno Christi CCCCXXXIII.	I. Lægarius <sup>p</sup> filius Neyll; regnavit post adventum S. Patricii annis triginta.
CCCLXIII.	II. Ailell Molt <sup>q</sup> , filius Nathi, annis viginti.
CCCCLXXXIII.	III. Lugaidus vel Lugdach, Lægarii filius; annis viginti quinque.
DVIII.	Interregnum, annis quinque.
DXIII.	IV. Muircheartach <sup>r</sup> , Ercae filius; annis uno et viginti.
DXXXIV.	V. Tuathal Mælgarb <sup>s</sup> ; annis decem.

<sup>1</sup> Moel.<sup>m</sup> Moel.<sup>n</sup> Moel.<sup>o</sup> Moel.<sup>p</sup> De quo supra, pag. 409.<sup>q</sup> "Oillill Molt rex Hiberniæ in bello magno in regione Midi occisus est."

Lib. 3. vit. S. Patricii, MS.

<sup>r</sup> Supra, pag. 446.<sup>s</sup> Tuatali regis, et successoris ipsius, meminit Johannes Tinmutheusis in vita S. Finani.

## II.

DXLIV.	VI. Dermitius <sup>1</sup> I. Cervailii filius; annis uno et viginti.
DLXV.	VII. Fergusius et Donaldus I. Muirheartachi filii, Ercæ nepotes; anno uno.
DLXVI.	VIII. Ainmireus <sup>u</sup> , filius Setnai; annis tribus.
DLXIX.	IX. Boethanus et Eochanus; annis tribus.
DLXXII.	X. Æda <sup>v</sup> I. sive Hugo, Ainmirei filius; annis viginti sex.

## III.

DXCVIII.	XI. Æda <sup>x</sup> II. sive Hugo Slane, et Colmanus, filii Dermittii I. annis sex.
DCIV.	XII. Æda III. qui et Hugo Vairidnach sive Allain, filius Donaldi; annis octo.
DCXII.	XIII. Mælcobus, Ædæ III. filius; annis tribus.
DCXV.	XIV. Suibneus Mendius; annis tredecim.
DCXXVIII.	XV. Donaldus <sup>y</sup> II. Ædæ I. filius; annis quatuordecim.
DCXLII.	XVI. Conallus et Cellachus, filii Mælcobi; annis sexdecim.
DCLVIII.	XVII. Dermitius II. et Blathmac, filii Ædæ II. annis septem.

Hos enim anno DCLXV. in mortalitate magna, cum qua sanctorum iste catalogus terminatur, vita decessisse, ex iisdem Ultoniensibus annalibus intelligimus: in quibus etiam ad annum præcedentem hæc annotata invenimus: “Tenebræ in Calendis Maii in nona hora: et in eadem æstate cælum ardere visum est. Mortalitas in Hiberniam pervenit in Calendis Augusti:” quæ cum illis Bedæ conferenda<sup>z</sup>: “Anno Dominicæ incarnationis DCLXIV. facta est eclipsis solis die tertio mensis Maii, hora circiter decima diei. Quo etiam anno subita pestilentia lues, depopulatis prius australibus Britanniaë plagis, Nord-humbro- rum quoque provinciam corripuens, atque acerba clade diutius longe lateque desæviens, magnam hominum multitudinem stravit. Hæc autem plaga Hiberniam quoque insulam pari clade premebat.” Ubi in die eclipseos, quæ

<sup>1</sup> Supra, pag. 466. et cap. 15. pag. 236.

<sup>u</sup> Supra, pag. 469, 470.

<sup>v</sup> Brandubh occidit regem Hiberniæ Edum filium Ainmireach, et maximam eadem nobilium virorum totius Hiberniæ cum eo fecit.” Vit. S. Edani sive Moedhog.

<sup>x</sup> Ædh Slane, rex magnus Temoriæ. Vit. S. Edi episc.

<sup>y</sup> “Domnaill nepos Amureg vel Ainmuireg,” Adamnano in vit. Columb. lib. 3. cap. 5.

<sup>z</sup> Hist. ecclesiast. lib. 3. cap. 27.

mortalitatem hanc antecessit, designando Bedam fuisse deceptum atque ipsis Calendis Maiis, ut nostri habent annales, tenebras illas contigisse, calculus demonstrat astronomicus. Ne ipsum enim textum Bedæ depravatum hic esse existimemus, et pro die tertio diem primum mensis Maii in eo esse reponendum, quod Dionysius Petavius<sup>a</sup>, diligentissimus chronologus, innuit: explicatio illa nobis persuadet, quæ in fine libri de temporibus legitur: "Eclipsis solis facta est indictione septima, quinto Nonas Maias:" et in ejusdem chronico: "Facta est eclipsis solis, quam nostra ætas meminit, quasi decima hora diei, quinto Nonas Maias."

Maximum nimirum illud solare deliquium, utpote digitorum eclipticorum pene duodecim, et sævissima peste subsecuta maxime memorabile, complures eorum quibuscum Beda est versatus non poterant non meminisse. A quibus cum accepisset, initio Maii mensis illud factum, et non nisi novilunii tempore accidere potuisse cognovisset; neomeniæ diem ex cycli decennovenalis Dionysiani abaco indagandum esse censuit: ex quo, quum aureum anni illius numerum XIX. die Maii tertio primam lunam indicare deprehenderet, non alio quam illo solis illam defectionem contigisse conclusit. Nondum enim satis perspectum fuerat, quam esset fallax cyclica illa neomenias erudiendi ratio: cujus errorem suo tempore per ipsa phænomena toti orbi patefactum fuisse Marianus Scotus declaravit: de anno MLXXXII. quo idem ipse decimus nonus cycli annus decurrebat, ita scribens: "Prima paschalis luna quarto Nonas Aprilis toti orbi apparuit; quum secundo Nonas Aprilis esse deberet:" ad quem scilicet aureus numerus XIX. in vulgatis calendariis cernebatur appositus. Ipsis vero novem ante natum Bedam annis conspectam esse illam, de qua diximus, eclipsim, ex ecclesiasticæ ejus historiæ fine colligimus; ubi anno Dominicæ incarnationis DCCXXXI. ætatis suæ quinquagesimum nonum se egisse significat. Ut maximopere hic fallatur Gerhardus Mercator<sup>b</sup>: qui eclipsim hanc a Beda visam,

<sup>a</sup> Petav. de doctrina tempor. lib. 8. pag. 855.

<sup>b</sup> Mercat. in demonstrat. temporum methodo, cap. 3.



et tertio illo die Maii observatam fuisse sibi persuasit; et posito hoc quasi fundamento constituendæ novæ suæ astronomiæ, “necesse esse” ait, “latitudinis medium motum ab anno Domini CXXXV. vel CCCXLVIII. ad hunc DCLXIV. gradibus plus minus quinquaginta tardiozem fuisse quam calculus Ptolemæi habet, et mediæ distantiae motum novem circiter diebus celeriozem.”

His vero, in astronomorum gratiam, quasi per transennam strictim consideratis, ad catalogum nostrum redeo: cui ut magna illa mortalitas finem, ita regnum Lægarii, filii Nelli magni, Næigiallach<sup>e</sup> a nostris dicti, et sub eo S. Patricii ad nos adventus præbet initium. “In quinto Loigere regis anno exorsum esse Patricium prædicare fidem Dei,” scribit Ninius. Anno ejusdem quarto in Hiberniam eum venisse tradunt alii<sup>d</sup>: quæ inter se facile conciliari poterunt, si dicamus sub exitum anni CCCCXXXII. Patricium adîisse Hiberniam, anno regis illius quarto desinente; et evangelium ibidem annunciare cœpisse, quinto ejusdem ineunte. Huic vero Lægario interminatum esse B. Patricium, quod doctrinæ suæ vehementer restitisset, ex ejus progenie nullum regem postea futurum; referunt Probus, Jocelinus<sup>e</sup>, Johannes Tinmuthensis, operis tripartiti auctor et alii, qui Latine res Patricii sunt persecuti. Sed qui vetere lingua Hibernica acta ejus descripsit, fidelis reginæ interventu, infantem quem ipsa tum prægnans alvo continebat a maledictione hac exceptum fuisse narrat. Fuit autem ille Lugaidus, tertio loco in regum serie commemoratus: quo totius Hiberniæ regnum obtinente, beatam Deo animam reddidit ipse Patricius, non, ut Jocelinus<sup>f</sup> voluit, Forcherno vel Forthkerro; cujus nominis omnino nullus in universa monarcharum Hibernicorum serie conspicitur.

Sub B. Patricio “Episcopi clari et sancti et spiritu sancto pleni, tercenti quinquaginta numero, ecclesiarum fundatores,” primum sanctorum ordinem in nostro catalogo constituunt. Totidem vero episcopos ab ipso Pa-

<sup>e</sup> De quo supra, cap. 15. pag. 115.

<sup>e</sup> Jocelin. cap. 49.

<sup>d</sup> Vid. supra, fin. cap. 16. pag. 371.

<sup>f</sup> Supra, pag. 442.

tricio ordinatos fuisse, Jocelinus indicat: "Trecentos," inquit<sup>g</sup>, "episcopos et quinquaginta manu sua consecravit: septingentas ecclesias fundavit; quinque milia clericorum ad sacerdotalem gradum et officium promovit." Episcoporum numerum paulo majorem, presbyterorum vero ut et ecclesiarum longe minorem Ninius nobis exhibet; ita de Patricio scribens: "Ecclesias fundavit trecentas et sexaginta quinque; ordinavit episcopos eodem numero trecentas et sexaginta quinque et eo amplius, in quibus spiritus Dei erat: presbyteros autem usque ad tria milia ordinavit." Similiter et Antoninus<sup>h</sup>: "Ecclesias CCCLXV. et totidem episcopos ordinavit; presbyterorum tria milia consecravit." Quæ eadem etiam habet et Vincentius<sup>i</sup>; nisi quod pro CCCLXV. denarii nota transposita, CCCXLV. legantur: qui itidem episcoporum a Patricio ordinatorum numerus apud Rogerum Wendoverium et Matthæum Florelegum in anni CCCCLXXXI. historia cernitur.

Ex his a Tirechano nominantur, "Benignus, Bronus, Sachellus, Cethiacus, Carthacus, Cartenus, Connanus, Firtnanus, Siggeus, Cetennus, Sencaticus, Oleanus, Iborus, Ordus, Naziarius, Miscrneus, Senachus, Secundinus, Gosachus, Camulacus, Auxilius, Victoricus, Bressialus, Feccus, Menathus, Cennannus, Nazarus, Melus, Maceleus, Mactaleus, Culeneus, Asacus, Bitheus, Falertus, Sescneus, Muirethchiser, Temoreris (qui fundavit ecclesiam sanctam Cairce, quam tenuit familia Clonoaviss) Daigreus, Justianus mac Hy, Daimene, Olteanus, Domnallus, et alii quamplurimi." De horum aliquibus in superioribus facta est a nobis mentio; et de Olcano<sup>k</sup> speciatim, ecclesiæ Derkanensis, quæ in Routano Antrimmensium territorio Clonderkan nomen adhuc retinet, episcopo: cujus a Jocelino<sup>l</sup> honorificam hanc mentionem factam invenimus; "Grandiusculus effectus, discendi aviditate Gallias adiit; ibique diutius degens, multæ literaturæ scientiam adeptus repatriavit. Repatriatus scholas rexit; innumeros discipulos, quorum

<sup>g</sup> Jocelin. vit. Patric. cap. 185.

<sup>h</sup> Anton. chronic. tit. 11. cap. 18. sec. 2.

<sup>i</sup> Vincent. specul. hist. lib. 20. cap. 23.

<sup>k</sup> Supra, cap. 15. pag. 145.

<sup>l</sup> Jocelin. cap. 86.

plures episcopi sancti fuerunt, erudiendo in literaturæ copiam provexit. Ipse vero doctor egregius episcopalem gradum ascendit: in sanctitate multa vitam terminans, miraculis etiam multis claruit."

Operam vero a B. Patricio hic positam ita illi secundam evenisse, ab eodem Jocelino<sup>m</sup> est notatum; "ut Hibernia speciali nomine insula Sanctorum<sup>n</sup> ubique terrarum jure nominaretur:" de qua et auctor anonymus, qui de ecclesiæ consecrati Petri, vulgo Weich St. Peter, extra muros Ratisbonenses, fundatione scripsit: "Populus," inquit, "bonæ indolis tanta perfectione vitæ subito pollere cœpit, quod numerum excedebat sanctorum multitudo: qui per centenas et millenas turbas celebrans synodos solennes, operabatur virtutes incredibiles cunctis seculis; quicquid<sup>o</sup> postulabat in virtute nominis Christi debere se accipere nullatenus dubitans. Vere illic probatum est, quod omnia possible sunt credenti. Miracula sanctorum Hibernensium absque diffidentia vel subsannatione solus naturalis Hibernicus credere potest: cujus nativa simplicitas illam in sanctis simplicitatem redolet, quæ in impetrando hominibus difficilia totius diffidentia a se scrupulum elongavit. Indicibile namque est, quanta familiaritatis audacia consueverit orans ille populus cum Domino fabulari. Affatur ut domesticum, Regem perennis gloriæ: nescit cultorum verborum phaleras contexere simplicitas versutiis non ex-culta."

Addit idem, indicta sanctis a B. Patricio duo fuisse concilia; in quorum posteriore, "omnes populi qui adhuc infideles remanserant baptizati sunt, et a sanctis omnibus benedicta erat et consecrata:" solutoque conventu, "triginta milia probatorum virorum in sanctitate et justitia coram Deo et hominibus simul iter arripuisse de Hibernia." Nam, si nugatorem hunc audire libeat, "in secunda synodo Patricii, major pars multitudinis sanctorum eorundem, cum benedictione et licentia S. Patricii, reliquerunt patriam, notos, caros, parentes, res et redditus, civitates et

<sup>m</sup> Jocelin. cap. 174.

<sup>n</sup> Vid. supra, cap. 16. pag. 281, 282.

<sup>o</sup> Marc. cap. 9. ver. 23.

castra et cætera quæ possidebant; et secuti sunt Christum, accensi divino amore, in pellibus caprinis, in voluntaria paupertate: voventes Deo pia vota, se nunquam reversuros, priusquam limina sanctorum apostolorum calcarent, et loca quibus Christus fuit angustatus, stillans proprium corporis sanguinem pro ipsorum salute, in Europa, Asia vel Africa. Et ita beata multitudo sanctorum transivit prospero navigio pericula ponti: et diviserunt se in tres turmas, ad tres partes mundi; ad Africam, ad Asiam, ad Europam." Hæc, inter alia puerilia figmenta, de primi ordinis sanctis nostris comminiscitur scriptor iste nugacissimus.

Secundi ordinis sanctos "ritum celebrandi missam accepisse a sanctis viris de Britannia, scilicet a sancto David et a sancto Gilda et sancto Doco," in catalogo nostro legimus. Docum quendam episcopum, sanctum Britonum abbatem, anno CCCCLXXIV. quievisse, in Ultoniensibus traditum habetur annalibus. Sed illo posterior fuit is, de quo hic agitur, Docus: ille nimirum, cujus in vita S. Cainnici abbatis hæc facta reperitur mentio: "Cum S. Cainnicus crevisset, et perfectus esset sensu; voluit scientiam discere, et religiosæ vitæ vacare. Perrexit ad mare, transnavigavitque ad Britanniam ad virum religiosum et sapientem nomine Docum. Legit vero apud illum sedulo, et bonos mores didicit:" et in ejusdem sancti officio: "Britanniam<sup>p</sup> petiit, et apud venerabilem abbatem nomine Docum liberali<sup>q</sup> scientiæ sanctæque religioni se tradens, cum eo in docibilitate atque obedientia aliquot annis permansit." Similiter et Gildas, non ille Albanus, sed eo junior Badonicus est hic intelligendus: quem in Hibernia ecclesiasticum restauravisse ordinem, ex aliorum etiam sententia superius<sup>r</sup> indicavimus. Qua vero consuetudine et familiaritate Hiberni nostri cum S. Davide conjuncti fuerint; in ejus vita Giraldus Cambrensis ita indicat: "Mos erat illis diebus Hiberniensibus,

<sup>p</sup> Offic. S. Kanici, lect. 5. edit. Paris. ann. 1620.

<sup>q</sup> MS. *literali*.

<sup>r</sup> *Supra*, pag. 470.

Romam peregre proficiscendo, apostolorum limina præ locis omnibus magis frequenter devoto labore visitare. Inter quos abbas Barroco (S. Barrus aliis dictus) de Corcagiæ finibus ab eadem peregrinatione Meneviam usque reversus, ibidem venti et navigii tempora præstolabatur. In consuetudine nimirum viri boni de Hibernia et authentici habebant, quod peregre profecti, vel in eundo vel redeundo, beati David alloquiis frui, quoniam oleum<sup>s</sup> effusum erat nomen ejus, votivo desiderio affectarent." Et ante eum Ricemarchus: "Cum inextinguibile Hiberniensium desiderium ad sanctorum Petri et Pauli apostolorum reliquias visitandas arderet: inter cæteros fidelissimus ille abbas, cui nomen Bare sacratam peregrinandi viam indefessis carpebat plantis. Perfecto salutari voto ad monasterii claustra reversus, sanctum visitabat virum (Davidem scilicet) ibique per aliquantum temporis in divinis colloquiis ex voto moratus, præpedita ventorum indigentia navi, qua patriam revisere paraverat, longiori retardabat mora."

Sed et ex discipulis illius aliquos ad nostros concessisse legimus: in quibus, Ædanus sive Maidocus, primus Fernensis ecclesiæ antistes, de quo in tertio sanctorum ordine dicendum erit; et Mandabnaucus, de quo Giraldus lepida hanc narrat fabulam: "Cum post annos plurimos circa patrem et obedientiæ regulis instructus fuisset et vitæ meritis illustratus; quum Hibernicam insulam de patris licentia petere jam parasset, mare ingressum cuncta apum examina quæ Meneviæ vel in ejusdem confinio fuerant ipsum usque in navem ipsam sunt secuta. Ipse enim inter fratres huic specialiter operi indulgebat, quod alvearia ad enutriendos apum fœtus per examina disponebat. Quo viso, nolens fratres possessionis suæ damno fraudare, ad terram rediit; patremque David revisitavit, apibus ad sedes suas undequaque reversis. Ad navem autem secundo reversus, apes eum undique sequentes denuo conspexit: iterumque ad terram revertentem, sicut primo sic et secundo, sunt secutæ. Patrem autem, et fratres jam

<sup>s</sup> Cantic. cap. 1. ver. 2.

tertio repetens, quoniam suis eos de utilitatibus nullatenus sponte fraudare sed ipsos potius indemnes esse volebat; tandem piis fratrum orationibus et patris benedictione Deo commendatus, transfretandi licentiam una cum apibus communiter accepit. Ex quo factum est ut apes, quæ nunquam antea in Hibernia, ut fertur, visæ fuerant, ab eo quo tam miraculose per ipsum transvectæ sunt tempore ibidem abundare, in Menevia vero ab illa semper hora deficere consueverint." Quanquam alii ut idem alibi<sup>†</sup> Giraldus refert: "S. Dominicum Ossoriensem apes in Hiberniam detulisse" asserant: a quo et nobile<sup>‡</sup> constructum fuisse memoratur monasterium, ad radices "montis altissimi, qui illi imminet mari quod Hiberniam interfluit atque Britanniam:" quique olim Salanga postea Mons Domini appellatus, Ptolemæi tempore (ut quidam scholiastes ipsius Michael Villanovanus annotat) Ἱερόν sive Sacri promontorii nomen obtinuit.

Inter sanctos secundi ordinis duo Finiani in nostro catalogo primum locum occupant: quorum unius (Clunardensis videlicet, quem ut præcipuum inter sanctos secundi ordinis in Hibernia scriptor vitæ illius celebrat) die Decembris duodecimo, alterius die Septembris decimo, celebratur memoria. Estque illorum alter doctissimus ille, de quo supra<sup>w</sup> egimus Clunardensis ecclesiæ episcopus; Adamnano<sup>x</sup> sanctus Finnio, Findbarrus et Vinnianus dictus: alter pontifex Finanus, qui Wallico nomine Winninus appellatus est. Ut enim Fin Hibernis, ita Gwin et Win Cambro-Britannis Album denotat. Hic in patria sua Hibernia a Colmanno antistite primum institutus, a Coelano Noendrumensi<sup>y</sup> abbate Nennioni sedis quæ Magnum vocabatur monasterium episcopo in Britannia sacris disciplinis plenius erudiendus postea commendatus, Romam demum perrexit: ubi annis septem studiosus indagator permanens, ad sacerdotii gradum ascendit. Refert hæc in illius vita Johannes Tinmuthensis, et ex eo Capravius: ubi

<sup>†</sup> Girald. topograph. Hibern. distinct. 1. cap. 5.

<sup>w</sup> Id. ibid. distinct. 3. cap. 2.

<sup>w</sup> Supra, pag. 473. 477.

<sup>x</sup> Adannan. vit. Columbæ, lib. 3. cap. 4. edit. H. Canis.

<sup>y</sup> An *Edrumensi*; ut apud Jocelin. in vit. Patric. cap. 37.

etiam tempore Tuathali regis et successoris ipsius Diarmitti floruisse illum significat. Unde liquet, inter primos secundi hujus ordinis sanctos esse numerandum: fallique omnino Balæum<sup>z</sup>, quum Finanum hunc cum Finano qui Aidano anno DCLI. defuncto in episcopatu Lindisfarnensi successit; ejusque magistrum Nennionem cum Nennio vel Ninio Britonum illo, toties a nobis citato, chronographo (quem anno non, ut ille voluit, DCXX. sed DCCCVIII. claruisse constat) temeritate quadam confundit atque permiscet.

Duos Finianos excipiunt duo Brendani (*Brænand* Hiberni vocant) Clunardensis Finiani discipuli<sup>a</sup>: alter, Nemi sive Nemandi clari poetæ filius, "illius monasterii fundator quo Scotice BIRRA nuncupatur," ut habet in vita Columbæ Adamnanus<sup>b</sup>, in ipso Hiberniæ meditullio<sup>c</sup> positi; quem anno DLXIV. quidam, anno DLXXII. alii mortem obiisse referunt; cujus ab eodem Adamnано<sup>d</sup> mentionem factam, ex antiquissimo illius codice intelleximus: alter<sup>e</sup> Findlogæ<sup>f</sup> (patris, sive proavi, a quo alii designare maluerunt Alti<sup>g</sup>) filius; de cujus septennali navigatione prodigiosæ feruntur fabulæ. "Sanctum senem Gildam<sup>h</sup> virum sapientissimum, in Britannia habitantem," hunc invisisse, ejusque civitate relicta, in alia Britanniae regione monasterium nomine Ailech et in alia, Heth dicta, ecclesiam condidisse, atque in Hibernia demum decimo septimo Calendas Junii, expletis ætatis suæ annis tribus supra nonaginta in sororis suæ Brigæ monasterio Enachduin dicto (qui locus in provincia est Connachtorum in plebe Huabruin; sedes, ni fallor, episcopalis, quæ hodie

<sup>z</sup> Jo. Balæ. centur. 1. cap. 74. et centur. 14. cap. 19.

<sup>a</sup> Supra, pag. 473.

<sup>b</sup> Adamnan. lib. 3. cap. 3.

<sup>c</sup> Supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 518.

<sup>d</sup> Lib. 3. cap. 14.

<sup>e</sup> De quo supra, pag. 429. 472. 474. 484. et cap. 14. pag. 50, 51.

<sup>f</sup> Ita apud Adamnan. de vit. Columb. lib. 3. cap. 21. in vet. MS. Mocu Alti appellatum invenio.

<sup>g</sup> Albi-logum annales Inisfallenscs appellant. Find enim vel Fio Hibernis Album denotat. Vid. supra, pag. 382, 383. 424. 522.

<sup>h</sup> Albanium utique, sapientis titulo nobilitatum: cum Badonicus ille alter, juxta nostras quidem rationes, senectutis annos vix attigerit. Vid. supra, pag. 470. et cap. 13. op. tom. 5. pag. 544.

Tuamensi archiepiscopatu unita cernitur) spiritum emis-  
sisse, et in civitate sua Cluain-fearta (quæ et ipsa sedes  
episcopalis est, Tuamensi antistiti subdita; Johanni Tin-  
nuthensi, eumque secuto Capgravio et Balæo<sup>i</sup>, Cluenar-  
cha perperam appellata) sepultum fuisse, ineditus vitæ  
ipsius scriptor indicat. In Tuamensi vero metropoli Jar-  
lathi filii Logæ, qui proxime in catalogo sequitur, adhuc  
celebris est memoria: cum quo, senectute jam confecto,  
Brendanum adhuc juvenem versatum idem memorat bio-  
graphus; de sede quoque pontificis ista subjiciens: "In  
ipso jam loco, in honore sanctissimi senis Jarlathi episcopi,  
clara civitas ædificata est, quæ dicitur Tuaym Daghlalan,  
in provincia Connachtorum."

De S. Comgallo Beanchorensi abbate, in præcedentibus<sup>l</sup>  
sæpius a nobis dictum est. Ab eo Cell-Comgaill<sup>m</sup> ad  
Dubliniensem spectans archiepiscopum, nomen olim ac-  
cepit, quam hodie Saynkill appellamus: "Septimo anno  
postquam monasterium Beanchor fundatum est, sanctus  
pater Comgallus in Britanniam navigavit, volens quosdam  
sanctos ibi visitare et ibi manere ad tempus; et constituit  
ibi monasterium in quadam villa in regione<sup>n</sup> Heth:" ait vitæ  
scriptor; de monachis ibidem a Pictonum quorundam pi-  
ratarum incursione ab ipso vindicatis narrationem postea  
adjiciens. Circa annum vero DLV. vel DLIX, Beanch-  
chorensis ecclesiæ foundationem, et DCI. Comgalli obitum  
contigisse, ex nostris edocemur annalibus. Qui hunc se-  
quitur Coemgenus, is est, qui vulgo a nostratibus, ut et a  
Giraldo Cambrensi<sup>o</sup>, S. Keivinus appellatur. Nomen il-  
lud Latine pulchrum genitum sonare, vitæ scriptor anno-  
tat: qui et magnum monasterium a Coemgeno fundatum

<sup>i</sup> Jo. Balæ. centur. 14. cap. 78.

<sup>k</sup> Ibi constructum est monasterium cui nomen Tuaym (al. Dagualand) vit.  
Brendan. Cluanserensis MS.

<sup>l</sup> Supra, pag. 430. 475. 481. 482. 483 .et cap. 6. et 13. op. tom. 5. pag. 160.  
505, 506.

<sup>m</sup> Bulla Alexandri III. ad Laurent. in nostra Hibernicarum epistolarum syl-  
loge, num. 48.

<sup>n</sup> In qua Brendanum etiam ecclesiam construxisse, jam dictum est.

<sup>o</sup> Girald. topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 28. Vide etiam vitam Laurcu-  
tii Dublin. archiepisc. apud Surium, Novemb. 14.



narrat in inferiori parte vallis, quæ “ quondam Scotice vocabatur Gleand-de, modo autem Gleand-da-loch, id est, Vallis duorum stagnorum.” Et “ in ipso loco,” inquit, “ clara et religiosa civitas in honore S. Coemgeni crevit, quæ nomine prædictæ vallis in qua ipsa est Gleandaloch vocatur: ipsaque civitas est in oriente Laginensium, in regione quæ dicitur Fortuatha.” Antiqua hæc episcopalis sedes Dublinensi metropoli posterioribus temporibus est annexa. Annis centum et viginti vitæ exactis, tertio Nonas Junii, circa annum DCXVIII. vel DCXXII. ad Christum Coemgenus migravisse dicitur. Huic proximus Ciaranus, junior ille est, filius<sup>p</sup> artificis: de quo in dicta Coemgeni vita legimus: “ S. Coemgenus ad visitandum S. Kiaranum abbatem, qui instituit suam civitatem in Cluain-mac-nois (quæ est in occidentali plaga regionis Midi, super ripam fluminis Synna, contra provinciam Conachtorum) perrexit: sed S. Kiaranus antequam S. Coemgenus ad se pervenisset tertio die de hoc seculo ad Christum migravit.” Et in actis ipsius Kerani sive Ciarani: “ accepta Finiani<sup>q</sup> licentia properavit ad S. Ninidium, in sylvâ stagni Erne commorantem abbatem monasterii. Post profectus ad S. Endeum<sup>r</sup> Arnensem abbatem, a quo acceptus benigne: inde ad S. Sonanum<sup>s</sup> ad insulam Cathai, ad flumen Synan; ubi magister hospitum factus, sed invidia monachorum quibus displicuit tanta Kerani liberalitas erga pauperes, secessit ad quandam aliam insulam nomine Anginam; in qua fundato cœnobio maximam collegit multitudinem monachorum optimorum, et redditus acquisivit amplissimos ad usus pauperum: cui post abbas ibidem successit S. Adompanus, Momoniensis genere. Tandem inde decessit ad construendum cœnobium Cluaynense seu Clayn-mac-noys in Midia.” Sedem autem illam Cluain-mac-nois et insulam Inis-Ain-gean dictam, una cum centum ecclesiis sive cellis in Midia et Breaghmuid, a Dermatio<sup>t</sup> Cervaili filio Hiberniæ rege

<sup>p</sup> Vid. supra, pag. 473. et 502. et Jocelin. in vit. Patricii, fin. cap. 113.

<sup>q</sup> Magistri sui; supra, pag. 473.

<sup>r</sup> De quo postea, pag. 533.

<sup>s</sup> Vid. supra, pag. 454.

<sup>t</sup> De quo supra, pag. 466. 468. 515. et cap. 15. pag. 236.

dono illum accepisse, liber Navanensis confirmat: ubi et eundem cum Christo Servatore annorum numerum, XXXIII. scilicet; vivendo exegisse traditur.

De S. Columba, tum in decimo quinto<sup>u</sup> tum in hoc ipso decimo septimo<sup>v</sup> capite, pluribus a nobis actum est. Cainici abbatis, qui et Cainichus et Canicus, ac nobis vulgo S. Kenny dicitur, aliquoties Adannanus<sup>w</sup> in vita ejusdem Columbæ meminit: ubi et monasterium ipsius Latine campulum bovis<sup>x</sup> appellatum asserit. Hibernice Achadh-bho civitas S. Cainici in vita ipsius nuncupatur, et ager boum exponitur: quæ et Ossoriensis antistitis sedes episcopalis aliquando fuisse dicitur. Ita enim in Ossoriensium episcoporum catalogo annotatum invenimus: "Anno Domini MCII. obiit reverendus pater Felix Odullane episcopus Ossoriensis; cujus ecclesia cathedralis tunc erat apud Aghboo in superiori Ossoria." Hodie Kilkennia sedes illa posita et defixa est: quod nomen cellam sive fanum Cainici denotat; male enim in utroque Miræi provinciali, tum vetere<sup>y</sup> tum novo<sup>z</sup>, Kilkenniensis et Ossoriensis ut diversi episcopatus proponuntur. Anno DXXVII. S. Cainicum in lucem editum, DXCIX. diem suum obiisse; ex nostris dicimus annalibus. Qua ratione septuaginta duos tantum annos vixisset ille, quum "octogesimo quarto ætatis suæ anno felicem animam tradidisset Deo," in incerto quodam vitæ ipsius scriptore invenerim. "In insula de Roscre cum esset homo Dei quatuor evangeliorum volumen scripsit: quod usque hodie in loco ejus manet: et hoc volumen vocatur Glass-Kynniss ab antiquis;" alius refert biographus. In tertio ejusdem vitæ scriptore, cum Cainico et Comgallo ætate conjunctus Eugenius episcopus de Ardratha fuisse legitur: ille ipse videlicet Eugenius, qui episcopatum Ardsrathanum, cujus<sup>a</sup>

<sup>u</sup> Supra, pag. 229, 230, &c.

<sup>v</sup> Supra, pag. 466—469. 474. 483.

<sup>w</sup> Adannan. lib. 1. cap. 4. ubi, pro *Channecho*, ex MSS. *Cainichus* est rependendus et lib. 3. cap. 21. ubi in vetere MS. a Dalano proavo suo, Mocu Dalan appellatur.

<sup>x</sup> Id. lib. 2. cap. 12.

<sup>y</sup> Notit. episcopatum ab Aub. Miræo edit. Antverp. ann. 1613. lib. 1. pag. 80.

<sup>z</sup> Ibid. lib. 4. pag. 220.

<sup>a</sup> Supra, pag. 417.

sedes ad urbem S. Columbæ Derensem<sup>b</sup> postmodum est translata, condidisse dicitur. Videndum igitur, num hic Eogenius Mac-laisreus fuerit, qui proxime in catalogo sequitur: an Eoganus ille, cujus hæc in vita Coemgeni facta habetur mentio: "Parentes S. Coemgeni tradiderunt eum sanctis senioribus Eogano, Lochano et Æneæ (sive Ennæ;) ut in cella eorum Christo nutrireretur: et apud illos sanctos beatus Coemgenus sedulo legebat."

De Lugeo et Ludeo quærendum, an non alter Lugidus ille fuerit, de quo diximus<sup>c</sup>, abbas Clonfearten-sis, S. Comgalli discipulus, vel etiam Lugidus episcopus, a quo ipsum Comgallum Clonnacnoisæ sacros ordines accepisse scriptor vitæ Comgalli indicat; alter autem vel S. Lugudius<sup>d</sup> Tailchani filius, quem in "monasterio quod Scotica nominatur lingua Cloni-finchoil senem Christi militem claruisse, vel Lugaidus cujus cognomentum Scotice Laithir" dicebatur, quem S. Columbæ legatum Adamnanus<sup>e</sup> fuisse memorat. Hunc Dempsterus<sup>f</sup> S. Lugadium nominat; et monasterii in insula Raclina a se conditi abbatem fuisse asserit. Ea insula Plinio Ricnea dicta est, Ricina Ptolemæo, Rechrea Adamnано<sup>g</sup>, Raclinda Buchanan, Raehra Johanni Leslæo, Rachryne Johanni Fordono in Scotichronico. Quo etiam referendum quod in vita Comgalli legimus: "Cum S. Comgallus cellulam voluisset ædificare in insula nomine Reachbraind; venerunt triginta milites, et tenentes manum ejus eum inde expulerunt." Et in annalibus Ultoniensibus, ad annum DCXXXIV. vel DCXXXV. "ecclesia Rechran fundata est." In quibus etiam ad annum DCCXCIV. (qui nobis DCCXCV. est) combustio et vastatio Rechrain per Gentes refertur: Danis Gentium nomine hic intellectis, qui circa hæc tempora, ut a Caradoco Lancarvanensi in chronico suo Cambrico est notatum, "maximam Hiberniæ partem

<sup>b</sup> Derrie Columkille; quam anno DXLVI. fundatam fuisse Ultonienses docent annales.

<sup>c</sup> Supra, pag. 484. 501. 511.

<sup>d</sup> Adamnan. vit. Columbæ, lib. 3. cap. 31. ex vet. MS.

<sup>e</sup> Ibid. lib. 2. cap. 25. Vid. etiam lib. 1. cap. 13. et lib. 2. cap. 5.

<sup>f</sup> Dempst. hist. eccles. Scot. lib. 11. num. 798.

<sup>g</sup> Adamn. lib. 2. cap. 27.

populati, Rechreyn quoque vastaverunt. Hibernici enim nostri antiquarii insulam hanc Ro-chrinne nominant; et ab arborum<sup>h</sup>, quibus olim abundasse putabatur, multitudine ita dictam interpretantur.

Medocii sancti Hibernici vita extat: et Idibus Februarii in Hibernia sancti Modonoc confessoris memoriam celebrari, in Killenensi martyrologio invenio. Sed an horum alteruter, aut etiam neuter, Moditeus ille fuerit in nostro catalogo nominatus, ignorare me fateor. Cormacum inter monasteriorum sanctos fundatores numerat Adamnanus<sup>l</sup>: et eremum ter ab eo frustra quæsitam in oceano commemorat: “De Cormaco,” inquit<sup>k</sup>, (nepote Lethani, MS.) “viro utique sancto, qui tribus non minus vicibus eremum in oceano laboriose quæsivit, nec tamen invenit, S. Columba ita prophetizans ait: Hodie iterum Cormacus desertum cupiens reperire, enavigare incipit ab illa regione, quæ ultra Modam fluvium sita est, et Cirros<sup>l</sup> dicitur: nec tamen etiam hac vice, quod quærit, inveniet.” Et alibi<sup>m</sup>, de secunda illa navigatione verba faciens: “Iisdem diebus S. Columba cum uitra Dorsum<sup>n</sup> moraretur Britannicæ, Brudeo regi, præsentè Orcadam regulo commendavit, dicens; aliqui ex nostris nuper emigraverunt, desertum in Pelago intransmeabili inveire optantes: qui si forte post longos circuitus Orcadas devenerint insulas, huic regulo cujus obsides in manu tua sunt diligenter commenda; ne aliquid adversi intra terminos ejus contra eos fiat. Hoc vero sanctus ita dicebat: quia in spiritu præcognovit, quod post aliquot menses idem Cormacus esset ad Orcadas venturus. Quod ita postea evenit: et propter supradictam sancti viri commendationem de morte in Orcadibus liberatus est vicina.”

De tertia quoque illius navigatione ista adjicit: “Dum<sup>o</sup> idem Cormacus tertia in oceano mari fatigaretur vice, us-

<sup>h</sup> Chrann.

<sup>l</sup> Adamn. lib. 3. cap. 21.

<sup>k</sup> Adamn. lib. 1. cap. 6.

<sup>l</sup> An Carrick juxta Slanum fluvium, qui Ptolemæo Modona dicitur, in comitatu Wexfordiensi?

<sup>m</sup> Adamn. lib. 2. cap. 23.

<sup>n</sup> Drum-Albin. Vid. supra, cap. 16. pag. 230.

<sup>o</sup> Adamn. lib. 2. cap. 29.

que ad mortem periclitari cœpit. Nam cum ejus navis a terris per quatuordecim æstivi temporis dies totidemque noctes plenis velis, austro flante vento, ad septentrionalem plagam cœli directo excurreret cursu; ejusmodi navigatio ultra humani excursus modum et irremeabilis videbatur. Unde contigit, ut post decimam ejusdem quarti et decimi horam diei quidam pene insustentabiles undique et valde formidabiles consurgerent terrores. Quædam quippe usque in id temporis invisæ mare obtegentes occurrerant tetræ et infestæ nimis bestiolæ, quæ horribili impetu carinam et latera puppimque et proram ita fortiter feriebant percussura, ut pellicium tectum navis putarentur penetrare posse; quæ (ut hi, qui inerant ibidem, postea narrarunt) prope magnitudine ranarum, aculeis permolestæ, non tamen volatiles sed natatiles erant: sed et remorum infestabant palmulas. Quibus visis, inter cætera monstra quæ non hujus est temporis enarrare, Cormacus cum nautis comitibus valde turbati et pertimescentes, Deum, qui est in angustiis pius et opportunus auxiliator, illachrymati precantur," &c.

Colmani hoc tempore fuere plures: quorum unus episcopus<sup>p</sup> Darane filius, habitabat "in<sup>q</sup> suo monasterio quod Scotice dicitur Dair-mor, id est, Nemus magnum, et est positum in confinio Mumeniensium et Laginensium; sed positum tamen est in regione Mumeniensium, scilicet in regione Eile." Alius Colmanus Dromorensis episcopus (Colmanelus, ut videtur, Jocelino<sup>r</sup> dietus) qui, ut in vita ipsius habetur, Aradæorum<sup>s</sup> gente oriundus, S. Caylano<sup>t</sup> Nendrumensi abbati (quem actorum ipsius descriptor Kelanum et Coelanum nominat; atque ex abbate Dunensem postea in Ultonia factum fuisse episcopum significat) ut apud eum literas addisceret, traditus est. Deinde missus ad "S. Albeum" Imblicensem episcopum, sapientem, ac religiosissimum virum," sacras literas ab eo didicit: posteaque "senis venerabilis Macnysei episcopi" (Connerensis) monitu, in aquilonari ripa fluminis Loeha

<sup>p</sup> Vita S. Rudani.

<sup>r</sup> Jocelin. vit. Patric. cap. 96.

<sup>t</sup> De quo supra, pag. 522.

<sup>q</sup> Vita S. Mocoemogi.

<sup>s</sup> Ardes.

<sup>u</sup> Vide supra, pag. 428.

nobile construxit monasterium. Fuit et Colmanus Dubculinn sive Duib-chuilind dictus; et ejus æqualis Colmanus Elo vel Eala, in antiquis Adamnani<sup>v</sup> codicibus Colmanus et Columbanus filius Beognai gente Mocu-sailni, vulgo Colman-alli nuncupatus: ex cujus vita hæc, si placet, accipe: “ Venit ipse ad civitatem Connere in provincia Ulthorum, in qua jacet beatissimus episcopus Macnisi; et habitavit sanctus Colmanus in illa civitate multis diebus, et plurimas virtutes ibi fecit: et ipse est secundus patronus ejusdem civitatis. Et benedicens populo illius civitatis, venit inde ad patriam suam, id est, ad regionem Midi; et invenit ibi congregationem, in qua Ædus filius Ainmirech et Ædus Flan<sup>w</sup> dux nepotum Neill et sanctus Columba-chille et sanctus Kanicus abbas et alii plures erant: et ipsi cum gaudio honorem sancto Colmano dederunt. Et ait S. Columba illis: Date agrum bonum sancto Colmano fratri nostro, ut monasterium suis monachis in eo constituat. Illi dixerunt: Ubiunque voluerit in finibus Neill eligat. Tunc Ædus Flan<sup>x</sup> dux Midi ait: Est in australi nostræ regionis plaga in plebe Fergall saltus magnus, si ei placeret. Sanctus Colmanus dixit: Quomodo vocatur ille saltus? Dux respondit: Fidh-elo<sup>y</sup> vocatur. Beatus Colmanus dixit: Illic resurrectio mea erit, et amodo ab illo loco nominabor. Ab illo jam die additur nomini ejus semper Elo; et vocatur ab omnibus Colmanus Elo. Postea S. Colmanus Elo dans benedictionem illis, et accipiens libertatem illius loci ab ipsis potentibus coram multis testibus, perrexit ad illum saltum; et instituit ibi magnum et clarum monasterium, in loco irriguo aquis et specioso agris, in medio sylvæ: et vocatur illud monasterium Land-elo<sup>z</sup>; in quo jacet beatissimus Colmanus, sicut ipse prædixit.” Hodie Lin-alli<sup>a</sup> locus ille vocatur in comitatu regio, quatuor milliarium spatio a Dearmachano Columbæ cœnobio dissitus: ubi “ inter chorum sancto-

<sup>v</sup> Adamnan. vit. Columb. lib. 1. cap. 5. et lib. 2. cap. 13.

<sup>w</sup> Al. *Slani*.

<sup>x</sup> Al. *Slani*.

<sup>y</sup> Al. *Fiechelo*.

<sup>z</sup> Al. *Lan-cla*.

<sup>a</sup> Vide supra, pag. 475.

rum virorum (ut in fine vitæ illius additur) sanctissimus senex Colmanus sexto Calendas Octobris feliciter ad Christum emisit spiritum ;” anno salutis, ut ex Cuanacho chronographo Hibernico Ultonienses annales referunt, DCX.

Nessani, ex Cummiani ad Segenium epistola, in superioribus<sup>b</sup> facta est mentio. Insulæ quoque filiorum quondam Nessani, in bulla<sup>c</sup> Laurentio Dubliniensi archiepiscopo concessa, Alexander III. meminit : quam “ oculum Hiberniæ dici, vulgariter Irlands-eyam, ubi sanctus ille insistebat crebris orationibus, jejuniis et vigiliis,” Johannes Alanus Dubliniensis præsul annotat. Qui et hujus librum quatuor evangeliorum fuisse significat, ab incolis Ker-lowre inde dictum ; quem hodie The garland of Houth corrupte vocitant : licet argenteæ lingulæ illi annexæ S. Talmani nomen insculptum ego observaverim. Addit vero Alanus, librum illum “ haberi hodie inibi in magno pretio, ac veneratione non modica ; ita ut vix justus audeat jurare super ipsum, propter Dei vindictam ostensam hominibus perjuris in illum.” Hæc ille ex vita Nessani : in qua parva illa insula Oclus (Jege Oculus) vocatur, ad orientalem plagam ad sex miliaria de Dublin. Mitto quod in vita S. Albei Imelacensis scriptum habetur ; ipsum atque “ egregium et sanctissimum diaconum Nessanum simul locutos fuisse de mysteriis Dei et quæstionibus quas Nessanus quærebat sibi solvi.” Ad Laisreanum pergo, Hibernice Moilasse dictum, non illum Kiarelli<sup>d</sup>, sed alterum Nadfraichi<sup>e</sup> filium ; quem antiquissimus hymnus juxta alphabeti ordinem in laudem ipsius compositus, Macculasrium nominat :

Lucerna erat in tota  
Macculasrius Hibernia,  
Nadfraich et sanctus filius.

De eo in vita S. Ædani ita legimus : “ Beatissimus Laisreanus (Johanni Timmuthensi et Capgravio, in ejusdem

<sup>b</sup> Supra, pag. 502.

<sup>c</sup> Epist. Hibernicar. sylloge, num. 48. op. tom. 4. pag. 552.

<sup>d</sup> Supra, pag. 503.

<sup>e</sup> Supra, pag. 505, 506.

Ædani sive Aidani vita, Molassus dictus) ad aquilonalem partem Hiberniæ exivit, et construxit clarissimum monasterium in stagno Herne, nomine Daimh-inis<sup>f</sup>, quod sonat Latine, Bovis insula." Et in vita S. Ædi: "Regebat plures monachos in insula posita in stagno Erne; quam Scoti nominant Daimh-inis, id est, Bovium insulam." In ipsius vero Laisreani vita præterea legimus, regulum Ultoniensem Conallum Rubeum<sup>g</sup> cæcitate percussum, ad fidem Christi illum convertisse: eundemque sancto Columkilli, post prælium Culedreibnense<sup>h</sup>, in finibus Ultoniæ et Conaciæ gestum, ut perpetuum extra Hiberniam ageret exilium, authorem extitisse. In annalibus Ultoniensibus, ad annum DLXIII. (qui nobis DLXIV. est) mors Laisre de Daiminis, atque iterum ad annum DLXX. quies Molaisse Daim-inis, consignata reperitur.

Barrindeum scriptor vitæ S. Carthagi abbatem fuisse docet monasterii "Druimcuillin, quod est in confinio Muniensium et Laginensium et nepotum Neill, sed tamen est in terra nepotum Neill, in terra quæ dicitur Fearceall," in qua est etiam civitas Raythen<sup>i</sup>. Coemanus qui et Commanus, ut in vita ipsius legitur, in Ultonia ex stirpe regali, Fealcon patre et matre Scribside natus, a parentibus curæ et disciplinæ S. Finiani abbatis et episcopi Cluayn-yruid traditus est; qui et magistrum egerat plurimorum ex omnibus Hiberniæ partibus ad se venientium, ad discendas sacras literas et pietatem adversus Deum exactam. A Finiano vero missus Commanus evangelizatum in Conaciam, Christo plurimos aggregavit; et regis provinciæ conciliata sibi gratia, accepit ab eodem vice doni oblatis Deo amœnam illam, fertilem, aquis præstantissimis nobilem ac nominatam vallem Ross dictam. Ubi et famosum longo tempore construxit cœnobium, monachis insignibus refertum; quod cum valle ipsa ab inde composito vocabulo appellatur Ross-comman: quæ est a multis retro seculis sedes episcopalis, licet ad urbem Elphinensem hodie sedem illam translata videamus. Coemanus fuit

<sup>f</sup> Vide supra, pag. 417.

<sup>h</sup> Supra, pag. 468.

<sup>g</sup> Al. *Colman Derig*.

<sup>i</sup> Supra, pag. 474.



“ pater<sup>k</sup> sanctus monasterii Eaderuin, sive Enachtruim<sup>l</sup>, quod est in monte Bladina, in regione Laginensium:” discipulus<sup>k</sup> S. Columbi<sup>m</sup> filii Criaimthain<sup>n</sup>, qui “ ortus de provincia Laginensium, jacet in sua civitate quæ dicitur Tir-daglas in terra Mumoniæ juxta fluvium Sinna”; condiscipulus B. Mocumini, qui est cum S. Columbo magistro suo in civitate Tir-daglas, et B. Fintani abbatis monasterii Cluain-ædnach<sup>o</sup> (quod vertitur Latine, Latibulum hederosum) atque B. Colmani Elo<sup>p</sup> magister. Bathenum qui<sup>q</sup>, S. Columbæ in Hyensium regimine succedens, anno DXCVIII. mortem obiit, Cominum<sup>r</sup>, etiam dictum fuisse, in capite decimo quinto significavimus; et Comainum Brecc, anno DXXIX. natum, anno DCXV. quiescisse, ex Ultoniensibus annalibus didicimus: qui an aliquid commune cum Cemano et Conano habuerint, viderint alii.

Endeus deinde sequitur, sive Enna<sup>s</sup> ille fuerit, Aranicae abbas insulæ (Endeum enim Hiberni nostri Enna *ayne* vocant:) cujus et vita seorsim descripta extat, (in qua, filius Conalli Deyre ducis Ergallensium, et Brig filia Anmerini ducis Ardconnacthiæ fuisse traditur; et ante sedem in Aranica insula positam monachis centum et quinquaginta in Latiensi cœnobio apud Italos præfuisse dicitur:) et in Brendani filii Findlogæ legenda hujusmodi sit commemoratio: Brendanus, “ transactis quadraginta diebus, commendatisque omnibus præposito monasterii, qui fuit postea successor in eodem loco; profectus est contra occidentalem plagam, cum quatuordecim fratribus, ad insulam cujusdam sancti patris nomine Endei; ibique demoratus est, tribus diebus et tribus noctibus. Post hæc, accepta benedictione sancti patris monachorumque omnium qui cum eo erant, profectus est in ultimam partem regionis suæ ubi demorabantur parentes ejus.” Neque alius est Ædeus, quam Ædus filius Bricci: qui, ut in vita ejus ha-

<sup>k</sup> Vit. S. Fintani.

<sup>m</sup> De quo supra, pag. 473.

<sup>o</sup> *Clon-enach*, in *Læsia*. Vid. supra, cap. 13. op. tom. 5. pag. 506.

<sup>p</sup> Vit. Colmani Elo.

<sup>r</sup> Supra, cap. 15. pag. 237.

<sup>l</sup> Vit. S. Mocoemog.

<sup>n</sup> Al. *Cruinthain*.

<sup>q</sup> Supra, cap. 15. pag. 215.

<sup>s</sup> Vide supra, pag. 428.

betur, adolescens cum S. Ilundo<sup>t</sup> episcopo in monasterio suo mansit, “ literas et scripturas assidue apud eum discens,” ipseque postea apud Momonienses in regione Muscray-tire monasterium fundavit Enach-midbrenin vocatum; deinde in Midia patria sua episcopus ordinatus, quarto Idus Novembris ad Christum demum migravit, Columba Chille in Hia insula adhuc superstite. Qui superest Byrchinus, sanctus fortasse Berchanus ille fuerit, quem sensu oculorum privatum, sed spiritu prophético præditum fuisse, in ipsius æqualis Coemgeni actis legimus. Atque hæc sunt, quæ de secundi ordinis sanctis speciatim dicenda habuimus.

Petranum<sup>u</sup> episcopum Luscanum, qui primus in tertio occurrit ordine, anno Christi DCXVI. ab hac vita migravisse, ex Ultoniensibus liquet annalibus: in quibus etiam ad annum DCLVI. (qui nobis DCLVII. est) et ad annum DCLXII. secundum alium librum, obitus Ultani-mac-u Concobhair, e Conchuburnensium scilicet stirpe geniti, annotatus cernitur. Ex eadem enim Conchuburnensium sive Connoreorum familia et Brochsecham filiam Dallbro-naigi, matrem S. Brigidæ, et Ultanum Ardbrecanensem prodiisse, docet scholiastes Hibernici hymni in laudem Brigidæ compositi; quem alii a Columba-cille tempore Ædæ regis filii Ainmirechi, alii ab Ultano Ardbrecanensi tempore duorum filiorum Ædæ Slanc conscriptum arbitrantur. Unde colligimus eundem hunc episcopum Ultanum<sup>v</sup> ratione quidem originis Conchuburnensem fuisse dictum, Ardbrecanensem vero respectu ad sedem habito, quod hodiernum Midensis præsulis est domicilium. Inter actorum S. Brigidæ scriptores recensetur is ab anonymo, qui carmine res ejusdem virginis descripsit. Sic enim ille, in poematis illius prologo:

Scripserunt multi virtutes Virginis almæ ;  
 Ultanus doctor, atque Eleranus<sup>w</sup> ovans.  
 Descripsit multos Animosus nomine libros  
 De vita et studiis Virginis ac meritis.

<sup>t</sup> *Illandum* alii vocant.

<sup>v</sup> Vide supra, pag. 375.

<sup>u</sup> Vide supra, cap. 14. pag. 45, 46.

<sup>w</sup> De quo, paulo post.

Qui postremus, an Cogitosus ille fuerit qui uno, an quem anonymum habemus alter, qui duobus libris res Brigidæ descripsit, an alius quispiam, in disquisitionem jam non voco: Colmanus Lenini filius et Colmanus Chain, (aliis Mocholmog filius Gillem et Mocholmog Cainnich dicti) discipuli S. Barri episcopi Corcagiensis, hisce celebres habebantur temporibus: prior præsertim; de quo, in S. Brendani filii Findlogæ vita, legimus: “Erat hic Colmanus filius Lenini vita atque doctrina inter sanctos præcipuus. Ipse enim fundavit ecclesiam Clonensem, quæ est hodie cathedralis, et famosa in partibus Momoñiæ.” Quam quidem episcopalem sedem, a Corcagiensi, cui unita fuerat, hoc ipso quo ista scripsimus anno primum disjunctam vidimus.

Præter hos vero, et tertius Colmanus hic occurrit, Bedæ scriptis nobilitatus: qui post<sup>x</sup> conflictum cum Wilfrido in conventu Pharensi anno DCLXIV. relicto Lindisfarnensi episcopatu, cui per triennium præfuerat, in patriam reversus, “tulit<sup>y</sup> secum omnes quos in Lindisfarnensi insula congregaverat Scotos; sed et de gente Anglorum viros circiter triginta: qui utrique monachicæ conversationis erant studiis imbuti.” Atque his primum quidem in Inis-bofinde<sup>z</sup>, id est, insula vitulæ albæ, in occidentali sita oceano, commune construxit monasterium; deinde Scotis ibi relictis, in illo Hiberniæ loco, qui lingua Scotorum Mageo nominatur, aliud Anglis posuit cœnobium: “Quod videlicet monasterium,” inquit Beda, “usque hodie ab Anglis tenetur incolis: ipsum namque est quod nunc grande de modico effectum Invigeo<sup>a</sup> consueve vocatur.” Est autem Mageo (ita enim provinciale Romanum appellat, quam nos Maio vulgo dicimus) sedes episcopalis in proximo continente collocata, et Tuamensi archiepiscopatu hodie annexa; quum anno MDLIX. Eugenius Mac Brenoan postremus Magonensis dictus fuerit episcopus. Quo in loco, uti Bedæ ætate grande Anglorum fuisse monasterium au-

<sup>x</sup> Bed. hist. lib. 3. cap. 26. Vide supra, pag. 497, 498. 507.

<sup>y</sup> Bed. lib. 4. hist. cap. 4.

<sup>z</sup> Vide supra, pag. 383.

<sup>a</sup> In *Mageo*. Steph. Vitus corrigit.

divimus: ita etiam S. Cormaci et Adamnani tempore centum Saxonorum sanctorum fuisse habitaculum, libri Ballimotensis collector confirmat. In annalibus Ultoniensibus, ad annum DCLIII. (sive æræ nostræ vulgaris DCLIV.) refertur mors alterius Colmani episcopi, filii Cuidel dubh; ad annum DCLIX. obitus Colmani Glindelochensis; ad annum DCLXVII. “navigatio Columbani episcopi cum reliquiis sanctorum ad insulam Vaccæ albæ, in qua fundavit ecclesiam;” et ad annum DCLXXV. ejusdem “Columbani episcopi insulæ Vaccæ albæ” pausa, sive vitæ terminus. Ubi Columbani<sup>b</sup> nomine Colmanum Lindisfarrensem episcopum designari non est dubium: quem et “domum abeuntem assumpsisse secum partem ossium reverentissimi patris Aidani,” Beda<sup>c</sup> quoque commemorat.

Qui hic Murgeus episcopus, in Hibernicorum sanctorum genealogiis Muirgen-i-Liban vocatur: et qui hic Ædanus episcopus, ab Hibernis Moedhog et Mædoc, a Giraldus Cambrensi<sup>d</sup> Maidocus dicitur. In Johannis Timuthensis sanctilogio, indeque in legenda Johannis Capgravii, acta illius habentur ita terminata: “Sanctus iste in vita sancti David Aidanus vocatur, in vita vero sua Aidus dicitur: et apud Meneviam in ecclesia sancti David appellatur Moedok, quod est Hibernicum; et ibidem in magna veneratione festum ejus recolitur.” Fuerat enim is, ut diximus<sup>e</sup>, Davidis Menevensis discipulus: in cujus vita Giraldus ita de illo meminit: “Sanctus Aidanus, qui et Hibernice Maidocus dicitur, virtutibus insignis et divinis affatim eruditus disciplinis, licentia primum a patre (Davide) deinde fratribus accepta, cum omnium benedictione Hiberniam petiit. Ubi cum aliquandiu signis et virtutibus claruisset, demum apud Fernas nobile monasterium construxit: in quo, ad formam et regulam quam apud Meneviam a pio patre didicerat, collectis in unum fra-

<sup>b</sup> Similiter et apud Adamnanum, supra, pag. 530. Colmanus idem et Columbanus.

<sup>c</sup> Bed. lib. 3. cap. 26.

<sup>d</sup> Girald. topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 47.

<sup>e</sup> Supra, pag. 521.

tribus, Domino deservire devovit." Et vitæ S. Lugidi sive Moluæ scriptor anonymus: " Beatissimus archiepiscopus Laginensium Moedhog, qui et Ædanus dicitur, voluit ire trans mare in Britanniam ad S. David magistrum suum episcopum; ut interrogaret eum, quem in Hibernia haberet patrem confessionis suæ." Brandubhus<sup>f</sup> enim Laginiensium rex, post cæsum a se anno DXCVIII. in Duinbolgano prælio Ædum I. Ainmirei filium regem Hiberniæ, non solum sedem Fernensem S. Ædano contulisse, sed etiam eandem totius Lageniæ metropolim constituisse dicitur. Quæ ut illo tempore ab urbe Slebhthiensi ad Fernensem, ita postea a Fernensi ad Kildariensem indeque ad Dubliniensem demum civitatem translata fuisse videatur. Unde CLVI. fere ante conditum Dubliniensem archiepiscopatum annis, epistolæ<sup>g</sup> ad Anselmum a Waterfordiensibus transmissæ, una cum Samuele Dubliniensium episcopo, Ferdornachus LAGINIENSIVM episcopus subscripsisse reperitur: quem Kildariensem fuisse antistitem annales nostri testantur; in quibus ad annum MCI. annotatum legitur: " Ferdornach episcopus Cilledara in pace quievit." In Ainmirei vero principatum S. Ædani pueritia incidit; in nepotis ipsius Donaldi II. Ædi I. filii, summa ejus senectus: sub quo, anno Domini DCXXXII. illum decessisse, ex Buellianis annalibus observavimus.

A Lomano appellationem accepit Port-Loman, Nugentiorum in occidentali Midia oppidum; in quo sancti illius adhuc colitur memoria. Fuerunt autem illius nominis, præter Lomanum<sup>h</sup> sive Lumanum primum Trimmensis ecclesiæ in orientali Midia episcopus, magni nostri Patricii nepotem, duo apud nos maxime celebres: quorum alter Loman Lachagili, alter Loman Lachavair dictus est. Postremus tertii hujus ordinis episcopus Senachus, sedi Armachanæ ab anno DXCVIII. ad DCX. præfuit. Primus presbyterorum ejusdem ordinis Fechinus, Armachani archiepiscopi in agro Louthiano manerio (ut vocant) non ignobili Tearmuin fechin, id est, Asyli Fechiniani, nomen dedit.

<sup>f</sup> Vide supra, pag. 425.

<sup>g</sup> Epist. Hibernicar. Sylloge, num. 34. op. tom. 4. pag. 518.

<sup>h</sup> Vide supra, pag. 382. 408. 413. 414.

Eum vulgo *բեչին բաբյր* Fechinum Foveræ vel Fouriæ appellant: ab habitationis loco<sup>h</sup>, quem Latine Favoriam, Hibernice *Đalle-leababyr*, quasi Kiriath-sepher<sup>i</sup> aut Urbem librorum dixeris, appellatum invenio. Abbas vero Fechinus, ut in vita ejus habetur, ex nobilibus ortus parentibus, “Kelcharnano et Lasrea, atque a S. Nathineo presbytero in sacris literis ac bonis moribus eruditus,” in suo postea “monasterio trecentos circiter monachos, secundum regulam a sanctis patribus institutam, in scientia et bonis moribus regebat.” Unde in hymno de eodem cani solitum:

Dehinc fuit monachorum  
Dux et pater trecentorum:  
Quos instruxit lege morum,  
Murus contra vitia.

Insulæ præterea cujusdam incolas ethnicos, cum rege suo Guari, ad fidem Christi convertisse dicitur, patris quibusdam miraculis: ad quorum fidem firmandam, æqualis ipsius Ailerani sapientis testimonium recentior biographus ita advocat; “Hæc miracula, ne cuiquam in dubitationis scrupulum veniant, sapienti viro Ailerano referente, et aliis multis fidelibus idem contestantibus, comprobata sunt.”

In Ultoniensibus annalibus, ad annum DCLXIV. (nostræ æræ DCLXV.) quo maxima illa pestilentia<sup>k</sup> et vastitas Hiberniam pervasit, Dormitatio Feichini Favair et Ailerani sapientis consignata legitur. Illius nimirum Ailerani sive Helerani sapientis, cujus superius<sup>l</sup> facta est mentio: et cujus ingenii unicum, atque illud perexiguum, monumentum adhuc habemus reliquum: Sedulii junioris collectaneo in Matthæum insertum, atque ita prænotatum: “Incipit typicus ac tropologicus genealogiæ Christi intellectus: quem sanctus Aileranus Scottorum sapientissimus exposuit.” An vero Airendanus ille, qui proxime in catalogo sequitur, Aileranus hic est? an sanctus Airedus

<sup>h</sup> Vid. supra, pag. 511.

<sup>i</sup> Josu. cap. 15. ver. 15. Judic. cap. 1. ver. 11.

<sup>k</sup> “Fechine Fobhair quievit in Christo: et cæteri multi in ea nocte dormierunt de mortalitate.” Annales Inisfallens.

<sup>l</sup> Supra, pag. 375.

potius? quem S. Aidani, de quo diximus, Fernensis antistitis æqualem fuisse, docet in hujus vita Johannes Tinmuthensis; et in loco qui dicitur Aird-sinnaidh habitavisse, ex alio ejusdem Aidani sive Ædani actorum descriptore, cum eo comparato, intelligimus.

Failanus sanctus ille videtur fuisse Foilanus, Hibernici reguli filius, a S. Coemgeno sive Keyvino (ut in illius vita legitur) baptizatus et educatus. Idem vero cum S. Foillano Fossensi fuisse existimari potuisset, quem anno DCLIV. martyrizatum Sigebertini chronici interpolator retulit: si non ille episcopus fuisse diceretur, et Failanus inter presbyteros in nostro catalogo recenseretur. Erat autem Foilanus Philtani (ut cum interpolator<sup>m</sup> ille appellat) reguli Hibernici filius, Fursei et Ultani frater: cui Furseum monasterii<sup>n</sup> a se “constructi in castro quodam quod lingua Anglorum Cnobheresburg, id est, urbs Cnobheri vocatur” (Suffolciensium Burg-castell illud est) curam commisisse legimus, de quo Beda: “Reliquit monasterii et animarum curam fratri suo Fullano, et presbyteris Gobbano et Dicullo:” et scriptor vitæ Fursei, Beda antiquior: “Germano proprio Folnano (sive Fullano, ut idem postea nominat) sancto admodum viro, cum sanctis Gobbona et Tibulla presbyteris, monasterii et animarum dereliquit curam.” Postea vero “Foillanus<sup>o</sup> Romam ivit, petiturus a Martino pontifice episcopalem benedictionem ad infidelium conversionem:” qua accepta, “temporibus<sup>p</sup> regis Francorum Sigiberti, cum Grimoaldus esset major domus regis et Erkenaldus quasi patricius, post excessum fratris sui Fursei” in Galliam perrexit; ubi B. Gertrudis nobilissimæ virginis sancto usus contubernio, ejus dono, ut habet Sigebertus<sup>q</sup>, “Fossense monasterium fundavit, ubi

<sup>m</sup> Sigebert. chronic. ann. 593. Vid. Andr. Saussaii martyrolog. Gallican. Januar. 16. pag. 43. Hertmann. Schedel. in chronic. fol. 124. et Johan. Tinmuthens. vel Capgravium, in vita S. Foillani.

<sup>n</sup> Bed. hist. lib. 3. cap. 19.

<sup>o</sup> Jo. Molan. natal. sanctor. Belgii, Octob. 31. et Andr. Saussaii martyrolog. Gallican. Octob. 30. pag. 794.

<sup>p</sup> Jo. Tinmuthensis et Capgrav. in vita Foillani.

<sup>q</sup> Sigebert. chronic. ann. 648.

etiam martyrio coronatus quiescit." Martyrio<sup>r</sup> autem occubuit cum tribus discipulis in sylva Carbonaria, loco Ampolinis: ubi constructa est abbatia S. Foillani ordinis Præmonstratensis; quæ adjacet muris Rhodiensis oppidi, in parœcia (ut in epistola CCLII. Bernardus loquitur) episcopi Cameracensis. Cæterum sanctus martyr quietem accepit in monasterio Scôttorum, quod Fossæ vocatur: ut verbis Eginhardi (in historia miraculorum Marcellini et Petri martyrum) Johannes Molanus retulit: quibus et illa Johannis Tinmuthensis, in vita S. Foillani nos adjungimus: "Sepultum est corpus ejus cum maximo honore in monasterio quod frater ejus ædificavit super fluvium qui Bervenna dicitur, et in exitu loci Fossas nuncupatur."

Commani honorabilis presbyteri, ut coævi, Adamnanus<sup>s</sup> meminit: qui fortasse Comanus ille Fernanus fuerit, quem anno DCLXXVIII. obiisse Ultonienses annales indicant. Commianus non alius esse videtur quam Cummius, cujus<sup>t</sup> de paschali controversia ad Segenium Hyensem abbatem a nobis edita est epistola. Anno DCLXIV. (qui nobis est DCLXV.) gravissimâ illa peste per totam sævientem Hiberniam, duos abbates Clonenses (Cluana-mac-nois vocant) sublato fuisse, dicti annales confirmant; Colmanum Cass, et Cummenium: quorum forte alter Cummius, alter qui hunc in catalogo nostro proxime excipit Colmanus fuisse putari posset: quanquam de Colmano vix est ut quicquam certi statui possit: quum et B. Colmanus filius Fiachra S. Ædani Fernensis antistitis æqualis, et Colmanus Stellain abbas Tiri-daglas, qui anno DCXXXIV. mortem obiit, et alii ejusdem nominis supra CCXXX. in Hibernicorum nostrorum sanctorum matriculis descripti reperiantur.

Qui reliqui sunt, Ernanus et Cronanus presbyteri, Cronanus Ernianusque<sup>u</sup> presbyteri fuisse videntur, quibus a Romano clero, anno DCXL. sede pontificia post Severini

<sup>r</sup> Molan. nat. sanct. Belgii, Octob. 31.

<sup>s</sup> Adamnan, vit. Columbæ, lib. 3. cap. 23.

<sup>t</sup> Vid. supra, pag. 501. 505. et cap. 15. pag. 245.

<sup>u</sup> *Hermanum* vocant edita Bedæ exemplaria, lib. 2. cap. 19. contra veterum MSS. fidem.



mortem vacante, inscripta habetur epistola<sup>w</sup>. Adamnanus<sup>x</sup> Erenæi meminit vel (ut alia legunt exemplaria,) “ Erenæi filii, Craseni per omnes Scotiæ sive Hiberniæ (quod ipsum et alii hic habent codices) ecclesias famosi, et valde notissimi.” Et cum Hibernis, ut et Anglis, *jeperen* ferrum denotet, et *jeperan* nomen inde deductum quasi Ferreolum; hunc eundem esse Stephanus Vitus existimat, de quo alibi Adamnanus<sup>y</sup> ita meminit: “ Christi miles valde senex, cui nomen etiam potest dici Ferreolus, Scotice vero Erenæ, gente Mocu fir roide, (ita enim habebat antiquissimum quo ille usus est, ex Benedictino Augiæ Divitis in Suevia cœnobio petitum, exemplar) inter aliorum S. Columbæ monachorum reliquias et ipse sanctus monachus, in Dorso Thomæ sepultus cum sanctis resurrectionem expectat.” Fuit et Cronanus filius Silni, quem anno DCLXV. mortem obiisse notant annales: et Cronanus abbas Odrani filius; de quo in vita ipsius legimus, “ S. Conanus ad orientalem Mumeniæ plagam, in propria sua patria id est Ele, venit; et stetit juxta gronnam Lurgan contra terram Osraig, quæ occidentalis Laginensium plaga est. Cellam itaque prope stagnum Cree, in quo est insula modica, in qua est monasterium monachorum semper religiosissimorum, ædificavit; quæ Cella Sean-ross nominatur.” A quo postea loco, ut deserto et avio, ad regalem viam habitationem transferens, “ magnum monasterium ædificavit: et ibi crevit clara civitas, quæ vocatur Ross-cree; in qua post multa miracula sanctus senex Cronanus in Christo requievit.” Ea in Tipperariensi comitatu sita, non procul a regionis Ele sive Eliæ Carolinæ confiniis, anno MCCLXXXI. Edmundo Butler comiti Carickiano, Jacobi primi comitis Ormondia parenti, a rege Edvardo I. est donata: fuitque olim sedes episcopalis, licet hodie Laonensi episcopatu habeatur annexa.

S. Lugido sive Moluæ, qui Gregorio I. Romanum pontificatum administrante obiit, superstites fuisse in vita ejus memorantur, Cronanus hic in insula Cre tunc habitans,

<sup>w</sup> Epist. Hibernic. syllog. num. 9. op. tom. 4. pag. 427.

<sup>x</sup> Adamnan. vit. Columbæ, lib. 1. cap. 3. Vid. supra, pag. 502.

<sup>y</sup> Id. lib. 3. cap. 31.

S. Scellanus ipsius Lugidi discipulus (cui inter alios illa Romani cleri, de qua diximus, inscripta etiam fuisse videtur epistola) et vir sanctus et sapiens nomine Manchenus. A Richardo Armachano archiepiscopo scripta esse dicitur vita “Sancti Manchani, septem ecclesiarum patroni, canonici regularis D. Augustini; qui exemplo suæ sanctitatis multos ex variis Hiberniæ partibus ad Christi fidem convertit. Ubi per ipsum primo ædificatum esse traditur monasterium canonicorum regularium de Mohill<sup>z</sup> apud Monterolis; cui dotata, donata, dedicata sunt multa et variæ glebæ, terræ, feudi, vasallæ, decimæ, primitiæ, redditus, fructus, proventus, oblationes, &c. quæ omnia et singula cum consensu cleri et populi rata et confirmata sunt, et in omni tempore et ætate, ab anno sexcentesimo octavo (quo floruit S. Manchanus) prioribus monasterii de Mohill sponte, libere, et pie conferuntur et dotantur.” In Ultoniensibus etiam annalibus ad annum DCLI. (qui nostræ æræ DCLII. est) Mancheni, et aliorum simul Hiberniæ sapientum, ita consignatus habetur exitus: “Obitus Segeni<sup>a</sup> abbatis Iæ, id est, filii Fiachnæ; et quies Aidhlogo mac Camain abbatis Cluana-mac-nois: et dormitatio Mancheni abbatis Menodrochit.” Unde lucem accipit locus ille librorum de mirabilibus sacræ scripturæ authoris, de undecimo DXXXII. annorum cyclo magno hunc in modum scribentis: “Undecimus<sup>b</sup>, a consulatu Paterni et Torquati ad nostra usque tempora decurrens, extremo anno Hibernensium moriente Manichæo, inter cæteros sapientes peragitur. Et duodecimus nunc tertium<sup>c</sup> annum agens, ad futurorum scientiam se præstans, a nobis qualem finem sit habiturus ignoratur.”

Manichæi nomen ab infami illo hæresiarcha notissimum fuit, qui Paracletum se fingens, ea appellatione id ipsum exprimi voluit. Apud Hæbræos enim מנחם Menachem sive Manahem non aliud quam consolatorem sonat: cujus nominis regem<sup>d</sup> Israeliticum a Sulpicio Severo<sup>e</sup> Manem

<sup>z</sup> In Letrimensi comitatu.

<sup>a</sup> Vid. supra, cap. 15. pag. 245.

<sup>b</sup> Lib. 2. de mirabilib. scripturæ, cap. 4. app. tomi 3. oper. Augustini, pag. 17.

<sup>c</sup> Ann. Christ. 655. quo author scripsit.

<sup>d</sup> 4 Regum, cap. 15. ver. 14, 17.

<sup>e</sup> Sulp. Sever. hist. lib. 1.

etiam, ut istum alterum, contracto vocabulo nuncupatum observare liceat. A voce illa vulgatissima in Manchenum nostrum Manichæi vel Manicheni potius derivatum est nomen. Eundem enim esse hominem, cujus obitus in nostris annalibus et opere de mirabilibus Scripturæ designatur, et loci et temporis convenientia consensusque dubitare nos non sinit. Cycles suos scriptor ille ab orbis conditi deducens exordio, in annorum mundi supputatione (cum Victorio Aquitano<sup>f</sup> in paschali suo canone, et Romana ecclesia in suo martyrologio<sup>g</sup>) Eusebii Cæsariensis rationes est secutus: quæ ad Christi nativitatem in anno Cæsaris Augusti XLII. positam 5199. ad initum vulgaris nostræ epochæ annos 5200. dinumerant. Undecim DXXXII. annorum cycli annos 5852. conficiunt: unde deducti 5200. annum æræ Christianæ 652. relinquunt, cycli undecimi extremum; quo inter cæteros Hibernensium sapientes author hic Manichæum, Ultoniensium annalium concinnator Manchenum, mortem obiisse significat.

Ad tertium etiam hunc ordinem referendus est S. Carthagus, de quo diximus<sup>h</sup>, qui et Mochudæus (primus Ratheniensis cœnobii abbas, et Lismorensis civitatis episcopus) cum duodecim suis in Ratheniensi monasterio discipulis: quorum primus fuit Mochue filius Niellani: qui “ primus monachus in monasterio Rathen factus:” postea cellam “ in proximo civitatis Rathen obtinuit, in loco qui dicitur Cluain-dachran:” tum “ Mochoemog filius Vairt; tres filii Nascaind, Gobbanus, Sraphanus et Lasreanus: Molua Lugair, Mochoemog filius Cuait, Aidanus; qui habuit cellam in regione nepotum Torna, prope montem Luachra.” Item Fiachna: qui cellam prope Coningnibh tenuit; sed apud Aidanum sodalem suum in fine nepotum Torna conditus, cellæ ipsius suum nomen reliquit. Nam, ut a biographo est notatum, “ ille locus Scotice Ceall-fiachna nominatur; qui prius Cella Aidani Redaire vocabatur.” Neque prætermittendi Mochoemog episcopus et

<sup>f</sup> Vid. supra, cap. 12. op. tom. 5. pag. 461.

<sup>g</sup> Martyrolog. Roman. et Usuard. Decemb. 25.

<sup>h</sup> Supra, pag. 474, 475. 483. 510, 511.

Findlugus, S. Carthagi in eadem schola Ratheniensi; neque Fachtna filius Monghich, Mocholmog filius Gillem, Mocholmog Cainnich, Fachtnanus, Fergus, Conaire, Silennus, Segenus, Trienus, et Liber episcopus, S. Barri<sup>l</sup>, (qui et Lochanus et Barroculus et, communi cum Finiano Clunardensi<sup>k</sup> nomine, Find-barrus dictus est) in Corcagiensi ecclesia, discipuli.

Ad eundem etiam tertium sanctorum ordinem pertinent, S. Camminus de Inishkealtair, quem circa annum DCLIII. mortuum esse annales Inisfallenses; et S. Cumminus Fada sive Longus, quem anno DXCII. natum et DCLXII. defunctum Ultonienses nos docent annales. Insula Keltra, ut eam scriptor vitæ S. Columbæ Cruinchain et Marianus Scotus<sup>l</sup> appellat, in lacu Dergid posita est, in quem ad sexdecim ab urbe Limiricense milliarius Sineus fluvius illabatur: ubi et ædes sacra cernitur, quæ Templi Cammini nomen adhuc retinet. Habebatur psalterium, cujus unicum tantum quaternionem mihi videre contigit, obelis et asteriseis diligentissime distinctum: collatione cum veritate Hebraica in superiore parte cujusque paginæ posita, et brevibus scholiis ad exteriorem marginem adjectis. Atque illud S. Cammini manu fuisse descriptum, communi traditione ferebatur. Cumminus vero Fada sive Fota, filius fuit Fiachna regis Jar-muman, id est, occidentalis Momoniæ<sup>m</sup>: atque hymni illius author fuisse dicitur, cujus initium; Celebra Juda festa Christi gaudia. Eum scholiastes compositum notat tempore Domnalli filii Ædæ filii Ainmerech; hoc est, Donaldi II. qui in nostro<sup>n</sup> regum indiculo decimum quintum locum obtinet.

Verum sanctorum Hiberniæ, non dicam acta describere, sed vel ipsa nomina numerando percensere, magni res esset studii multæque operæ: ideoque hanc lampadem aliis, quibus ista curæ esse intelligimus, lubentes tradimus. Interim dum nos, persoluto hoc quod patriæ et civibus nostris deberi a nobis existimabamus officio, de Hebræo-

<sup>l</sup> Supra, pag. 521.

<sup>k</sup> Supra, pag. 463. 522.

<sup>l</sup> In Florentii Wigorniensis chronico; ad annum 1043. secundum Dionys.

<sup>m</sup> Vid. Camden, pag. 737. in Desmonia.

<sup>n</sup> Supra, pag. 515.

rum, Græcorum, Romanorum, aliarumque gentium temporibus antiquioribus digerendis cogitationem suscipimus; a D. Jacobo Waræo Dubliniensi, equite aurato et regii apud nos ærarii rationali dignissimo, Hiberniæ nostræ annales, una cum patriorum scriptorum catalogo (e quibus eorum quæ hac in parte desiderantur non exiguum peti poterit supplementum) benevolus Lector expectabit.

FINIS.



AD  
BRITANNICARUM ANTIQUITATUM  
COLLECTANEA  
INDEX CHRONOLOGICUS.

N N 2





QUOD AB AUTHORE IN HAC EPISTOLA DE ADDENDIS DICTUM  
EST, DE EDITIONIBUS PRIORIBUS EST INTELLIGENDUM;  
HÆC ENIM SUO CUIQUE LOCO INSERTA JAM EXHIBEN-  
TUR.

---

JACOBUS ARMACHANUS

BENIGNO LECTORI

SALUTEM.

QUOD non efficit hora, plerumque præstat mora: in eo præsertim scriptionis genere, quæ tota lectionis est et observationis, indeque cum ipso tempore adaugescit. Dum igitur prælum aliis distineretur operis, nostra Britannicarum Antiquitatum Collectanea ter relegendi facultas data est: ubi errata, non typographica solum (quæ, me absente, præter modum accreverant) sed mea ipsius quoque non pauca emendandi commodam occasionem nactus, reipsa ostendere volui, quantopere probatum mihi fuerit nobilissimi philosophi præclarum illud oraculum; *δεῖν<sup>a</sup> ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεία ἀναίρειν*. Sed et aliarum observationum, quæ interea in mentem venerant, tanta facta est accessio; ut ex trina illa relectione redundans fructus tertiæ cujusdam editionis vicem supplere posse videretur.

Indicem præterea chronologicum adjecimus locupletis-

<sup>a</sup> Oportere, veritatis tuendæ causa, vel nostra ipsorum dicta evertere. Aristot. Ethic. Nicomach. lib. 1. cap. 4.

simum: ut quæ in toto opere passim disjecta jacent, explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia ponerentur. Unde nec iis solum quæ vere contigerunt, sed etiam quæ vulgo circa ea tempora accidisse credebantur, locum hic dedimus: certum, ubi res dabat, annum apponentes; ubi vero id fieri non poterat, ad proximam quamque annorum decadem singula indefinite referentes. Ista, Lector, nescire te noluimus.

ANTIQUITATUM  
BRITANNICARUM ET HIBERNICARUM,

IN HOC OPERE EXPOSITARUM

CHRONOLOGICUS INDEX.

---

Anno Christi.

- A PRIMO exortu evangelii, in Britannicis nostris insulis fides Christiana annunciata est. Op. tom. 5. pag. 13, 14. et tom. 6. pag. 287.
- XLI. Jacobus Zebedæi filius huc appulisse dicitur. Tom. 5. pag. 15. et tom. 6. pag. 290. una cum matre Salome. Ibid.
- XLVII. Simon Zelotes evangelium in Britannicis insulis prædicavisse dicitur. Tom. 5. pag. 18. et tom. 6. pag. 287.
- XLVIII. Josephus Arimathæensis, una cum Lazaro, Maria Magdalena, Martha, Marcella, Maximino et aliis, a Judæis Hierosolymitanis in exilium pulsus, Massiliam applicuisse et Gallis evangelium prædicavisse dicitur. Tom. 5. pag. 29.
- Barnabas apostolus in Scotia Beatum baptizavisse dicitur. Tom. 6. pag. 292.
- LVI. Aristobulus a Paulo et Barnaba Britannorum episcopus ordinatus, constitutus apud eos ecclesiis, martyrio in Britannia secundo anno Neronis affectus fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 20. et tom. 6. pag. 291.
- LX. Paulus, a Romana captivitate liberatus, in occidente et Britannicis etiam nostris insulis Christi evangelium annuclavisse traditur. Tom. 5. pag. 19.
- LXIII. Philippus apostolus duodecim suos discipulos, cum Josepho Arimathæensi, e Gallia in Britanniam misisse; iidemque, accepta a rege barbaro (quem Arviragum fuisse aiunt) Glastoniensi insula, vetustam B. Mariæ ecclesiam eodem anno ibidem construxisse, creduntur. Tom. 5. pag. 25—47.
- Claudia Britanna, uxor Pudentis et mater Lini episcopi Romani (cujus tamen patrem Herculænum quendam fuisse liber pontificalis asserit) Romæ fidei Christianæ professione celebris fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 21—24.

Anno Christi.

- LXVI. Petrum apostolum, postquam in Britannia longo tempore fuisset moratus et ecclesias ibi constituisset, anno XII. Neronis Romam petiisse, Symeon Metaphrastes auctor est. Tom. 5. pag. 18. et tom. 6. pag. 288.
- Mansuetus Hibernus, Romæ a Petro episcopus ordinatus, Leucos in Gallia ad fidem convertisse traditur. Tom. 6. pag. 295, 296, 297.
- Beatus, a Barnaba in Scotia vel, ut alii volunt, Romæ a Petro baptizatus, Helvetiis evangelium prædicavisse dicitur. Tom. 6. pag. 293.
- LXXV. Scotos et Pictos in Albania primum consedissee fabulantur. Tom. 6. pag. 105.
- LXXVI. Josephus Arimathæensis in insula Glastoniensi mortuus et sepultus fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 44. de quo vidend. a pag. 25. ad 44. item tom. 6. pag. 300. ubi de Hibernia venenatis animalibus ab eo liberata fabula.
- LXXVII. Julius Agricola spatium terræ inter Glotam et Bodotriam (sive fretum Dunbritanicum et Edenburgicum) positum præsidii firmavit; summotis velut in aliam insulam Caledoniis hostibus. Imperante adhuc Vespasiano; a quo Britanniam inter provincias redactam Witichindus Saxo memorat. Tom. 6. pag. 126.
- LXXXI. Julius Agricola, adversus Caledoniis expeditione suscepta, Galgacum in aciem super triginta millia armatorum educentem profligavit. Tom. 6. pag. 109. Romana classe circumveli Britanniam præcepit; quæ simul nomine tantum cognitas ad id tempus insulas Orcadas invenit domuitque. Tom. 6. pag. 319.
- LXXXII. Britanniam jam a se perdomitam relinquens Agricola, ut habet in vita illius Tacitus, successori suo provinciam quietam tutamque tradidit: quam tamen statim missam sive omisam fuisse, idem in historiarum suarum exordio significat: Domitiani utique ignavia: cujus tempore dominatum in Britannia tenuit Arviragus. Tom. 6. pag. 109.
- XCIX. Beatus, simul cum Achate suo, apud Helvetios vitam deposuisse dicitur. Tom. 6. pag. 298.
- Trajanus de Dacis et Scythiis subactis triumphavit. Tom. 6. pag. 109.
- CV. Rodericus e Scythia cum Pictis suis veniens, a Britannorum rege Mario Arviragi filio Stanmorix cæsus fuisse dicitur; et peregrino illi populo sedes in Cathanesia Caledoniæ extrema provincia assignatæ. Tom. 6. pag. 110.
- Mansuetus Hibernus, primus Tullensium episcopus, anno ministerii sui quadagesimo mortem obiisse dicitur. Tom. 6. pag. 298.
- Taurinus, primus Ebroicensium (non Eboracensium) episcopus, vixisse dicitur. Tom. 5. pag. 48. de quo vid. Francisc. Bosquet. histor. eccles. Gallican. lib. 1. cap. 29. et lib. 3. cap. 24. 37.
- CVIII. Lucium Britannicum hoc anno quidam ad fidem conversum fuisse scribunt: referente Jo. Caiu, in histor. Cantabrig. academ. lib. 1. pag. 22. qui postremus fuit pastoralis regiminis Euaristi; sub quo Lucium Britannicum regem baptismum suscepisse narrat Ninius. Supra, tom. 5. pag. 49. Quod referendum fortasse quis putaverit ad Lucium Britannicum regulum, qui Vindelicis et Rhætis Christum annuuciavisse dicitur: quem a Lucio rege Britannico, qui sub Eleuthero postea baptizatus fuit, diversum fuisse Achilles Gassarus confirmat. Tom. 5. pag. 164.
- Timotheus enim Pudentis filius, et B. Pauli discipulus, in Britannia evangelium prædicavisse et Lucium, ex regio Britannorum sanguine prog-

- Anno Christi.  
 natum, ad fidem convertisse dicitur. Tom. 5. pag. 48—52. 72, 73. qui patria postea relicta, Bavaris, Vindelicis et Rhætis evangelium prædicaverit. Ibid. et pag. 164.
- CXV. Coillo Britannorum regi, Marii filio, (de quo, tom. 5. pag. 35.) natus fuisse dicitur alter ille Lucius. Tom. 5. pag. 166.
- CXVII. Britanni, quorum curam Domitianus (de externo imperio non adeo sollicitus) intermiserat, eo defuncto teneri sub Romana ditone non poterant: unde successor illius Hadrianus Britanniam petens, in ea multa correxit, murumque per octoginta milia passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret: tom. 6. pag. 136—138. stipitibus nimirum magnis in modum muralis sepiis funditus jactis atque connexis: ut alibi facere eum consuevisse docet in vita ipsius Ælius Spartianus; a quo et reliqua illa didicimus. De ecclesiæ vero incrementis sub Hadriano, vid. tom. 5. pag. 71. ex Eusebio et Rufino.
- Euchus et Achlena sive Athena, parentes S. Cataldi, et Dichus vir sapientissimus, in Hibernia claruisse dicuntur. Tom. 6. pag. 300.
- CXXIV. Coillo Britannorum regi defuncto filius Lucius successisse dicitur. Tom. 5. pag. 58, 166.
- CXLI. Cantabrigienses novem academicos baptizatos fuisse, Burtoniensium annalium interpolator comminiscitur. Tom. 5. pag. 71.
- CXLII. Berwicum a Berengario nescio quo constructum fabulantur. Tom. 6. pag. 103.
- CXLIV. "Antoninus Pius imp. Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit, (ut docet in vita ipsius Julius Capitolinus) alio muro cespitio submotis barbaris Caledoniis ducto," in eodem videlicet angusto terrarum spatio, quod Julius Agricola præsiidiis prius firmaverat. Tom. 5. pag. 61. et tom. 6. pag. 136. Unde eo tempore Appianus Alexandrinus (quem post Hadriani excessum scripsisse, ex libro 1. de bellis civilibus constat) Britannia partem plusquam dimidiam a Romanis occupatam fuisse memorat: tom. 5. pag. 61. De religionis vero Christianæ incrementis sub Antonino, vid. ibid. pag. 72. ex Justino martyre.
- Ad Cataldum liberales disciplinas Lesmoræ apud Momonienses profitentem, ex finitimis ac remotis regionibus innumeri confluisse feruntur. Tom. 6. pag. 302, 303.
- Hibernia regem, a duce Meltridis instigatum, Cataldum diaconum in vinculis detinuisse, duce vero mortuo liberum dimisisse Tarentini tradunt. Addunt deinde, Cataldum Rachavensis ecclesiæ in Momonia factum episcopum, ducatum Meltridis (a rege in perpetuum ecclesiæ concessum) duodecim episcopis distribuisse, suamque ipsius sedem in archiepiscopalem erexisse. Tom. 6. pag. 305, 308.
- Idem, patria relicta, Genevensium inter Allobrogas factus fuisse dicitur episcopus. Tom. 6. pag. 308.
- CLII. Idem cum fratre Donato, primo Lupiensium in Italia episcopo, in Japygiam veniens, per annos quatuordecim eremiticam cum illo vitam ibidem egisse perhibetur, prius quam Tarentum accederet. Tom. 6. pag. 304.
- Timotheus Pudens filius, evangelii in Britannia prædicator, Antonino imperium et Pio episcopatum Romanum administrante, martyrio vitam consummavisse dicitur. Tom. 5. pag. 50.
- CLXI. Sub ipsa initia imperii M. Aurelii Antonini, imminebat bellum Britan-

Anno Christi.

nicum; cui administrando præfectum fuisse Calphurnium Agricolam docet, in imperatoris illius vita, Julius Capitolinus.

- CLXV. Lucius Britannus Timothei discipulus, et soror ejus Emcrita, apud Curienses in Rhætia, sub M. Aurelio Antonino martyrio vitam finivisse dicuntur. Tom. 5. pag. 166.
- CLXVI. Cataldus Hibernus, M. Aurelio Antonino imperium et Aniceto Syro episcopatum Romanum administrante Tarentum ingressus, Tarentinos ad fidem reduxisse et pontifex illis præfuisse dicitur. Tom. 6. pag. 308.
- CLXXVI. Lucius Britannorum rex, Coilli filius, missis ad Eleutherum Romanum episcopum literis, ut Christianus efficeretur petiit: tom. 5. pag. 53—63. Quibus rationibus inductus id fecerit. Ibid. pag. 65—69. Legati ad id impetrandum Romam ab eo missi, Elvanus et Medwinus fuisse dicuntur: ibid. pag. 69. Doctores ab episcopo Romano remissi, Faganus et Duvianus; qui ipsum cum subjecto populo ad fidem convertentes baptizaverint: ibid. pag. 74—77. licet alii a Marcello, Tungrorum ac Trevirorum episcopo, Lucium baptizatum fuisse; atque ex eo tempore proventum ecclesiarum Tungrensium ex Britannia provenisse tradiderint. Ibid. pag. 74.
- CLXXVIII. De Cantabrigiensium academicorum tribus millibus ab hisce conversis et baptizatis fabula. Tom. 5. pag. 159, 160.
- CLXXIX. Epistola Eleutheri Romani episcopi ad Lucium regem, leges Romanas et Cæsaris petentem, scripta fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 127, 128. Lucius Londini ecclesiam S. Petri in Cornhill fundavisse, et primam ecclesiam metropolitanam totius regni constituisse traditur: ibid. pag. 88. cui etiam construendæ Theanus primus Londinensium archiepiscopus et Ciranus archiepiscopus regis operam contulisse feruntur. ibid. Secundam metropolim (quam alii tamen primam fuisse malunt; ibid. pag. 122.) Eboraci collocatam fuisse volunt: vel Fagano, vel Theodosio nescio quo, primo archiepiscopo ibidem ordinato. Ibid. pag. 93, 94. Tertiam in urbe legionum ad Iscam fluvium apud Cambrenses positam: ibid. pag. 101. cui septem episcopatus subjecti fuerint. Ibid. pag. 111—123. Giraldus Cambrensis quinque metropoles, juxta provinciarum Romanarum numerum, tom. 5. pag. 120. commentus, duodecim episcopatus earum unicuique assignat. Ibid. pag. 116. Alii, ethnicorum flaminum et archiflaminum loco, tres tantum archiepiscopatus, et XXV. vel XXVIII. episcopatus, substitutos fuisse asserunt: ibid. pag. 79. 124. in quibus, Wintoniensis, ibid. pag. 154. Congersburiensis, ibid. pag. 87. et Landavensis, ibid. pag. 103. 109. speciatim recensentur.
- CLXXX. Anno conversionis suæ quinto, Wintoniensis ecclesiæ structura a Lucio perfecta fuisse dicitur; Fagano et Duviano eandem dedicantibus, et monachis in ea secundum S. Marci sive Ægyptiorum regulam vitam asceticam professis Devotum quandam abbatem præficientibus. Tom. 5. pag. 153—156.
- CLXXXI. Bangoriæ in agro Flintensi Christianorum philosophorum collegium constitutum fuisse aiunt. Tom. 5. pag. 161.
- CLXXXIV. Faganus et Duvianus Romam redeuntes, ab Eleuthero eorum quæ acta fuerant confirmationem impetravisse; et cum compluribus aliis comitibus inde de novo reversi, gentem Britonum in fide Christiana confirmasse referuntur. Tom. 5. pag. 126, 127.

Anno Christi.

CLXXXV. Westmonasterii, destructo templo Apollinis, ecclesia S. Petri primum fundata fuisse dicitur.

CLXXXVII. Rex Lucius, ut apud Matthæum Parisiensem et Westmonasteriensem, atque in historia Roffensi legitur, " possessiones et territoria ecclesiis et viris ecclesiasticis abundanter conferens, chartis et munimentis omnia communit: ecclesias vero cum suis cœmiteriis ita constituit esse liberas, ut quicumque malefactor ad illa confugeret illæsus ab omnibus remaneret." Tom. 5. pag. 153. Cujusmodi prædiorum donationem et asylum privilegium suæ ecclesiæ specialiter concessa, Wintonienses monachi memorant. Ibid. pag. 153, 154.

Faganus et Duvianus in insula Avalonia per novem annos commorati, vetustam S. Mariæ ecclesiam restauravisse; indeque discedentes, duodecim sociis suis ibidem reliquisse, atque ipsi et eorum successoribus terras, a tribus regibus paganis duodecim Philippi apostoli discipulis concessas, regis Lucii charta confirmandas curavisse perhibentur. Tom. 5. pag. 130, 131, 132, 143.

Doveriæ ecclesiam B. Mariæ, et Cantuariæ ecclesiam S. Martini constructam fuisse aiunt. Tom. 5. pag. 157, 158.

Theano in Londinensi archiepiscopatu Elvanus successisse, bibliothecam juxta ecclesiam metropolitancam S. Petri in Corne-hill condidisse, et Druidum complures ad fidem Christianam convertisse dicitur. Tom. 5. pag. 88.

CXCVII. Severus imperator, post cæsum Clodium Albinum rebua Britannæ ordinatis, in duas præfecturas insulæ administrationem dispersit. Tom. 5. pag. 120.

CC. Donaldus Scotorum Albiensium rex cum gente sua, Paschasi Siculi et aliorum doctorum a Victore Romano episcopo huc missorum opera, fidem Christianam suscepisse dicitur. Tom. 6. pag. 148—151.

CCI. Lucius primus Christianus rex Britonum, sine sobole quæ sibi succederet, defunctus et Glocestriæ sepultus fuisse traditur. Tom. 5. pag. 168, 169. cum pag. 63, 163.

Virius Lupus Britannæ præses a Mæatis, juxta murum habitantibus (quum ad eos defendendos Caledonii, contra pacta conventa, essent parati) magna pecunia pacem redimere coactus est, paucis quibusdam captivis receptis. Tom. 6. pag. 203.

Britannorum inaccessa Romanis loca Christo subdita, scripsit hisce temporibus Tertullianus. Tom. 5. pag. 61, 173.

CCVIII. Severus imperator, tertio ante obitum anno cum exercitu in Britanniam profectus est: ubi Geta juniore filio ad jus dicendum in parte insulæ Romanis subjecta relicto, et seniore Bassiano secum assumpto, aggerem ditionis Romanæ eo tempore limitem (illum videlicet Hadriani murum cespitium) transgressus, Mæatarum primum, deinde Caledoniorum (qui altero illo Antonini Pii cespitio muro ab illis determinabantur) fines, ad extremam usque insulæ partem, penetravit; atque suorum quinquaginta millibus morte assumptis, et hostibus ea conditione ad fœdus faciendum coactis, ut non parva regionis parte cederent, ad socios demum est reversus: ex Hierodiano et Dione. Tom. 5. pag. 168. et tom. 6. pag. 113.

Anno Christi.

Idem murum lapideum, ubi antea cespitium Hadrianus posuerat, a mari ad mare per transversam insulam duxit. Tom. 6. pag. 135—139.

Fulgenius sive Fulgentius, cum Britonibus suis a Severo in Caledoniam pulsus, in Scythiam transfretavisse dicitur, indeque Pietos auxiliares secum adduxisse. Tom. 6. pag. 110. 151—153.

CCXI. Mæatis una cum Caledoniis deficientibus Severus, dum expeditionem in eos parat, Eboraci IV. die Februarii extinctus est (corpusque ejus rogo est impositum, in loco qui ad hunc usque diem Severs-hill sive Severi collis nomen retinet:) duobus filiis, Bassiano (qui Antoninus Caracallus dictus est) et P. Septimio Getæ imperio relicto. Tom. 5. pag. 198.

De Amphibalo principis Cambriæ filio et aliis Britanniae juvenibus a Zephyrino Romano episcopo ad fidem conversis stultissima fabula. Ibid.

CCXVI. Hector Boethius, in Scotorum regum catalogo mendosissimo, hoc anno Donaldo primo apud eos regi Christiano filium Ethodium successisse narrat; tom. 6. pag. 151. Nostri vero chronographi Chonarem tunc summum Hiberniæ principatum tenuisse, et Dal-riedæ dominium (unde Dal-reudinorum sive Scotorum Albiensium regnum longe post hæc tempora duxit originem) filio suo Cairbri-riedæ sive Eochaig-riedæ post se reliquisse scribunt. Ibid. pag. 146.

CCXXI. H. Boethius hoc anno (licet rationes ipsius ann. CCXXXII. vel CCXXXIV. potius postulent) Ethodio a stipatoribus suis occiso Athirconem filium successisse scribit. Tom. 6. pag. 153.

CCXXXVI. Maximo sive Maximino imp. et Africano consulibus, passa fuisse dicitur Ursula Britannica, cum undecim virginum millibus: tom. 6. pag. 160. de quibus prodigiösæ et secum invicem pugnantis narrationes revelationum specioso titulo obductæ venditantur. Ibid. pag. 153—173. Origenis, de fide Christiana a Britannis recepta, testimonia. Tom. 5. pag. 173.

CCXLVIII. S. Guthagonum, regis Scotiæ filium, in lucem editum Dempsterus asserit. Tom. 6. pag. 316.

CCLVI. S. Mello sive Melanias Britannus, a Stephano Romano episcopo baptizatus, et Rhotomagum ad prædicandum evangelium missus est, tom. 5. pag. 174. Vid. Andrææ Saussayi martyrolog. Gallican. Octob. 22. pag. 767, 768.

CCLXIII. Findocum Athirconis filium cæsum fuisse narrat Hector Boethius: eoque tempore, Culdeorum ductu, Albienses suos Scotos Christi dogma accuratissime amplexatq; fuisse addit. Tom. 6. pag. 173—176.

CCLXXIII. Ex Helena natus est Constantinus Maximus. De cujus utriusque patria (quam multi Britanniam, alii aliam constituunt) diversæ referuntur diversorum sententiæ. Tom. 5. pag. 212—234.

Eum Abingdoniensis monachi apud se educatum fuisse fabulantur. Tom. 5. pag. 234.

CCLXXXV. Diocletiano et Maximiano Herculo imperantibus (illo videlicet Augusti, hoc Cæsaris dignitatem obtinente) Carausius Menapiæ civis purpuram sumpsit, et Britanniam occupavit. Tom. 6. pag. 110, 111.

CCLXXXVI. Carausio in Britannia et aliis alibi rebellantibus, Diocletianus Maximianum Herculum ex Cæsare fecit Augustum, Constantium vero, Constantini magni patrem, et Maximianum Galerium Cæsares; tom. 6.



## Anno Christi.

pag. 111. Carausio tamen, quum bella frustra tentata essent contra virum rei militaris peritissimum, remissum est insulæ imperium. *Ibid.*  
Constantius, repudiata Helena, Constantini matre, Theodoram, Maximiani Aug. privignam, conjugem accipere coactus est: ex qua sex suscepit liberos. *Tom. 5. pag. 217.*

Pictis, e Scythia adversus Severum a Fulgenio conductis, Carausius locum mansionis inter Britannos in Caledonia concessisse dicitur: *tom. 6. pag. 110.* eosque muro inter fretum Dunbritannicum atque Edenburgicum reædificato, et septem castellis munito, a reliqua insula disclusisse. *Ibid. pag. 111, 112.*

Scotorum e veteribus primus hisce temporibus meminit Porphyrius philosophus, Pictorum Eumenius rhetor. *Tom. 6. pag. 112. 273.*

CCXCIII. S. Serfum episcopum Orcadianis evangelium prædicavisse fingit Dempsterus. *Tom. 6. pag. 213.*

CCXCV. Allectum, qui, cæso Carausio, imperium Britannicum triennio occupaverat, Asclepiodotus præfectus prætorio oppressit: *tom. 5. pag. 174.* a cujus etiam copiis collegam Allecti Livium Gallum cum suis Londini paulo post cæsum fuisse refert historia Britannica, lib. 5. cap. 4. ad amniculum qui ab eo Gale-broc sive Wal-broke nomen accepit. *Ibid. pag. 191.*

CCXCVIII. Primus cyclus 84. annorum, ex quo Romani Dominicas suas Paschales a luna XVI. ad XXII. supputabant, hic incipit. *Tom. 6. pag. 492—501.*

CCXCIX. S. Guthagonus, regis Scotiæ filius, cum servo suo Ghillo, Oostkerckæ in Flandria peregrinus obiit: si Dempstero credimus. *Tom. 6. pag. 315.*

CCCIII. Mense Martio, a Diocletiano in oriente et Maximiano Herculo in occidentem immanis adversus Christiani nominis professores moveri cœpta est persecutio: *tom. 5. pag. 176. 202.* quæ in parte Britannicæ Romano imperio subjecta nobilissimo martyrio beavit innumeros, *ibid. pag. 174.* nec tamen Christianam in ea religionem prorsus extinxit, *ibid. pag. 207.* aliis ad sylvas et speluncas, *ibid. pag. 177.* aliis in Caledoniam, a Romanorum dominatione liberam, confugientibus; quos a Crathlinto rege benigne exceptos, et in Mannia insula collocatos, Hector Boethius sua fide asserit: addens etiam in insula illa, ab ethnica superstitione eo tempore purgata, sedem episcopalem Sodorensis constitutam fuisse, et antistitem in ea primum Amphibalum Britonem.

Maii die XXIII. S. Albanus Verolamiensis, Britannorum protomartyr, ad Derswoldinam sylvam Holm-hurst dictam gladio percussus occubuit: *tom. 5. pag. 176—202.* una cum milite, Heraclio (ut volunt) dicto; qui ferire eum iussus recusavit. *Ibid. pag. 179. 203.*

Julii die I. Aaron et Julius, urbis Legionum cives, passi sunt. *Ibid. pag. 177. 204.*

Septembris die XVI. S. Albani magister, quem posteris Amphibalum appellare placuit, morte crudelissima affectus fuisse dicitur; cæsis prius e Verolamiensi municipio 999. viris, ab ipso in fide Christiana institutis. *Tom. 5. a pag. 180. ad 204. pag. 235. et tom. 6. pag. 59.*

Septembris die XVII. Socrates et Stephanus in Britan. martyrio vitam finierunt *Tom. 5. pag. 205.*

Anno Christi.

- Septembris die XXV. S. Firminus, Pampilonensis senatoris Firmi filius, honesti presbyteri discipulus (non Scotus vel Ilibernus, sed Iberus aut Navarrenus) Ambiani in Gallia sub Rictio Varo præside martyrium passus fuisse traditur. Tom. 6. pag. 310—314.
- Cantabrigienses academiæ suæ, tom. 5. pag. 196. Westmonasterienses suæ ecclesiæ, Ibid. pag. 199. et Wintonienses monachis suis, ibid. pag. 201. cladem hoc tempore illatam scriptitant.
- CCCIV. Januarii die VI. S. Macra, quam regis Scotiæ filiam fuisse Dempsterus somniat, Remis sub Rictio Varo præside dira tormenta passa, Deo animam reddidit; tom. 6. pag. 313. Vid. Andreæ Sausseyi martyrolog. Gallican. Januar. 6. pag. 14. et Mart. 2. pag. 134.
- Februarii die VII. Angulius, episcopus Augustæ civitatis Britanniæ Christi martyr occubuit. Tom. 5. 205, 206.
- S. Nicolaus episcopus, apud Britannos in Laudonia, passus est. Tom. 6. pag. 175, 176.
- Diocletiano et Maximiano Herculo imperio se abdicantibus: ecclesiis Galliæ et Britanniæ pax a Constantio Augusto, summo Christianorum fautore, restituta est; tom. 5. pag. 208, 209. tom. 6. pag. 178. ad cujus ditionem Hiberniam nostram accessisse, difficulter credimus. tom. 6. pag. 318, 319.
- CCCV. Constantium episcopalem sedem Eboraci constituisse, tom. 5. pag. 94. 209. et ecclesiam S. Johannis Baptistæ Warwici extruxisse, ibid. pag. 209. et Lucium filium, ecclesiæ B. Mariæ apud Lucionenses conditorem, in exilium ejecisse, ibid. pag. 218. fabulatores fingunt.
- A Constantio Radulphus Niger, a filio ejus Constantino Guilielmus Malmesburiensis, Britannorum coloniam in Armonicam traductam refert. Tom. 5. pag. 484.
- CCCVI. Julii die XXV. Constantius Aug. post victoriam a Pictis reportatam, Eboraci mortuus est, et in Arvoniam (ut quidam volunt) sepultus: tom. 5. pag. 82. 209. 214. tom. 6. pag. 112. successore relicto filiorum natu maximo Constantino Cæsare; qui imperium in Britannia auspicatus, ann. XXX. mens. IX. di. XXVIII. principatum obtinuit. Tom. 5. pag. 209—214.
- CCCVII. Februarii die XXVII. Constantinus ex Cæsare Augustus declaratus est. Tom. 5. pag. 214.
- CCCXI. Pace a Constantino Aug. ecclesiis reddita, Christiani ubique ecclesias renovant, et basilicas sanctorum martyrum construunt. Tom. 5. pag. 202. 234.
- CCCXIII. Basilica in honorem B. Albani, decem annis post passionem ipsius, Verolamii extracta fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 235.
- Vetus in urbe Wintoniensi monasterium denuo fundatum, et in honorem S. Amphibali a Constante Wintoniensi ecclesiæ pontifice, petente Dendato ejusdem monasterii abbate, dedicatum fuisse fingitur. Ibid.
- CCCXIV. Synodus Arelateosis habita: cui interfuerunt ex Britannia, Eborius Eboracensis episcopus, Restitutus Londinensis episcopus; et e colonia Londinensium, Adelfius episcopus, Sacerdos presbyter, et Arminius diaconus. Tom. 5. pag. 123. 175. 236.
- Amphibalus antistes, Modocus priscus, Calanus, Ferranus, Ambianus et

Anno Christi.

- Carnocus Culdei apud Scotos claruisse dicuntur. Tom. 6. pag. 183, 184.
- CCCXXII. S. Marnokus Culdeus mortem obiisse, et in Kil-marnok apud Cunninghamienses sub abbate Kilwinini sepultus fuisse dicitur. Tom. 6. pag. 184.
- CCCXXV. In synodo Nicæna Paschalis observantiæ constitutum est tempus, et Arianorum hæresis profligata; cum reliqua Ecclesia Catholica consentientibus hic etiam Britannis. Tom. 5. pag. 237.
- CCCXXXV. Hiberniam, mulierculæ cujusdam opera, Christianam fidem suscipisse quidam somniant. Tom. 6. pag. 316—318.
- CCCXXXVII. Maii die XXII. Constantinus Magnus obiit: tom. 5. pag. 214. tom. 6. pag. 380. relicta natu maximo filiorum Constantino Britannia; sed non, ut recentiores quidam volunt, Hibernia et Thule. Tom. 6. pag. 318. 319.
- CCCXLIII. Constans in Britanniam (quam cæso fratre Constantino occupaverat) hyeme navigans, Britannorum motus compescuit. Tom. 5. pag. 237. Vid. Jac. Gothofred. not. ult. in veterem orbis descriptionem hoc tempore editam: in qua Britannia insula, sicut qui ibi fuerint narrant, longe maxima et in omnibus præcipua, celebratur.
- CCCXLVII. Sardicensi concilio Britanniarum episcopi interfuerunt; atque ad Arianorum condemnationem et Athanasii absolutionem suum calculum adjecerunt. Tom. 5. pag. 237.
- Colmanus presbyter, qui postea præclarus episcopus extitit, in Hibernia claruit; et natum ibi S. Declanum Infantulum baptizavit. Tom. 6. pag. 334.
- CCCLII. S. Kiaranus Saigrius in Hibernia natus est. Tom. 6. pag. 336. 342. 473.
- CCCLIV. Pelagius Britannus, patrio nomine Morgan dictus, eodem quo B. Augustinus die in lucem editus fuisse dicitur. tom. 5. pag. 252.
- CCCLVII. Regulus Patrensis in Achaia cænobita partem reliquiarum S. Andree apostoli seposuisse, quod vero ex iis supererat Constantius imperator cum exercitu superveniens Constantinopolim transtulisse traditur. Tom. 6. pag. 187—194.
- CCCLVIII. Hilarius Pictaviensis, in Phrygia exul, librum de synodis adversus Arianos scriptum cum aliis in occidente fratribus tum provinciarum Britanniarum episcopis dicavit. Tom. 5. pag. 237. Ejus apud Britannos fama celebris. Ibid. pag. 116. 237.
- CCCLIX. Ariminensi synodo episcopi Britannicæ interfuerunt. Ibid. pag. 237.
- CCCLX. In “ Britannia Scotorum Pictorumque gentium ferarum excursu, rupta quiete conducta, loca limitibus vicina vastata” fuisse, prodit Ammianus Marcellinus. Tom. 6. pag. 116.
- Nello magno, Nœigiallach dicto, Hibernicæ monarchiam obtinente, sex filii Muredi regis Ultoniæ (quorum dux Reuda fuisse videatur) borealem Britannicæ partem occupasse dicuntur, ab eis Scotiam postea appellatam. Ibid. pag. 115. 252.
- Christianus quidam sacerdos multis annis ante Patricium Roma in Hiberniam missus fuisse dicitur, ut fidem Christi ibi seminaret: a quo S. Albeus puer baptizatus fuisse traditur. Ibid. pag. 332, 333.

Anno Christi.

- S. Dymma vir religiosus et sapiens in Hibernia claruisse, ibidemque Declanum et Carpreum (sanctos postea factos episcopos) in pueritia instituisse dicitur. Ibid. pag. 335.
- CCCLXII. S. Eliphius, filius regis Scotiæ, in urbe Tullensi, sub Juliano apostata, ob Christianæ fidei professionem gladio cæsus est. Tom. 6. pag. 336, 337.
- Frater ejusdem, S. Eucharius Tullensis episcopus, duæque sorores Libaria et Susanna, simili martyrio vitam finierunt. Ibid. pag. 337.
- Sororis eorumdem, S. Mennæ virginis, in ecclesia de Portu suavi Tullensis territorii celebris habetur memoria. Ibid. pag. 338.
- CCCLXIII. Britannica ecclesia, ad Athanasium et reliquos sedi Alexandrinæ subjectos episcopos scriptis literis, symboli Nicæni fidem approbat. Tom. 5. pag. 237.
- CCCLXIV. Picti, Saxones, Scoti et Attacotti Britannos ærumnis vexavere continuis. Tom. 6. pag. 116.
- S. Marnocus Niger eremita, Marnoci Culdei discipulus, in occidentali Scotiæ ora claruisse dicitur. Ibid. pag. 199.
- S. Kebius, filius Salomonis Cornubiæ ducis, a magistro suo Hilario Pictavorum antistite gradu episcopali accepto, in patriam reversus Meneviam concessisse, indeque Hiberniam petens, in quadam insula constructa ecclesia annis quatuor ibidem mansisse perhibetur. Tom. 5. pag. 237. et tom. 6. pag. 339, 349.
- SS. Mochellocus, Beanus, Colmanus, Lachninus, Mobus, Findlugus et Caminanus, apud Desienses in Campo scuti non procul a Lismoria septem claras cellas construxerunt. Tom. 6. pag. 335.
- CCCLXIX. Theodosius Hispanus comes, Theodosii senioris Augusti pater, Pictos et Scotos domuit: tom. 6. pag. 116. recuperatamque provinciam, quæ in ditionem concesserat hostium, ita reddidit statui pristino, ut et rectorem haberet legitimum, et ex Valentiniani senioris tunc imperantis nomine Valentia vocaretur. Tom. 5. pag. 121. et tom. 6. pag. 201. 376.
- Regulus, cum sociis suis, S. Andreæ reliquias secum deferens, in Albaniam appulisse dicitur: indeque Andreapolitanæ ecclesiæ prima jacta esse fundamenta, Hergusto Fergusii filio apud Pictos tum regnante. Tom. 6. pag. 185—199.
- S. Kebius episcopus, S. Hilarii Pictaviensis discipulus, relicta Hibernia, extremam vitæ partem in Moña sive Anglesea egisse traditur. Tom. 5. pag. 116. 340.
- CCCLXXII. S. Patricius, patre Calpurnio diacono, filio Potiti presbyteri, matre Conchessa, S. Martini Turonensis sororis filia, in extremis Britonum finibus, non procul a castro Dun-Britannico, in lucem editus est. Tom. 6. pag. 375—380.
- CCCLXXIV. S. Secundinus, qui et Sæchnallus, patre Restituto Longobardo, matre Darcera sorore S. Patricii, nascitur. Ibid. pag. 383, 384.
- CCCLXXVIII. Gratiano imp. legem ferente, ut quisque libere quæcumque religionem vellet sectaretur, Ariana hæresis Britanniam veneno sui infecit erroris. Tom. 5. pag. 239.
- CCCLXXIX. Maximus, natione Hispanus, ibid. pag. 241—243. Dux exer-

## Anno Christi.

- citus Britannici, icto cum Hergusto Pictorum rege fœdere, Scotos universos e Britannia expulisse dicitur. Tom. 6. pag. 120.
- Scoticorum sacerdotum ac monachorum exulum magna pars, in Iona insula cœnobio constituto, magnam suæ sanctitatis et eruditionis famam ad posteros transmisisse dicuntur. Ibid. pag. 240, 241.
- Hiberni ad pristinas sedes Scotos, cognatum populum, vi reducere frustra conantes, a Maximo pacem per legatos petere coacti fuisse feruntur. Ibid. pag. 121.
- CCCLXXXII. Secundus cyclus paschalis 84. annorum incipit. Ibid. pag. 492—496.
- Maximus, in Britannia a militibus imperator constitutus, incursantes Pictos et Scotos strenue superavit. Ibid. pag. 121, 122.
- Kiaranus, relicta patria Hibernia, Romam adiisse; ibique baptizatus, viginti annis sacrorum librorum lectioni incubuisse, fertur. Ibid. pag. 342.
- CCCLXXXIII. Maximus Britanniam ingenti juventute et omni armato milite spoliavit; militaribus Britannorum copiis, quæ nunquam postea redierunt, secum in Galliam transvectis: tom. 5. pag. 241. et tom. 6. pag. 122. quibus et minoris Britanniae agros, pulsus inde Armorice, illum distribuisse, atque Conanum Meriadocum illis præfecisse, Britannici nonnulli scriptores tradiderunt. Tom. 5. pag. 243. 484.
- Calpurnium Britannum, cum uxore Conchessa, duobus filiis, Patricio et Deochoin Sannan, et quinque filiabus, Lupita, Agride, Liamaina, Darrera, et Cinnenuma, relicta Ailcluada Britannica, Armoricam petiisse et inter Conchessæ cognatos consedisse, in Hibernicis scriptis legimus. Tom. 6. pag. 380, 381.
- Hunnos sub Guanio, et Pictos sub rege suo Melga, a Gratiano et Valentiniano missos in Germaniam ut Maximi fautoribus resisterent, in virginum catervam quæ, duce Ursula, ad nuptias cum novis Armoricæ colonis conficiendas e majore Britannia navigaverat, sævisse fabulator Galfridus narrat. Tom. 5. pag. 243, 244.
- Guanius et Melga, cum Hunnis et Pictis suis, Albaniam devastarunt: ut idem author significat. Unde alii gentem Gothicam Pictorum, e Scythiæ finibus a Gratiano et Valentiniano adversus Maximum evocatam, partem Britanniae aquilonarem ex prædonibus accolæ factos occupavisse retulerunt. Tom. 6. pag. 118, 119.
- Maximus tyrannus, in urbe Treverica sedem imperii sui instituens, Gratianum imperatorem circumventum dolis interfecit. Tom. 5. pag. 240. Gregor. Turonens. Histor. Francor. lib. I. cap. 38.
- CCCLXXXVII. Maximus in Italiam irrumpens, Valentinianum imp. inde expulit. Tom. 5. pag. 241.
- CCCLXXXVIII. Maximus occisus est: tom. 6. pag. 123. nunc "in inferno," ut in oratione funebri de exitu Theodosii habet B. Ambrosius, "docens exemplo miserabili, quam dirum sit arma suis principibus irrogare."
- Patricius, cum duabus sororibus suis, a Scoticis piratis in Hiberniam abductus est; sororibus in agri Louthiani Conalliam, ipso vero in septentrionalem partem Dal-araidæ apud Claneboianos vendito; ubi porcorum Milchonis reguli pascendorum cura illi demandata est. Ibid. pag. 384—390.

## Anno Christi.

- Britanni hisce temporibus Romam, Hierosolyman et Syriam invisere soliti. Tom. 5. pag. 247. 248.
- S. Albeus ex Hibernia Romam petiisse, ibique apud episcopum quendam Hilarium dictum sacras literas didicisse dicitur. Tom. 6. pag. 342.
- Ibarus, qui et Yvorus, apud Ultonienses in terra Cruintain (regnante ibidem Colmano Nemani filio) natus, a S. Motta abbate bonis literis eruditus fuisse scribitur. Ibid. pag. 335.
- Pelagius Britannus, ante publicatam suam hæresim, tres de fide Trinitatis libros edidit. Tom. 5. pag. 257.
- Celestius Scotus, adhuc adolescens, scripsit ad parentes suos de monasterio epistolas in modum libellorum tres. Ibid. pag. 254—257. et tom. 6. pag. 340.
- Johannis Chrysostomi, de fide Christianæ professione in Britannicis nostris insulis conservata, luculenta testimonia. Tom. 6. pag. 340, 341.
- CCCXCIII. Scoti a Circio et Picti ab aquilone vastaverunt insulam Britanniam. Ibid. pag. 123.
- CCCXCV. Patricius, anno septimo a Milconis servitute liberatus, in nautarum qui eum ex Hibernia transvexerunt patria verbum Dei prædicavisse, ac multos ad Christum convertisse dicitur. Ibid. pag. 386—390.
- CCCXCVI. Scoti in Britanniam redeunt: quam Stilicho adversus ipsorum et Pictorum incursionem munivit, Romana legione in limite ad eos propulsandos constituta. Ibid. pag. 123, 124. et tom. 5. pag. 385.
- CCCXCVII. Rufinus e Palæstina Romam rediens, Origenis errores in urbem intravit: ubi eum contra peccatum originale disserentem Celestius audiit. Tom. 5. pag. 249, 250. 261.
- S. Patricius secundo in captivitate ductus est; quam sexaginta tantum diebus pertulit. Tom. 6. pag. 390.
- Idem, post paucos annos, in Britanniam ad parentes rediit. Ibid.
- S. Albeus a magistro suo S. Hilario episcopo ad Romanum pontificem missus fuisse dicitur, ut ab eo episcopus ordinaretur; mansisseque apud eum uno anno et quinquaginta diebus, una cum quinquaginta viris sanctis qui de Hibernia eum sunt secuti; in quibus præter XII. Colmanos, XII. Coemgenos, et XII. Fintanos; etiam S. Declanus cum suis discipulis, fuisse perhibetur. Ibid. pag. 343.
- CCCCI. Patricium diebus XL. ferunt quidam commoratum cum avunculo suo Martino Turonensi episcopo: qui [ad CCCC. referendum contendit Bucherius; ad calcem tom. I. Chapeavil. de reb. episcop. Leodiens.] hoc anno III. Id. Novembr. ex hac vita transiisse putatur. Ibid. pag. 391—393.
- Regulus abbas, annis XXXII. postquam in Albaniam venerat, grandævus mortem obiisse traditur. Ibid. pag. 196.
- S. Albeus episcopus, a Romano pontifice ad regionem quandam gentilitia superstitione adhuc laborantem missus, multis ad fidem conversis, monasterium ibidem construxisse et sanctos filios Guill in eo reliquisse memoratur. Ibid. pag. 346.
- CCCCII. B. Patricius, ætatis annum trigesimum, sacra discendi studio, itineribus toto septennio continuatis, Gallias atque Italiam, et insulas quæ sunt in mari Tyrrheno perlustravit: ut ipse in commemoratione

## Anno Christi.

- laborum suorum significat. Tom. 6. pag. 448—450. Unde Italiam ingressus, annis XXX. ante adventum suum in Hiberniam, S. Declanum et S. Kiaranum, a Romano pontifice episcopos ordinatos et ad evangelium Hiberniensibus prædicandum missos, obvios ibidem habuit: fraternisque salutationibus invicem peractis, ipse Romam petiit, ubi diutius sacris literis discendis operam dedisse perhibetur: illi cum comitibus suis in Hiberniam perrexerunt. Ibid. pag. 343, 344. 393.
- S. Declanus Desiensibus popularibus suis evangelium prædicans, eorum multos ad fidem conversos baptizavit; et discipulis in congruis locis ad opus Dei promovendum dispositis, ipse Ardmoriæ sedem suam episcopalem collocavit. Ibid. pag. 346. 428. Vid. et pag. 233. de ejus adventu in regionem Breg.
- S. Kiaranus, Saigriæ in Eliensl territorio sede posita, et matrem Liadanam et gentis suæ Ossoriensis plurimos ad fidem Christi convertit. Ibid. pag. 345.
- Quinque clerici Hiberniæ, qui Kiaranum comitantes in Italia Patricio facti sunt obvii, quinque sedes episcopales in provincia Laginiensi obtinuerunt: Lugacius apud Cill-airthir, Columbanus apud Cluain-ernain, Meldanus apud Cluanocrema, Lugadius apud Fordrum, et Cassanus apud Domnach mor Maigechnach. Ibid. pag. 344.
- S. Finianus abbas, ex Scotorum Culdeorum genere ortus, floruisse dicitur. Ibid. pag. 199.
- CCCCIII. Romanæ militiæ magister Stilicho legionem, quam ad propulsandos Scotos et Pictos in extremo Britannorum limite collocaverat, in Italiam revocavit; cum Alarici Gothorum regis exercitu in Pollentino prælio conflicturam. Ibid. pag. 123.
- Fergusium, Erci vel Erthi filium, exulantes Scotos in Albaniam reduxisse, Scotici tradunt annales. Ibid. pag. 127.
- CCCCV. A Scotis et Pictis infestatos esse Britannos, et S. Rieraninum obiisse, in annalibus Connaciensibus legimus. Ibid. pag. 339.
- Pelagius monachus, quem quidam Cantabrigiensem doctorem, alii Bangorensium abbatem fuisse fingunt, in partibus Roinanis degens, post captam prius B. Augustini benevolentiam, scripta ad Paulinum Nolanum episcopum epistola sub nomine gratiæ facultatem et possibilitatem naturæ commendans, hæreseos suæ prima jecit fundamenta. Tom. 5. pag. 250—262.
- Johannes Chrysostomus, Arabissi exulans, Pelagii lapsum deplorat. Ibid. pag. 260.
- CCCCVII. Gratianus municeps apud Britannos imperator creatus, post menses quatuor a militibus est occisus. Ejus loco Constantinus ex infima militia electus, continuo ut invasit imperium, in Gallias transit: atque ita quicquid prius a Maximo tyranno in Britannia relictum fuerat militaris roboris exhausti; Pictisque, cum Scotis et Dacis, Albaniam frequentatione Barbarorum penitus vastatam occupantibus insulam reliquit devastandam. Ibid. pag. 427. et tom. 6. pag. 120. 128.
- CCCCVIII. Constantinus tyrannus filium suum Constantem ex monacho Cæsarem ordinavit. Tom. 5. pag. 427. Transrhenani barbari adversus Constantinum in Gallia rebellantes, co Britannicæ incolae redegerunt, ut ab

Anno Christi.

imperio Romano deficerent; et suis se armis a barbaris imminentibus liberarent. Tom. 6. pag. 128.

CCCCIX. Patricianæ peregrinationis septem anni finiuntur: unde ad episcopatum S. Germani, in cuius disciplinam Patricius sese postea tradidit, anni numerantur novem. Tot vero annos egisse illum in quadam insula inter montes et mare narrat Probus. Tom. 6. pag. 394. In Tamerensi insula transactos novem annos ab eo fuisse, vitæ ipsius scriptor refert, qui MSS. in bibliotheca collegii Societatis Jesu Ingolstadii asservatur. Est Camaria insula, Camargue vulgo dicta, non procul ab Arelatensi metropoli ad ostium Rhodani posita. An hæc sit Aralatensis illa insula, pro Arelatensi, Tirechano nominata, ibid. pag. 393. et Tamerensis aliorum (quomodo Dionysii Periegetæ Camaritas, ad mare Caspium, Festi Avieni Tamaritas esse, in thesauro suo geographico monuit doctissimus Ortelius) viderint quibus tantum est otii.

CCCCX. Roma ab Alarico Gotho capta est: tom. 5. pag. 263. cuius direptioni Fergusium Scotum Erthi filium interfuisse; indeque libros quosdam secum delatos in Iona insula perpetuo servandos deposuisse, fabulatur Hector Boethius: tom. 6. pag. 124—126. 241.

Cyclus 84. annorum, ex quo paschales Dominicæ a Luna XIV. ad XX. supputabantur, a Sulpitio Severo introductus est: quem et Britones, cum Pictis et Scotis receperunt. Tom. 5. pag. 368. et tom. 6. pag. 495—501.

CCCCXI. S. Meliorem sive Melorum in Britannia hoc anno passum refert Philippus Ferrarius: quum Capgravius, ab eo citatus, in ipsis Christianæ fidei a Britannis acceptæ primordiis id contigisse narret. Tom. 5. pag. 516.

Constans, ex monacho primum Cæsar deinde Augustus designatus, et pater ejus Constantinus, in Gallia cæsi sunt: atque Britannia, in hisce partibus Romanæ reipublicæ cella penaria (ut eam in Batavia sua recte celebrat Hadrianus Junius) militum inde abductorum præsidio nudata, a Romanis est amissa. Ibid. pag. 263. et tom. 6. pag. 128, 129.

In Britannica historia, post tertium Aetii consulatum (qui in annum Christi CCCXLVI. incidit) Pictis et Scotis Britanniam devastantibus, Guitelinus Londinensis archiepiscopus Constantinum fratrem Aldroeni regis Armoricæ cum exercitu in patriam perduxisse, regem inunxisse, et cum conjuge (quam ex nobili Romanorum genere ortam ipse educaverat) copulasse memoratur. Post decennium vero a Picto quodam occiso Constantino, filius ejus primogenitus Constans, Wintoniæ in ecclesia Amphibali vitæ monasticæ addictus, in regno illi successisse dicitur; eoque Londini Pictorum familiarium prodicione mox perempto, Vortigernus, qui Saxones huc invitavit, regnum occupavisse: duobus junioribus Constantini filiis in cunis adhuc jacentibus, Aurelio Ambrosio et Utherpendracone, in Armoricam, ut ejus insidias effugerent, nutritorum cura abductis. Tom. 5. pag. 89, 90. et 424—426. Verum priscae historiæ fidem recentioribus hisce figmentis longe esse præferendam, nemo prudens dubitaverit.

CCCCXII. Celestius Scotus, Pelagii Achates, in Carthaginiensi synodo damnatus, ad Innocentium I. Romanum pontificem frustra appellat: tom. 5. pag. 267. quem et ipsum Scotum fuisse, recentiorum nonnulli ridicule sunt opinati. Tom. 6. pag. 128.



## Anno Christi.

- S. Albeus cum sociis suis in patriam reversus, ad aquilonalem Hiberniæ partem navigiolum appulit: ubi, eo jubente, Colmanus unus e familia ipsius cellam ædificavit, quæ Chell-ruaid est appellata. Ipse vero Albeus, rege Dal-araidensi Fintano ad fidem converso et baptizato, circuibat totam Hiberniam, Christo multos lucrificans. Tom. 6. pag. 346, 347. De ejus regula, vid. *ibid.* pag. 484.
- S. Ninianus Britannus, Candidæ Casæ episcopus, Australes Pictos ad fidem Christi convertit. *Ibid.* pag. 200—209. Frater quoque ipsius, S. Plebeias, cum eo vixisse dicitur. *Ibid.* pag. 209.
- CCCCXVIII. Romani qui in Britannia relictī fuerant, a barbarorum gentium minis sibi metuentes, thesaurorum suorum magna parte in scrobibus occultata, reliquam secum in Gallias detulerunt. *Ibid.* pag. 129.
- S. Amatori Antissiodorensi episcopo Calendis Maiis defuncto S. Germanus successit, a præfectura sæculari raptus ad sacerdotium: in cuius disciplinam sese tradidit noster Patricius. Tom. 5. pag. 436. et tom. 6. pag. 395—398. 456.
- Gunifortus Scotica gente natus, persecutione in patria fervente, una cum fratre Gunibaldo et duabus sororibus, in Germaniam profectus fuisse dicitur. Ibi duæ sorores virgines cruentissima cæde palmam martyrii adeptæ, fratres vero inde in Italiam discedentes ad Camaram usque civitatem pervenisse, eodemque in loco (ut Jacobus Guallus significat) vel Comi (ut alii malunt) Gunibaldus cruento mactatus gladio, Mediolani vero Gunifortus ab infidelibus confixus sagittis fuisse traditur; et quidem Theodosio Mediolani tum agente, si Thomæ Dempstero credimus: qui minus consideravisse videtur, flagrantem hanc in Italia et reliquo occidente persecutionem Maximiani alicujus potius, quam Christiani imperatoris Theodosii, tempora decuisse. Tom. 6. pag. 348, 349.
- CCCCXX. Fastidius Britannorum episcopus, scripsit ad Fatalem quandam de vita Christiana librum unum, et de viduitate servanda alium. Tom. 5. pag. 364, 365.
- S. Ninianus, relicta Candida Casa, cum discipulis suis Hiberniam petiisse, ibique impetrato a rege loco amæno Cluayn-Coner dicto, cœnobium magnum constituisse dicitur. Tom. 6. pag. 209.
- S. Ibarus missus ad evangelium prædicandum per Hiberniam, innumeros ad fidem Christi convertisse fertur, et precibus suis cum alias regni partes tum præcipue regionem Magni Colmanni regis Midiæ a pestilentia liberasse. Commoratus ille est in Campo Gessyl, in Arranicis insulis, potissimum vero in Beg-ery insula non procul a Wexfordia. *Ibid.* pag. 348.
- B. Augustini de fide in occidentalibus insulis recepta testimonium. Tom. 5. pag. 13. et tom. 6. pag. 353.
- CCCCXXII. Cum Britanni a Circio quidem (id est, ex Hibernia) Scoti, ab aquilone vero Picti, prima illa a Gilda commemorata dirissima vastatione conculcarent; illi subjectionem Romano imperio repromittentes, ab Honorio Augusto legionem auxiliarem impetrarunt: quæ, hostibus depulsis, subjectos cives ex imminente captivitate liberavit. Tom. 6. pag. 122, 123. 129, 130.
- Insulani murum cespitium, prorsus inutilem, inter fretum Dunbritanni-cum et Edenburgicum construxerunt. *Ibid.* pag. 131, 132.
- CCCCXXIV. S. Ercus, primus Slaniæ episcopus, natus est. *Ibid.* pag. 410.

Anno Christi.

- CCCCXXV. Gildas Albanus (patre Cauno sive Navo, quem alii libri Scotorum alii Pictorum regem fuisse referunt) in Argathelia ad Cluidam fluvium natus est; triginta annis ante adventum ipsius in Galliam. Tom. 5. pag. 509. et tom. 6. pag. 216.
- Secunda a Gilda commemorata vastatio; qua Scoti et Pieti, Romana legione revocata, ruptis terminis, obvia quæque miserorum Britonum obtulerunt. Tom. 6. pag. 133, 134.
- Oppressi Britanni, ad Valentinianum III. (ex Cæsare nuperrime factum Augustum) legatione missa, novam legionem auxiliarem e Galliis transmissam obtinuerunt: quæ, Gallionis Ravennatis ductu, Pictos et Scotos anniversarias prædas agentes tempore autumnii trans maria fugavit. Ibid.
- CCCCXXVI. Muri cespititii loco lapideus est erectus: et in litore oceani ad meridianam plagam, adversus barbarorum incursiones, turres per intervalla ad prospectum maris sunt collocatæ. Tom. 6. pag. 134—140.
- CCCCXXVII. Gallo ex Britannia et Mavorius ex Ravenna in Africam contra Bonifacium missi, in ipsa exsensione, profigatis eorum copiis, sunt interfecti. Tom. 6. pag. 132.
- Læogarius, Nelli magni, Næigiallach dicti, filius, in Hibernia regnare cœpit. Ibid. pag. 517.
- CCCCXXVIII. " Felice et Tauro consulibus Saxones ad Britanniam venisse, et a Guortigirno susceptos fuisse," anonymus Nini interpolator; " partem Galliarum propinquam Rheno, quam Franci (Saxonibus contermini) possidendam occupaverant, Aetii comitis armis receptam," affirmat Prosper in chronico: quo tempore Theodemeri regi Francorum (Faramundo aliis dicto) filio Richemeris interfecto, filius ejus Chlogio sive Chlodio in regno Franciæ successisse existimatur. Tom. 5. pag. 460.
- Timotheum quendam contra divinam et humanam in Christo naturam impie inter Britannos disputavisse, male traditum est a recentioribus. Ibid. pag. 365, 366.
- Rosinus Floridus, homo Utopicus, a Celestino P. Scotorum episcopus consecratus fuisse fingitur. Tom. 6. pag. 350.
- CCCCXXIX. Agricola Pelagianus (quem eundem cum Leporio fuisse, sine ulla ratione, statuit Balæus) Severiani episcopi Pelagiani (quem cum Severo Sulpitio Aquitano temere confundit idem) filius, ut in chronico suo refert Prosper, ecclesias Britannicæ (non Hibernicæ, ut Onuphrii habet editio) dogmatis sui insinuatione corrupti. Sed actione Palladii diaconi, papa Celestinus Germanum Antissiodorensis episcopum vice sua mittit; et, deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem redigit. Tom. 5. pag. 366—369.
- Ad Celestini auctoritatem accessit etiam hic numerosæ Gallicanorum episcoporum synodi calculus: qui Britannorum legatione audita, Germanum Antissiodorensis et Lupum Tricassinæ ecclesiæ episcopos, ut huic rei gerendæ maxime idoneos, in Britanniam mittendos delegerunt. Ibid. 371—373.
- Præclari pontifices, temporibus hybernis mari se committentes (ut in vita Lupi legimus) sedata in oceano oborta tempestate, Britannica potiri arena, in synodo Verolamii habita perversi dogmatis patronos divinatorum testimoniorum auctoritate confutarunt. Ibid. pag. 374, 375. Ubi Ger-

Anno Christi.

manus, disputatione finita, S. Albani sepulchrum reclusisse; aliorumque sanctorum reliquiis ibi depositis, massam pulveris sanguine martyris adhuc rubentem in patriam secum asportavisse memoratur. Tom. 5. pag. 376, 377.

Druides sive Magi Hibernici adventum B. Patricii ante triennium prædixisse perhibentur. Tom. 6. pag. 412.

CCCCXXX. Cum Saxones Pictique bellum adversus Britones junctis viribus susciperent; maxima pars exercitus Britannici tempore quadragesimali a Germano et Lupo baptizatur: et peracta solennitate paschali, celebris illa victoria Alleluatica obtinetur. Tom. 5. pag. 381—386.

Miracula per Germanum et Lupum hic edita, a Constantio in vita S. Germani, Gilda in libro de victoria Aurelii Ambrosii, et aliis commemorata. Ibid. pag. 384, 385.

De Ketelo vel Cadello solumbo a S. Germano ad regnum evecto, ibid. pag. 384. Christianismo in Britannia deficiente, ibid. pag. 386, 387. Dubricio in dextrali Britannia, sive Australi Cambria, ibid. pag. 102, 103. 388. et Patricio in Scottiis ac Britannis, archiepiscopo a Germano et Lupo constituto, tom. 6. pag. 399, 400. Cantabrigiensibus doctoribus ad Pelagianam hæresim debellandam cooperariis ab eis assumptis, tom. 5. pag. 388, 389. atque Oxoniensis academiam institutis a Germano, per anni dimidium illic moram trahente, comprobatis, ibid. pag. 381—384. fabulæ.

S. Germanus in Galliam rediens, Briocum (e territorio Corcagiensi, ut quidam volunt, oriundum) in pietatis disciplinis instituendum, secum abduxisse dicitur: eum videlicet, qui Briocensis in Britannia Armorica ecclesiam primus fuit episcopus. Ibid. pag. 393, 394.

CCCCXXXI. Scoti et Picti totam aquilonalem extremamque Britanniam partem, vacuum prope indigenis, usque ad murum illum lapideum inter fretum Dunbritannicum et Edenburgicum ante quinquennium constructum, capessunt: tom. 6. pag. 140. indeque tertiam illam a Gilda commemoratam vastationem adorsi; muri custodibus deturbatis, muro ipso rupto, et indigenarum intra murum horribili cæde strageque facta, miseros Britannos civitatibus derelictis ad solitudines confugere coegerunt: ibid. pag. 141, 142. qua in re Scotorum Albiensium historici strenuam Grimi vel Graimi cujusdam operam prædicant: a quo perfossum illum murum Graham's dike vel Grime's-dike appellationem ad hodiernum usque diem retinuisse volunt. Ibid.

Ad Scotos in Christum CREDENTES ordinatum a papa Celestino Palladium episcopum missum fuisse, testatur Prosper in chronico. Tom. 5. pag. 367. et tom. 6. pag. 353, 356. Unde vel explicandum vel corrigendum, quod in libro contra Cassianum idem prius scripserat, Celestinum, ordinato Scotis episcopo, barbaram insulam (sic enim Hiberniam appellat) fecisse Christianam. Tom. 5. pag. 367. et tom. 6. pag. 352, 353, 354.

Quomodo Palladius primus Scotorum sive Hibernorum dictus fuerit episcopus, tom. 6. pag. 354, 462. Romanæ ecclesiam fuit ille diaconus; non vitæ Chrysostomi acriptor, aut Græcus aliquis Palladius. Ibid. pag. 356—366.

A Celestino ad prædicandum Hibernis cum duodecim aliis missus, in Laginiam advenisse traditur; ibique tribus fundatis ecclesiis discipulos suos,

## Anno Christi.

Augustinum, Benedictum, Silvestrum et Solonium præfecisse. Tom. 6. pag. 368, 369.

Cum ibidem princeps loci, Nathi filius Garrchon, illi resisteret, et feri homines doctrinam illius nolent suscipere; in Albaniam inde profectus, S. Servanum a se ordinatum episcopum ad Orcadas insulas (ut populum rudem Christiana pietate institueret) misisse, S. Tervanum et baptizavisse et Pictorum postea archiepiscopum constituisse; atque Forduni demum in terra Pictorum XVIII. Calend. Januar. mortem obiisse dicitur: *ibid.* pag. 405. 368, 369, 370. 398. 210, 211, 212. quum ista tamen de Tervani archiepiscopatu et Servani ad Orcadienses legatione (si qua fuit) Palladii excessu longe posteriora fuisse, temporum evincat ratio.

CCCCXXXII. Audita morte Palladii, Patricius a Germano Antissiodorensi episcopo Romam, una cum Segetio presbytero ad Celestinum P. missus; ab Amatore vel Amathæo quodam, ut volunt nonnulli, ab ipso vero Celestino, ut alii, episcopus consecratus est: Auxilio presbyteri, et Ysernino diaconi ordine, eodem tempore, collato. Tom. 6. pag. 396—400. 370, 371.

Patricius ad convertendos Hibernos loco Palladii missus, secundus eorum archiepiscopus a Celestino constitutus est: *ibid.* pag. 355. 360. 399. 400. 463. priore Magonii, quod a S. Germano acceperat, nomine in novum Patricii commutato. *Ibid.* pag. 400. 378. 395.

Patricius, cum XX. comitibus, (quorum unus Germanus Lateranensis canonicus fuisse dicitur) instituto in Hiberniam itinere, ad præceptorem suum B. Germanum Antissiodorensis episcopum divertisse, et apud Britannos in partibus Cornubiæ et Cambriæ (ubi et Meaveiæ cœnobium eum construxisse ferunt) aliquamdiu substitisse traditur. Tom. 5. pag. 106. 508. 540. et tom. 6. pag. 401—404. 378.

Septembris die XVI. S. Ninianus Britannus, qui Pictos australes ad fidem Christi convertit, mortem obiisse scribitur. Tom. 6. pag. 209, 210.

Primo anno pontificatus Xysti, qui in Romanæ ecclesiæ regimine successit Celestino, B. Patricius cum familia sua ad Wicloanum sive Deæ portum in regione Evolenorum appulit. Tom. 6. pag. 371. 404, 405. 442, 443. Familia illa ex XXXIV. viris constabat: quorum XXIV. discipuli ipsius fuisse memorantur. *Ibid.* pag. 404. In his erant et sororum B. Patricii filii, Tigridiæ quidem, Brochadius, Brochanus, Mogenochus, Lumanus, et alii, facti omnes postea episcopi; *ibid.* pag. 381, 382. Dareræ vero ex Coni marito, Mel, primus Ardachadensium episcopus, Riochus, abbas monasterii Inis-bo-Finde in stagno Righi, et Munius; atque ex Restituto marito altero, S. Nechtanus episcopus, S. Dabonna, S. Magornanus, S. Darioeus episcopus et S. Lugnathus. *Ibid.* pag. 382.

Patricius, Sinello filio Finchadi Hibernorum omnium primo baptizato, a Deæ portu ad castellum Raith-inbheir dictum, indeque ad insulam Holme-Patricke profectus est. *Ibid.* pag. 405.

Carantocus Britannus Patricium in Hiberniam secutus est: ubi, cum multos uterque secum haberet clericos, placuit ut in diversas insulæ partes alter ab altero discederet. *Ibid.* pag. 407.

Patricius, relicta Lagenia, Ultoniam adiens, Dichonem filium Trichimi cum universa sua familia ad fidem Christi convertit: a quo locum non longe ab urbe Dumensi positum, Hibernis Sabhull Padhrig, hoc est, Horreum

## Anno Christi.

(id enim ea vox Hebridianis hodieque denotat) Patricii appellatum, dono accepit. Tom. 6. pag. 405, 406.

CCCCXXIII. Patricius ad antiquum suum dominum Milconem Clancboianum regulum Christo lucrificandum profectus, illo se et sua omnia incendio absumente, duas ejus filias Emerias dictas baptizavit; et Sabalum ad domum Dichonis iterum reversus est. Ibid. pag. 406, 407.

Postea, Dichone relicto, cum discipulis suis ad portum Colbdi juxta Boini fluminis ostium appulit: relictoque ibi cum navigio nepote suo Lumano, ad campum Breg, ubi Themoriæ pancgyris a Lægario monarcha et reliquis Hiberniæ regibus eo tempore agebatur, perrexit; ubi in itinere Sesceno hospite suo cum tota familia baptizato, et puero Benigno (ipsius in ecclesia Armachana postea successore) secum abducto, primum Pascha celebravit. Ibid. pag. 407—411.

In vigilia paschali accersito ad Lægarium per nuncios Patricio, eorum unus Ercus filius Deگو, Slaniæ postea episcopus, illi assurgens Deo credidit: die vero sequente, quo Dominicam paschalem die Martii XXVI. omnes cycli hoc anno exhibent, regi et omnibus ipsius convivis in cœnaculo Themoriæ ipse se stitit: ubi illi assurrexisse, et Christo nomen dedisse traditur, tum Dubtachus filius Vulgairi poeta egregius, tum Fingar sive Guigerner; quem idcirco, a patre suo Clitone rege ex Hibernia pulsum, in Armorica cum sociis exulasse ferunt. Ibid. pag. 409—412.

Lægario, quod doctrinæ ipsius vehementer feritisset, interminatus est Patricius, ex ejus progenie nullum regem postea futurum: illo uno excepto quem regina, Christianam fidem jam amplexata, gestabat in utero. Ille vero natus Lugaidus dicebatur. Tom. 6. pag. 517.

Patricius, peracta cum Magis concertatione et rege Lægario in incredulitate sua relicto, ad locum agonis regalis Tailltean dictum profectus, Carbreum regis fratrem frustra convertere tentavit: tertium vero fratrem Conallum nomine (S. Columbæ proavum) baptizavit; atque in loco ipsi ab eo donato, Domnach Padraig postea dicto, ecclesiam et monasterium constituit. Ibid. pag. 412, 413.

S. Lumanus, Tigridiæ sororis S. Patricii filius, quum in portu Colbdiano juxta hodiernam Pontanam duobus dierum quadragenariis avunculum frustra expectasset, adverso Boyno flumine ad urbem Trimmensem navigio vectus, Fairtchernum cum matre sua Britonissa et patre Fedelmido, loci domino, totaque ejus familia baptizavisse traditur. Indeque a Patricio et Lumano, qui eam regionem a Fedelmido dono acceperunt, ecclesia Trimmensis primum est fundata. Ibid. pag. 413, 414.

CCCCXXXIV. Patricius, relicto charissimo suo Conallo (sic enim Jocelinus cap. 55. et 138. eum nominat) ex Midia in Connaciam iter suscepit; oraculi memor, quo olim clamorem ex illis partibus auxilium ipsius implorantium audire sibi visus fuerat. Tom. 6. pag. 390. Ubi, novo cum Magis inito certamine, duodecim horinum millia ad fidem Christi convertisse, et septem filios regis Amalgithi uno die baptizavisse, populoque noviter converso magistrum Mancenum præfecisse, memoratur. Ibid. pag. 425, 426. In Connacia quoque septem annis commoratus fuisse dicitur ipse Patricius. Ibid. pag. 430.

CCCCXXXIX. Secundinus, Auxilius et Isserninus episcopi missi sunt in Hiberniam, in auxilium Patricii: tom. 6. pag. 401. 437, 438. quorum duo

## Anno Christi.

- priores, Restituti Longobardi et Darercæ sororis S. Patricii fuerunt filii; eorumque alter in Domnach-seachlain, alter in Ceallusalli sedem suam episcopalem collocavit. Tom. 6. pag. 383, 384.
- CCCCXLIII. Patricius in loco hodie Ard-Patrick ab eo dicto ad orientalem Louthiæ partem commoratus, S. Motheo Britanno (quem Bachiarium illum fuisse, cujus ad Januarium de recipiendis lapsis extat epistola, recentiores perperam existimant) ad se venienti Louthiam concessit; qui primus Ludunensis numeratur episcopus. Ibid. pag. 415, 416.
- Louthia discedens Patricius, ecclesiam Clochorenssem condidit: ibidemque discipulo suo S. Kertenno sive Mackartino successore relicto, Feartæ (a Dairo loci domino sibi donatæ) ad orientalem Armachiæ partem cum suis consedit; ubi et soror ipsius Lupita virgo sepulta jacet. Ibid. pag. 381, 416.
- CCCCXLV. In saliceto, quod ab eodem Dairo accepit, Drum-sailech dicto, B. Patricius Armachiam fundavit; eamque ecclesiam totius Iiberniæ primariam atque metropolitancam constituit. Ibid. pag. 414, 418, 419, 438.
- Ad cladem, quam Britannis Picti et Scoti attulerant, magna accessit fames; quam solo venatoriæ artis solatio sublevabant. Ibid. pag. 141.
- CCCCXLVI. Aetii Romanæ militiæ magistri, in Gallia tunc agentis, auxilium Britanni frustra implorant: tom. 5. pag. 424. et tom. 6. pag. 143. de quo ita Blondus, Decad. 1. lib. 2. "Britanni a Scotis Albiensibus Pietisque agitati, ab Ætio postularunt ut copias sibi mitteret, in illarum supplementum, quas Valentinianus ex Senonibus missas paulo post in Africam fecerat transportari. Ætium vero Gallicanæ expeditionis cura imprimis occupaverat: et Hunnorum apparatus, qui dietim nunciabantur, deterrebant, ne quas haberet copias diminueret. Qua ratione nequivit Britannorum precibus satisfacere." Rex vero Hunnorum erat tunc Attila; qui, ut Marcellini comitis verbis rem narrat Beda, lib. 1. hist. cap. 13. "totam pene Europam, excisis inuisisque civitatibus atque castellis corrosit." Regem quoque Vandalorum "Gensericum in Scotiam ac Britanniam transivisse," scribit Irenicus, ibique "se retinuisse, usque dum Attilæ superbia deferbuerat:" tom. 5. pag. 464, 465. de quo tamen altum apud nostros silentium: nisi huc fortasse spectare quis putaverit Gervasii Tillesburiensis illud. "Sub Cantabrigia locus erat, Vandelbiria dictus; eo quod illic Vandali, Britannicæ partes sæva Christianorum peremptione vastantes, castrametati sunt. Ubi ad monticuli apicem fixere tentoria, planities in rotundum vallata circumcluditur, unico ad instar porte aditu patens ad ingressum."
- CCCCXLVII. Britanni quarto ante Anglo-Saxonum adventum anno, regem sibi præfecerunt Vortigernum: anonymo Nini interpolatore qui a vero tempore adventus Anglorum aberravit longius, et Matthæo Florilego qui ad rectam illius designationem accessit proxime, in hoc consentientibus, tom. 5. pag. 460, 461. Infaustus vero hic tyrannus, ut eum appellat Gildas, cum propria filia incestis nuptiis initis, filium ex ea sustulisse dicitur, Faustum nominatum. Ibid. pag. 439, 440.
- Ejusdem quoque tempore Christiana fides iterum corrumpi cœpta est; tum Pelagiæ (qua et ipsum Vortigernum contaminatum fuisse aiunt) tum Ariana hæresi in Britannia denuo crumpente. Ibid. pag. 429.

Anno Christi.

**D**ira fame profugos Britannos infestante, alii hostibus manus dare coacti sunt; alii strenue resistentes, et non in homine sed in Deo fidentes, strages hostibus dabant: tom. 5. pag. 425. et tom. 6. pag. 143. quo et illud Blondi referendum. "Romani cives, qui Britanniam frequentes diversis respectibus inhabitabant, et ipsi simul Britanni, salutis desperatione animos faciente, arma ceperunt: et Scotos Albienses Pictosque, a quibus agitabantur, prælio superarunt; ac in ulteriorem insulæ partem recedere compulerunt." Verum Scotos grassatores domum in Hiberniam suam esse reversos, Gildam et Bedam authores hic habemus locupletissimos: qui et Pictos in extrema parte insulæ tunc primum et deinceps requievise addunt. Tom. 6. pag. 143, 144.

**V**idens S. Patricius (ut in vita ipsius cap. 92. habet Jocelinus) in Hibernia messem quidem multam, operarios vero paucos; transfretavit in Britanniam, adquisiturus sibi condutores in agrum Dominicum et cooperarios. Ubi et patriotarum suorum multos Pelagiana et Ariana hæresi infectos ad viam veritatis reduxit. Tom. 5. pag. 429. "Collectos denique viros multos literatos et religiosos secum adduxit: e quibus triginta in episcopalis officii fastigium postea sublimavit." In reditu vero ad insulas maris convertendas divertens, in Mannia discipulum suum Germanum, in aliis insulis "singulos aut etiam plures præfecit præsules de discipulis suis; sique Hiberniam repetiit." Tom. 6. pag. 179—181. 401.

**CCCCXLVIII.** S. Secundinus sive Saehnallus, hymno in laudem S. Patricii avunculi sui composito, Hibernicorum omnium episcoporum primus in terra illa mortem obiit, et in ecclesia sua de Domnach-seachlain sepultus est. Ibid. pag. 383. 437, 438. Post cujus mortem habita videtur synodus Patricii, Auxilii et Issernini: cujus adhuc superstites habemus canones. Ibid. pag. 491. 510.

**P**atricius, per Midiam ad Lageniam progressus, Dublinienses cum rege suo Alpino ad fidem Christi conversos baptizavisse, et sedi suæ Armachanæ tributarios fecisse dicitur: ibid. pag. 422—424. filios quoque Dunlainge similiter baptizavisse; et aquilonalium Laginiensium, quibus illi præerant, nepotem suum Auxilium episcopum constituisse. Ibid. pag. 384. Fiechum denique, Dubtachi poetæ (de quo, ad annum 433.) discipulum episcopum ordinavisse; qui ipsius jussu gentem Ceanselach ad fidem convertit et baptizavit. Unde ipsi, et ejus in sede Sleibhtiensi successoribus, totius Lageniæ archiepiscopatum collatum fuisse ferunt. Ibid. pag. 374. 410. 424. 425.

**M**eroveus, filius (ut a Sigeberto, Blondo et Krantzio non male est traditum) Clodionis sive Chlogionis, in Francia regnare cœpit: a quo sequentes Francorum reges Merovingorum nomen tulcrunt. Tom. 5. pag. 466, 467.

**A**pod Britannos, cum rerum abundantia, crevit luxuria et malorum genus omne. Ibid. pag. 428, 429.

**S.** Germanus, assumpto secum discipulo suo Severo Trevirensi episcopo, secundam in Britannia legationem obiit: ubi, Claudio Elaphii viri primarii filio sanato, damnatos Pelagianos ex insula depulit; posteaque in Italia, pridie Calendas Augusti, ipse mortuus est. Ibid. pag. 434—439.

**D**e regis Vortigerni cum S. Germano congressu, et interitu subsecuto, fabulæ. Tom. 5. pag. 439, 440.

Anno Christi.

CCCCXLIX. S. Patricium Glastoniam venisse, duodecim fratres anachoritice viventes ibidem repertos congregavisse, atque abbatem ab iis electum vitam Ægyptiorum monachorum more agere eos docuisse cœnobiale, quidam referunt: tom. 5. pag. 136. quod ad magnum nostrum Patricium referendum Glastonienses monachi contendunt; charta etiam ipsius nomen præferente ad hoc comprobandum conficta: ibid. pag. 26, 27, 34, 35, 132, 143, 152. et tom. 6. pag. 439—442. quum nos domesticum ipsius, Sen-Patricium sive senem Patricium dictum, hic potius intelligendum existimemus.— Tom. 6. pag. 438, 445, 458.

Noster vero Patricius, in messe Hibernica adhuc desudans, seminata in regionibus Laginensium fide, ad Momonienses perrexit: eorumque regem Ængusum sive Æneam filium Nadfraichi Cassiliæ baptizavit. Ibid. pag. 426.

Albeus et Declanus ad eos salutandos Cassilliam profecti, Patricio se subjecerunt: ibique in Declani sedc Ardmoriensi gentis Nandesianæ episcopatus, in Albei sede Imelacensi Momoniæ archiepiscopatus est constitutus. Duorum vero reliquorum episcoporum qui ante Patricium Hibernis evangelium annunciarunt, alter Kiaranus libentissime, alter vero Ibarus regre admodum illi se submisisse dicitur. Ibid. pag. 355, 427, 428.

In Aranica insula, S. Albeo ab Ænguso rege donata, ab Enna abbate insigne constructum est monasterium: idemque Albeus in Thylen insulam se migrare cogitans, ab eodem Ænguso est impeditus. Ibid. pag. 428, 429.

Enna autem iste Endeus fuisse putatur, filius Conalli Deyre sive Rubei ducis Ergallensium, et Brigæ filiæ Anmerini ducis Ardconnachie: qui ante sedem in Aranica insula positam monachis centum et quinquaginta in Latiensi cenobio apud Italos præfuisse dicitur. Ibid. pag. 533. Vid. infra, eosque ad Aranicam insulam secum adduxisse circa annum DXXX.

B. Patricius septem annis continuus in regno Momoniæ commoratus fuisse dicitur. Ibid. pag. 430.

De veterum hostium subito adventu sparsus rumor Britannis terrorem injicit: subsecuta deinde peste tantam eorum in brevi sternente multitudinem, ut sepeliendis mortuis vivi non sufficerent. “Sed ne morte quidem suorum,” ut inquit Beda, “nec timore mortis hi qui supererant, a morte animæ, qua peccando sternebantur, revocari poterant.” Tom. 5. pag. 441.

CCCCCL. Anglo-Saxones a Britannorum rege Vortigerno et consiliariis suis accersiti, duce non rege suo, vel Vertegerno (ut Paulus Diaconus) vel Vortigerno (ut Blondus) vel Vertigomaro (ut Pomponius Lætus et eum, in Hercule suo Prodicio, Stephanus Vinandus Pighius secutus somniavit) sed Hengisto et Horsa fratribus, Victigisli filiis, tribus longis navibus transvecti, ad Cantii insulam Thanaton appulerunt. Tom. 5. pag. 442—445, 449—464, 467, 468, 511.

Iidem hic recepti, cum hostibus qui ab aquilone ad aciem venerant certamine inito, victoriam obtinuerunt. Ibid. pag. 469. Fabius Ethelwerdus et Guilielmus Malmesburiensis Scotos hos fuisse aiunt; Pictos Galfridus Monemuthensis, rationibus Gildæ et Bedæ convenientibus: Pictos simul et Scotos Henricus Huntingdoniensis: quos et venisse usque ad Stan-



## Anno Christi.

- fordiam addit, quæ sita est in australi parte Lincolnæ, distans ab ea quadraginta miliaribus.
- Kenanus gentis Connacticæ puer a tyrannide regis Lægarii, cui obses fuerat traditus, S. Kiarani episcopi opéra liberatus, et bonis literis a Nathano viro religiosissimo eruditus, postea Gallias adiit; et apud Turonenses in cœnobio S. Martini habitum induit monasticum. Tom. 6. pag. 339.
- Olcanus Hibernus ex Gallia, ubi diutius literis operam dederat, in patriam reversus, scholas rexit; atque innumeros discipulos, quorum plures episcopi sancti fuerunt, eruditione et doctrina imbuit. Ibid. pag. 518.
- CCCCLI. Memorabile illud inter Aetium Romanæ militiæ magistrum et Attilam Hunnorum regem in campis Catalaunicis commissum est prælium; Francis utrique parti sese adjungentibus. Meroveo quidem (ut a Blondo, Krantzio, Gaguino, Paulo Æmilio et aliis habetur traditum) sub Aetii, fratre vero illius seniore (ut ex Prisco Panita colligitur) una cum Scotis, vel Scæris potius, sub Attilæ signis militante. Tom. 5. pag. 465, 466.
- Ab Hunnis Attilam secutis Ursulanæ virgines fuisse cæsas nonnulli autumant. Tom. 6. pag. 167.
- Anglo-Saxones ex patria prolixiorum armatorum classem ad se accersunt: quibus a Britannis et locus habitationis, et militantibus debita stipendia sunt concessa. Tom. 5. pag. 469. Navium XVII. hanc fuisse classem, apud Ninium legimus (licet exemplaria illius, quæ Gildæ præferunt nomen, quæque Guilielmus Malmesburiensis est secutus, XVI. tantum habeant:) XVIII. apud Monemuthensem Galfridum et Matthæum Florilegum; in quibus quinque Saxonum millia, cum uxoribus et liberis, delata fuisse addit Hector Boethius. Advenisse autem hos de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, Saxonibus, Anglis et Jutis, docet Beda: quarum omnium et veteres patriæ, ibid. pag. 444—459. 469. et novæ quas in Britannia demum adeptæ sunt sedes, ibid. pag. 449—454. 470, 471. fusius explicantur.
- Gildas Albanus, Patricii Magni, ut Balæus quidem vult, discipulus, ibid. pag. 36. cum presbyteri fungeretur officio, gentes quæ aquilonalem plagam Britannæ incolebant partim a gentili errore partim ab hæretica pravitate prædicatione sua liberavisse dicitur, gentemque suam ad veram et Catholicam fidem convertisse. Tom. 6. pag. 218, 219.
- CCCCLIII. S. Brigida, in Lagenia genita, Fochartæ apud Louthianos in lucem est edita. Ibid. pag. 162, 248, 249. 385. 446, 447.
- Hengistus Londinensem episcopum Vodinum interfecisse dicitur: quod Vortigernum regem ob nuptias, quas cum filia ipsius (Roxiena sive Rowenna fœmina ethnica) sprete iusta conjuge inierat, acrius reprehendisset. Tom. 5. pag. 90.
- Anglo-Saxones, occasionem dissensionis ac dissidii aucupantes, stipendia menstrua parce nimis atque restricte a Britannis sibi suppeditata causa-bantur. Tum subito, inito ad tempus fœdere cum Pictis quos longius jam bellando pepulerant, in socios arma vertere incipiunt. Ibid. pag. 470.
- Anglo-Saxonicus exercitus, ut post Gildam Beda et Henricus Huntingdoniensis referunt, "proximas quasque civitates agrosque depopulans, ab orientali mari usque ad occidentale, nullo prohibente, suum continuavit

Anno Christi.

incendium; totamque prope insulæ pereuntis superficiem obtexit. Rubebant ædificia publica simul et privata; passim sacerdotes inter altaria trucidabantur, præsules cum populis sine ullo respectu honoris ferro pariter et flammis absumebantur: nec erat qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet. Itaque nonnulli de miserandis reliquiis in montibus comprehensi acervatim jugulabantur. Alii fame confecti procedentes, manus hostibus dabant, pro accipiendis alimentorum subsidiis æternum subituri servitium: si tamen non continuo trucidarentur. Alii transmarinas regiones dolentes petebant. Alii perstantes in patria, trepidi pauperem vitam (in montibus, sylvis, vel rupibus arduis) suspecta semper mente agebant." Tom. 5. pag. 479, 480.

Ex iis qui transmarinas petebant regiones, alii ad Bataviam putantur appulisse, ibique arcem Britannicam Brittenburgum dictam vel construxisse, vel a Romanis potius jam derelictam occupavisse: alii, duce Riovalo (qui Apollinaris Sidonii Riothamus, et Jornandis Riothimus esse videtur) Aremoricam, Britanniam minorem ab eis postea dictam, sibi subjecisse: ibid. pag. 481—487. cujus posterioris transmigrationis Blondus (qui eam tamen ad annum Christi CCCCLXXIV. non ita recte retulit) sub finem libri II. decadis I. ita meminit: "Britanni patria extorres, eo anno (qui fuit, Zenonis et Augustuli imperii et Odoacris regni initio, ab inclinatione rei Romanæ sexagesimus tertius) sedem ceperunt Oceano tenus, in Turonibus, Cenomannis et Cyantibus (qui et Veneti) ac per ea Galliæ Celticæ maritima loca, in quibus Britannicum nomen idiomaque ad ætatem usque nostram retinuerunt."

Inter Americanos illos colonos Fracanus consobrinus Cotonii regis Britannici, cum filio suo Wingualoeo (Winwaloco et Galnutio aliis dicto) fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 484.

CCCCLV. Benignum successorem suum in sede Armachana constituit S. Patricius. Tom. 6. pag. 438, 439.

Ubi Saxones, ut ex Gilda et Beda refert Henricus Huntingdoniensis, "dispersis indigenis enpiam exercituum domum remiserunt (a quibus Leidense Burgum extractum fuisse, incerta Batavorum fert traditio) cœperunt Britanni, emergentes de latibulis, vires resumere animosque; congregatoque permaximo exercitu, in Cantiam contra Hengisti et Horsa vexilla direxerunt; duce usi Ambrosio Aureliano viro modesto; qui solus forte Romanæ gentis præfatæ tempestati superfuert, occisis in eadem parentibus nomen regium et insigne ferentibus." Tom. 5. pag. 483, 511. Neque enim ipse Ambrosius (ut depravatus Gildæ textus habet; a Polydoro fortasse ad Pauli Diaconi et Blondi narrationes conformatus) sed parentes ejus regia hic insignia assumpserunt. Ibid. pag. 513, 514.

Romanæ autem gentis postremus, qui purpuram in Britannia induit, Constantinus fuit, cum filio suo Constante monacho: quorum utrumque anno CCCCXI. in Gallia occisum fuisse constat. Tom. 6. pag. 128, 129. Ambrosium quoque regis Constantini filium et Constantis monachi fratrem, quo tempore sublatus est parens, adhuc in cunis jacuisse, ipsa etiam fabulosa Galfridi historia indicat. Tom. 5. pag. 89, 90. Unde insignem illam a Gilda et Beda celebratam Ambrosii victoriam, cum Henrico Huntingdoniensi ad regni Hengisti principium, potius quam,

Anno Christi.

cum Galfrido et Matthæo Florilego, ad ejusdem exitum, referendam censuimus.

Et anno quidem CCCCLV. initio, ad locum olim Æglesthrep hodie Ailesford dictum, cum Vortigerno Britannorum rege prælio, ut Horsam cæsum fuisse, ita fratrem ejus Hengistum regnum suscepisse, Anglo-Saxonico- rum annalium scriptores referunt; ut suos videlicet victoriam adeptos ea ratione innuerent: quod et Florentio Wigorniensis persuaserunt: tom. 5. pag. 472. quum Britannici tamen scriptores, non in hoc solum sed in duobus aut tribus quoque præliis aliis, hoc vel sequente anno gestis, superatos illos fuisse asserant. Ibid. et pag. 473. 474. Et quantum annalium illorum concinnatores gloriæ suorum dederint, argumento illud fuerit; quod cum inter duas celebratissimas de Saxonibus partes victorias, Ambrosianam et Badonicam, pluribus pugnis commissis, nunc cives nunc advenas vicisse, et Gildas et Beda confirmant; ibid. pag. 543, 544. neque Ambrosianæ, neque Badonicæ, neque ullius omnino Britannicæ, sed suarum solummodo victoriarum memoriam posteris transmittendam illi curaverint. Ibid. pag. 515.

Gildas Albanus, annos natus triginta, Britanniam Armoricam petiisse, et septem annorum spatium in Gallia remansisse traditur. Tom. 5. pag. 506 —509. Caradocus, vitæ ipsius scriptor, juvenem factum transfretavisse mare Gallicum scribit: primæ juventutis cum Irenæo, lib. 2. cap. 39. a triginta annorum ætate ducens principium: quod nemo mirabitur, qui Columbam nostrum, anno ætatis XLII. in Britanniam navigaturum, ab Adamao, lib. 3. cap. 4. juvenem dictum observaverit. In Armoricam vero trajiciente Gilda, "adhuc parvam rem regum regniq[ue] Francorum fuisse," alius notat biographus: "Childerico eo tempore Merovei filio, gentiliū errori dedito, imperante Francis." Ibid. pag. 509. Ut Saxones et Franci, vicini in antiqua sua patria populi et ejusdem linguæ societate conjuncti, eodem prope tempore in proximis Britannicæ et Gallicæ provinciis imperii sui initia posuisse videantur. Ibid. pag. 472. 486.

Gildæ fratres, Mailocus (a patre sacris literis traditus et in eis bene edoctus) Egreas et Allæcus cum sorore Peteona, relictis rebus paternis, secesserunt et in locis non longe a se invicem distantibus Deo vacaverunt. Tom. 6. pag. 217.

CCCCLVI. Vortimerus Brito, Vortigerni filius, eodem anno tria prælia cum Hengisto prospere conseruisse fertur: in quorum postremo, juxta Lapidem tituli in Thanato insula gesto, Saxones fugatos, relictis uxoribus et liberis, in Germaniam rediisse scribunt. Tom. 5. pag. 473, 474. 512.

B. Patricius Ultoniam, quam omnium Hibernicarum provinciarum primam ad Christum converterat, sæpius circumibat: ubi, in Dalnaradia agens, ecclesiam Mucmoriensem a Colmanelo sive Colmano (Dromorensi postea episcopo, ut ex vita ipsius intelligimus) et Benchorensis a Comgallo, ipsis sexaginta ante utriusque nativitate annis, ibi ædificandam prædixisse fertur. Ibid. pag. 506. et tom. 6. pag. 430, 431.

CCCCLVII. Vortimerus, spes Britonum, mortem obiit: qua audita, Hengistus et Æsc sive Oisc filius ipsius, novis auxiliis et patria receptis confirmati, Britannos prælio ad Creccanfordiam initio ita contuderunt; ut Londinum fuga se recipere coacti, nunquam postea bello Cantuarios lacessere ausi fuerint, Tom. 5. pag. 474. 514.

Anno Christi.

- CCCCLVIII. Sen-Patricius sive Senex Patricius Glastoniæ, ut videtur, mortuus est: cujus obitus et locum et tempus ad magnum nostrum Patricium, cui ille domesticus fuerat, alii temere transtulerunt. Tom. 6. pag. 445. 458, 459.
- CCCCLIX. Annis post Vortigerniani regni initium XII. orta inter Guitolinum et Ambrosium discordia, Guoloppinum prælium factum fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 461. 511, 512.
- CCCCLX. Auxilius episcopus, S. Patricii nepos, in civitate quæ Ceall-usalli nomen ab eo accepit, vitam finiit. Tom. 6. pag. 384.
- Hilbertus Scotorum archiepiscopus, Sedulii magister, floruit. Tom. 6. pag. 319. 328.
- Circa hæc quoque tempora, Fingarem sive Guignerum, ex Britannia Armorica in patriam reversum, Hiberniam Christi legibus subditam invenisse; indeque, relicto regno quod Clitone patre defuncto ad ipsum spectabat, una cum Piala sorore et 777. viris (quorum septem episcopi erant, a S. Patricio baptizati) in Cornubiam profectum, atque Christianam hanc universam multitudinem ab infideli Cornubiæ rege Theodorico trucidatam fuisse, Anselmus narrat. Ibid. pag. 431.
- CCCCLXI. Mansuetus, episcopus Britannorum, concilio Turonici I. interfuit et subscripsit. Tom. 5. pag. 486, 487.
- Eodem anno, ut Matthæus Florilegus et Johannes Fordonus volunt, Hengistus cum tribus armatorum millibus in Britanniam advectus, Vortigernum cum proceribus suis ad pacificum colloquium invitavit: conventuque juxta Ambrii cœnobium, haud longe a Sarisburia, Calendis Maiis habito; proditione Saxonum, et ipse Vortigernus captivus abductus et Britannici proceres CCCCLX. nefarie jugulati sunt: quorum corpora ab Eldado Glocestrensi episcopo in vicino cœmiterio, Christiano more, postmodum sepulta fuisse dicuntur. Ibid. pag. 475—478.
- Ereptum ex hac clade filium ejusdem consulis, qui ibidem occubuit, Abenum dictum in monte qui ex nomine ejus Abendun vocatur vitam eremiticam duxisse; indeque confluentium hominum frequentia turbatum latenter recessisse, et in Hibernia vitam finiisse ferunt. Ibid. pag. 476.
- CCCCLXII. Hoc anno, ut idem habet Florilegus, Vortigernus, vitæ et libertatis suæ redimendæ gratia, Saxonibus quas petierant regiones concessit (East-sexæ, Suth-sexæ et Middle-sexæ Ninjus eas fuisse ait, a Saxonibus qui occupaverant novis istis nominibus insignitas;) qui in Britannos deinde sævientes, Christianam religionem miserum in modum protriverunt. Ibid. pag. 478—480.
- Eodem anno B. Patricius, post constitutam ecclesiam Hibernicam et ordinatos per universam insulam episcopos et presbyteros, Romam adiit: ubi a pontifice, qui Hilarus tum fuit, eorum quæ in Hibernia egerat confirmationem, simul cum pallio et legati pontificii titulo, obtinuisse dicitur. In reditu vero, aliquantisper in Britannia patria sua moratus, monasteria multa fundavisse atque a Paganis destructa refecisse, et cum alia de futuro Britannia: statu prænuclavisse, tum B. Davidis utero materno inclusi sanctitatem prævidisse et prædixisse, traditur. Tom. 6. pag. 431. 432.
- Exactis in Gallia annis septem, Gildas Albanus e Gallia in Britanniam

Anno Christi.

- reversus, Pembrochiensis regionis promontorium Pepidiauc dictum tempore Trifuni regis adisse dicitur, ibique in urbe maritima Cair-morva inde dicta verbum Dei populo prædicavisse; quum præsens adesset Nonnita, Davidem infantulum in utero gerens. Adfuisse quoque tunc Albeum Mumenensium nostrorum episcopum addunt alii: a quo (non autem a Relveo Menevensium episcopo, ut in breviario Sarisburiensi et Giraldo Cambrensi legitur) natus David in loco juxta Meneviam Port-cleis appellato baptizatus fuisse existimatur. Tom. 5. pag. 507—509. et tom. 6. pag. 432, 433. Nessauus diaconus Albeo familiaris fuisse traditur. Tom. 6. pag. 531. Ubi Samsonem episcopum civitatis quæ vocatur Dol-omboir in extremis finibus Letbæ (i. e. Dolensis civitatis in Britannia Armoric-læthana) tum fuisse, scriptor vitæ Albei assertit: quod aliter subsistere non potest, quam illa Britannicæ historiæ admissa hypothesis, quæ Samsonem ab Ambrosio Aureliano Eboracensem archiepiscopum constitutum, posteaque a Saxonibus in Armericam pulsum fuisse tradit. Vid. infra.
- CCCCLXIII. Lægario, Nelli magni filio, occiso successit in regno Hiberniæ Ailell Molt Nathi filius. Tom. 6. pag. 514.
- B. Patricius in Hiberniam reversus, triginta episcopos, ex transmarinis partibus congregatos et a se consecratos, in messem misit Domiucam: synodisque episcoporum sæpius celebratis, cuncta constituit et ordinavit. Ibid. pag. 434. 449. Iniscattensem vero episcopatum ipse adisse, diuque tenuisse videtur: in quo Senanum, nondum natum, sibi postea successurum prædixisse dicitur. Ibid. pag. 436.
- Gildas Albanus, scholas in Britannia aperiens, discipulos ad ipsum confluentes bonis artibus et disciplinis instituit. Tom. 5. pag. 507.
- Faustus Britannus (qui, apud Gallos exulans, Maximo in Lirinensi primum abbatia atque in Reicensi deinde episcopatu successit) hæresim Pelagianam refutandi specie obtenta, profunda calliditate usus eandem interpolatam omnibus veuditavit. Ibid. pag. 395. 488—505. et tom. 6. pag. 2.
- CCCCLXV. Benigno in Armachano archiepiscopatu Jarlaithus filius Trene successit: tom. 6. pag. 437. illo in Glastoniensem, ut putatur, abbatiam secedente. Ibid. pag. 438, 439.
- Hengistus et filius ejus Æscus, prælio ad Wippedsfleet commisso, duodecim Britannici exercitus duces occiderunt. Tom. 5. pag. 477. not.
- CCCCLXVI. Tertius cyclus paschalis octoginta quatuor annorum incipit.
- Vortigernus rex Britonum, turri ad quam confugerat in oppido Genereu igne admoto, ab Ambrosio Aureliano et exercitu ipsius, combustus fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 440. 512. Post cujus mortem, filiorum alterum Pascentium in regionibus Buelt et Guortbigirniaun, largiente Ambrosio, regnavisse; ibid. pag. 521. alterum Faustum, ex incesto cum filia stupro genitum sed pro sancto habitum, in loco magno juxta ripam Reuis vel Remneii fluminis a se condito mansisse, author est Ninius. Ibid. pag. 440.
- Ambrosii nobilitatem, fortitudinem et modestiam; Gildas et Beda; ibid. pag. 511. 513. pietatem in restaurandis ecclesiis et vera religione propaganda, Galfridus Monemuthensis et Hector Boethius prædicant: licet Judæorum et hæreticorum patrocinium Gothefridus Viterbiensis, sine ullo autore, illi affingat. Ibid. pag. 94. 515, 516. 519, 520. Ipsum

## Anno Christi.

vero tandem in prælio a Saxonibus occisum fuisse narrat Blondus, Huldricus Mutius, et Polydorus Vergilius; qui etiam in monte Ambrosii, vulgo Stanhenges dicto, juxta Ambresburiam, ingentium illorum saxorum quæ hodie conspicitur substructionem, ad ejus memoriam conservandam, a Britannis positam fuisse addit. Tom. 5. pag. 516.

CCCCLXVII. Brigida, ætatis XIV. anno vix supcrato, sive a Patricio sive a discipulorum ejus aliquo velata fuisse dicitur. Tom. 6. pag. 180.

CCCCLXVIII. Benignus episcopus, qui acta Patricii adhuc viventis scripsisse dicitur, mortuus est; et ut alii quidem volunt, Glastoniæ, ut alii Armachia sepultus est: ibid. pag. 373. 423. 438, 439. quanquam annales Inisfallenses Romæ mortuum eum fuisse notent.

CCCCLXIX. Iserninum episcopum (de quo, tom. 6. pag. 400. 491. 510.) mortuum esse, Ultonienses annales indicant.

S. Patricius, licet in Saballino et Armachano monasterio contemplationi sæpius vacaret; pastoralis tamen muneris curam non abjecit: sed in verbi divini prædicatione multus et frequens, semel etiam singulis annis concilia celebravit; ut in ordinem redigeret, quæ correctione egere cognoverat. Ibid. pag. 434. 435.

Tathæus Hibernus, rogante Caradoco rege Inirii filio, (ut liber habet Landavensis) in Ventano apud Monemuthenses gymnasio septem disciplinas liberales confluentibus undique discipulis explicavit. Tom. 5. pag. 116.

CCCCLXXIV. Doccus episcopus, sanctus Britonum abbas, quievit. Tom. 6. pag. 520.

Germano primo Manniæ episcopo defuncto, duo successores a B. Patricio ordinati sunt; Conindrius et Romulus. Ibid. pag. 181.

In Dalrieda Ultoniensium, duodecim Erci regionis illius principis nuper defuncti filiis hæreditatem inter se dividendum, Fergusius adolescens a fratribus neglectus interveniente B. Patricio, debitam sibi paternæ possessionis portionem obtinuit: in qua, Derkanensis ecclesiæ doctus ille Olcanus constitutus est episcopus. Tom. 6. pag. 145. 518. Fergusio autem, qui locum illum Deo dicaverat, non solum totius Dalriedæ Hibernicæ principatum postea cessurum, sed Britannicæ quoque Dalriedæ regnum accessurum, (indeque longam illam Scotticorum regum seriem originem suam illi debituram) præsignificavisse putatur Patricius. Ibid. pag. 144—147.

Cælius Sedulius Scotus Hiberniensis claruit. Ibid. pag. 319—332.

Cungarus eremita, qui et Doccuinus, apud Somersettenses primum, in loco qui ab ipso Cungresbiria nomen postea accepit, deinde apud Morganenses, oratorium in honorem S. Trinitatis tempore Dubricii Landavensis episcopi construxisse, atque in utroque duodecim canonicos constituisse dicitur. Tom. 5. pag. 539, 540.

CCCCLXXXII. Jarlathus filius Trenæ tertius episcopus Armachanus moritur. Cormacus illi successit. Tom. 6. pag. 437.

De S. Columba, XL. ante nativitatem ipsius annis (ut ab anonymo vitæ scriptore habetur traditum) Moctheus Ludunensis episcopus vaticinatus est. Ibid. pag. 415.

CCCCLXXXIII. Ochanum prælium in regione Midensi gestum est: ubi a Crimthaino Laginensium rege occisus est Ailill Molt rex Hiberniæ; succedente illi in regno Lugaido sive Lugdacho, filio Lægarii. Ibid. pag. 145. 514. 517.

Anno Christi.

CCCCLXXXIV. Brendanus, Findlogæ sive Albi-logi filius, nascitur. Tom. 6. pag. 50. 523.

S. Brigida, ex monasterio virginum cui abbatissa præerat, legatione in Britanniam ad Gildam Albanum missa, nolam ipsius manibus fusam dono ab eo accepisse traditur. Ibid. pag. 465. 469. Erat autem monasterium illud in civitate Brigidæ Kil-daria; non a Daria virgine ipsius æquali, neque ab Ursulana illa Daria, sed a robore vel quercu ita denominata. Cellam enim Roboris vox illa denotat. Ibid. pag. 162, 163.

CCCCLXXXVIII. Hoc anno, ut Ultonienses annales indicant, mortem obiit S. Mel, primus Ardachadensium episcopus; qui avunculi sui S. Patricii adhuc superstitis acta scripsisse dicitur. Ibid. pag. 373. 382.

Eodem anno, vita functo Hengisto successit filius ejus Oeric cognomento Oisc; a quo reges Cantuariorum Oiscingæ cognominati sunt. Tom. 5. pag. 515.

Cum morte Hengisti illam a Gilda celebratam Ambrosii Aureliani victoriam (quam nos ad annum CCCCLV. vel CCCCLVI. cum Henrico Huntingdoniensi referendam putamus) conjunctam fuisse vult Galfridus Monemuthensis, et eum secutus Matthæus Florilegus. Profligato enim Hengisti exercitu, captaque mox urbe Conani (quæ Eboracensium Conisburgh est) ab Eldole, fratre ipsius Eldado Glocestrensi episcopo incitante, interemptum esse Hengistum; filioque ejus Oethlæ qui in Eboracensi, et cognato Eosæ sive Ebusæ qui in Alcludensi urbe se incluserat, in deditionem acceptis, regionem juxta Scotiam sive Albaniam ab Ambrosio fuisse concessam, apud illos legimus. Tom. 5. pag. 514, 515. et tom. 6. pag. 227, 228..

S. Brigida Glastoniam venisse, in vicina insula Bekery sive parva Hibernia dicta aliquantulam moram per nonnullos annos traxisse; relictaque ibi nola (quam a Gilda acceperat) aliisque suis insignibus, in Hiberniam redisse dicitur. Tom. 6. pag. 464. 469.

Tremouno sive Tremorino urbis legionum archiepiscopo suggerente, Utherum Pendraconem cum exercitu quindecim millium armatorum in Hiberniam profectum, Gillomauro rege frustra repugnante, ingentium illorum lapidum (de quibus ad annum CCCCLXVI. dictum) astructuram ex Killarao monte in media Hibernia, Ambrosii Merlini opera in agrum Sarisburicensem transtulisse; et, ad Britannicorum principum (quorum ad annum CCCCLXI. facta est mentio) proditione Saxonum ibi peremptorum conservandam memoriam, in eo quo hodie conspiciuntur loco collocavisse, fabulantur. Tom. 5. pag. 516—520.

Odannanus, abbas Inche-keth, S. Servanum in Albaniam primum adventientem hospitio excepisse dicitur. Tom. 6. pag. 221.

CCCCXC. Tremouno sive Tremorino defuncto, in urbis legionensis archiepiscopatu Dubricius Landavensis antistes successisse traditur. Tom. 5. pag. 94. 102, 103. 510. 519. 521.

Eodem tempore Samsonem quoque Eboracensem ordinatum fuisse archiepiscopum, cum Britannica Galfridi historia tradit Matthæus Florilegus. Ibid. pag. 94. 519.

S. Gundleus, filius regis australium Britonum, postquam per aliquot annos patris demortui regnum administrasset; eo tandem Cadoco filio suo

## Anno Christi.

- commendato, ecclesiam construxisse, ibique in magna abstinentia et vitæ sanctimonia vixisse memoratur. Tom. 5. pag. 530.
- In Albania floruisse dicuntur Colmanus Priscus, Medanus, Modanus et Euchinus episcopi, Scotorum et Pictorum doctores: quibus et communitatis librorum titulos pro libidine sua Thomas Dempsterus adscribit. Tom. 6. pag. 220.
- In Hibernia, ad Begerinensem Ibari episcopi scholam, literarum sacrarum aliarumque liberalium artium discendarum gratia, magna confluebat auditorum multitudo. Inter quos nepos ipsius Abbanus, adhuc duodenarius, avunculo per quinquennium educandus a parentibus traditus fuisse scribitur. Ibid. pag. 336. 347, 348. 429, 430.
- Operam a B. Patricio hic positam ita illi secundam evenisse notat Jocelinus; ut Hibernia speciali nomine insula Sanctorum ubique terrarum jure nominaretur. Quorum sanctorum ab ipso Patricio duas synodos coactas fuisse nugacissimus quidam scriptor retulit: in quarum posteriore, populis qui adhuc infideles remanserant baptizatis omnibus, probatorum hominum triginta millia in tres turmas sese divisisse, atque Africae, Asiae et Europæ continentem peregrinorum ritu invisisse, comminiscitur. Tom. 6. pag. 519.
- Visio prophetica de triplici Hiberniæ statu B. Patricio exhibita fuisse dicitur. Ibid. pag. 479, 480.
- Monasterium, quod Meneviæ S. Patricius primum fundaverat, restauravit S. David et amplificavit. Tom. 5. pag. 119, 120. 540, 541.
- Finianus, relicta patria sua Hibernia, in Britanniam profectus (ad Davidem; cum quo duos viros sanctos, Gildam et Cathmalem, præsentem eum tunc invenisse scriptor vitæ ipsius indicat) triginta ibidem annos exegisse et tres ecclesias construxisse memoratur. Tom. 6. pag. 477.
- CCCCXII. Sub Vuffa cœpit regnum orientalium Anglorum; quos ab eo Vuffingas appellatos Beda confirmat. Ibid. pag. 33.
- CCCCXIII. Uthero Pendraconi filius natus est Arthurus: siquidem quindecim annorum ille fuerit, quum patri in regno successit. Tom. 5. pag. 533.
- B. Patricius, annos natus CXX, in Saballino cœnobio (eujus abbatem S. Dunnium discipulum suum longe ante constituerat; tom. 6. pag. 434.) XVII. die Martii, feria quarta, animam Deo reddidit. Tom. 6. pag. 279. 377. 441—450.
- Ecclesias CCCLXV. condidisse, totidemque episcopos (quorum aliquot insigniorum consignata habentur nomina) eum tribus presbyterorum milibus, ordinavisse perhibetur. Ibid. pag. 477. 517, 518.
- Actorum ejus scriptores plurimi: inter quos et tres ipsius numerantur nepotes, Mel, Lumanus, et Patricius junior; ibid. pag. 372, 373. 374. quorum postremus, post patris excessum, Britanniam repetens, vel in Glasconensi vel in Glastonensi ecclesia vitam finivit. Ibid. pag. 373. 381. 458.
- De loco sepulturæ ipsius sententiæ variz. Ibid. pag. 450—458.
- Eo defuncto, S. Winwalocus Britannus vitam apud Armoricos agens monasticam, ad insulam quandam se transtulit; in eaque cum sociis suis triennio mansit, vitam ducens eremiticam. Tom. 5. pag. 530, 531.
- CCCCXCV. Cœli Sedulii Hiberni nuper defuncti, carmen paschale a Turcio Rufio Asterio in lucem est editum. Tom. 6. pag. 325—300



Anno Christi.

- Cerdicus, regni occidentalium Saxonum conditor, in Britanniam veniens, ita Britones contudisse traditur, ut in ejus jura volentes concesserint; et Wintoniensibus monachis interfectis, eorum ecclesiam in idolorum templum convertisse. Tom. 5. pag. 532, 534, 535.
- CCCCXCVI. S. Winwalocus vitæ annos octo extremos in Tauraco monasterio exegit. Ibid. pag. 531.
- CCCCXCVII. Cormacus quartus episcopus Armachanus mortuus est. Dubtachus illi successit. Tom. 6. pag. 437.
- Eodem anno, Pascentium filium Vortigerni et Gillomannium (vel Gillomaurum potius) Hiberniæ regem, Britanniam invadentem, ab Uthero Pendracone interfectos fuisse, ex fluxa Britannicæ historiæ fide refert Mathæus Florilegus. Tom. 5. pag. 521.
- CCCCXCVIII. Coemgenus, qui et Keivinus, in Hibernia natus est: si, ut a quibusdam habetur traditum, annos CXX. vixerit et anno Christi DCXVIII. mortem ille obierit. Tom. 6. pag. 524, 525. A S. Cronano presbytero baptizatum fuisse scriptor vitæ ipsius indicat.
- Eu tempore Petrocus Cumber, hæreditario regno et patria relicta, in Hibernia literarum disciplinis et sacræ scripturæ studio dedit operam. Ibid. pag. 83, 86.
- Petranus quoque Aroricus, patria relicta, Hiberniam petiit.
- Dubricius in Hentlaniano suo gymnasio, ad Guy sive Vagam fluvium posito, præter viros sapientes et doctores, Theliam, Samsonem, &c. mille alios clericos, per septem annos continuos, in divinæ et humanæ sapientiæ studiis auditores habuisse, deinde per plures annos, in loco ad eundem fluvium sito cui Moch-ros nomen ipse imposuit, cum innumeris discipulis similiter versatus fuisse; sedem denique episcopalem et Warwici (si non Vervici in agro Cardiganensi, potius) et Landaviæ tenuisse memoratur. Tom. 5. pag. 509, 510.
- Conindrio et Romulo Manuæ insulæ episcopis vita functis Maguil sive Machaldus Hibernus successit. Tom. 6. pag. 131.
- Patricianus Britannorum episcopus, Saxonicam persecutionem declinans, in eadem Manniæ insula sanctam vitam egisse, et sine beatissimo quievisse dicitur. Tom. 5. pag. 479, 480.
- Religionem in Hibernia post B. Patricii obitum negligentius cultam, apud Ultonienses Gildas Albanus studium regens et prædicans in civitate Ardmacha; ibid. pag. 508. et tom. 6. pag. 420, 433. in Connacia vero et Lageia et terra Eugenia S. Kenanus; cum discipulo suo S. Congello, restauravit. Tom. 6. pag. 339.
- D. S. Ibarus in Begerinensi sua insula IX. Calendas Maii mortem obiit. Ibid. pag. 429, 430. Circa hoc tempus, Paulus Leonensis natus.
- Godelbertus presbyter, poeta Christianus, floruit. Tom. 5. pag. 528, 529.
- Cadocus Lancarvanensis abbas, Tathæi Hiberni discipulus, claruit. Ibid. pag. 529, 530.
- Jarlathus filius Logæ, primus ecclesiæ Tuamensis antistes, claruit. Tom. 6. pag. 524.
- Colmannus antistes, a quo Finanus, qui et Winninus, primum institutus est, in Hibernia floruit.
- Paulinus, discipulus Germani, in Vecta insula divinis vacabat studiis: ad quem profectus David Menevensis jam factus presbyter, sacræ scripturis,

## Anno Christi.

una cum Theliao Dubricii discipulo, sub illius magisterio operam dedit. Tom. 5. pag. 529, 530. et tom. 6. pag. 45.

DIII. Fergusium Erci filium, cum fratribus suis, ex Hibernia in Albaniam deduxisse coloniam, Hibernici tradunt annales. Tom. 6. pag. 144—148. 230. 241, 242.

DIV. S. Winwalocus in Tauraco monasterio vitam finit. Tom. 5. pag. 531.

S. Columbam Glastoniense cœnobium invisisse fingunt, XVIII. antequam ille natus fuerat annis : tom. 6. pag. 464, 465. eadem fide, qua alii Ionæ insulæ abbatem eo tempore Convallanum fuisse tradiderunt. Ibid. pag. 221.

DV. Coengenum septennem parentes S. Petroco in literis ac sanctis moribus erudiendum tradiderunt. Ibid. pag. 83.

DVI. S. Kertennus sive Mac-kartinus, episcopus Clochorensis, IX. Calendas (al. II. Nonas) Apriles obiit : successore relicto Tigernaco, qui in Cluanaeois sedem episcopalem posuit. Tom. 6. pag. 416, 417.

DVIII. Cerdicus Saxo et filius ipsius Kenricus una die quinque millia Britannorum, cum rege suo Nazaleod sive Natanleod, occiderunt : quem Camdenus Ambrosium Aurelianum, alii Utheri Pendraconis militiæ principem, nos ipsum Utherum fuisse existimamus. Tom. 5. pag. 531—534. Ita hoc anno patri suo successerit bellicosus ille Arthurnus, regni Britannici diademate a Dubricio urbis legionum archiepiscopo insignitus. Ibid. pag. 104. 533. 534.

Howelum Albanium, fratrum Gildæ natu maximum, bellico congressu in insula Mynaw sive Angleseia habito, a rege Arthuro interfectum fuisse Cambri tradunt scriptores : tom. 6. pag. 217, 218. ubi a Caradoco Lancarvanensi juvenem magnanimum et victoriosissimum, temporum ratione repugnante, illum appellatum observa : quum eo juniorem Gildam anno CCCCXXV. natum fuisse ostenderit.

Gildam Albanium, audita fratris nece, ex Hibernia, ubi Armachanæ academiæ tum præerat, in Britanniam rediisse, et Arthuro regi reconciliatum, in Lancarvanensi gymnasio rogatu Cadoci abbatis studium scholarium per anni spatium rexisse ; ibidemque librum quatuor evangelistarum sua manu descriptum reliquisse, legimus : tom. 5. pag. 535, 536. et tom. 6. pag. 218. 420. quo tempore ad eum invisendum ex Hibernia venisse videtur Brendanus filius Findlogæ. Tom. 6. pag. 523.

Cadoci etiam Lancarvanensis abbatis hortatu, Iltutum, nobilissimi militis Bicani et Riemguillidæ filiæ regis minoris Britanniæ filium, seculo renunciavisse Johannes Tinmuthensis refert ; postquam a consobrino suo Arthuro rege " cum honore receptus, tandem ad regem Morganensium veniens curiam ejus sub ipso rexisset, secundus a rege factus." Tom. 5. pag. 538.

Verum ante Arthuri regni initium seculo nuncium remisisse Iltutum oportuit ; si abbas jam factus discipulum suum Samsonem baptizaverit, a Dubricio archiepiscopo, qui ultra annum Christi DXXII. vitam non produxit, episcopali honore postea decoratum. Horum enim utrumque in Samsonis vita, Landavensi regesto inserta, legitur ; in qua et S. Germani discipulus Iltutus fuisse dicitur : quod ipsum ab aliis quoque biographis habetur traditum. Hisce vero temporibus apud Morganenses, in loco qui Lan-iltut ab eo nomen accepit, gymnasium illum aperuisse.

## Anno Christi.

- insignesque in eo viros instituisse, inter omnes convcnit. Tom. 5. pag. 539. et tom. 6. pag. 42, 43.
- Brendanus Findlogæ fillus, relicto Gilda, in insula quadam Britanniae Auerech dicta ecclesiam fundavit: ut in vita ipsius legimus. Tom. 6. pag. 523.
- DIX.** A Lancærvanensi cœnobio, finito anno quo Gildas ibi docuerat, auditoribus recedentibus, abbas Cadocus et Gildas doctor communi consilio ad duas insulas, Ronech et Eeni, secesserunt. Tom. 5. pag. 535.
- Meluas Sommersettensium rex uxorem Arthuri Guennivaram rapuisse, et per anni spatium in Glastoniensi insula detinuisse dicitur. Ibid. pag. 536. -
- DX.** Coemgenus duodennis, institutoris sui Petroci eremitæ bona cum venia, ad cœnobium Eogani, Lochani et Æncæ concessit: apud quos triennio illum mansisse, antequam habitum induisset monasticum, scriptor vitæ illius indicat. Tom. 6. pag. 83. 527.
- Gildas ab Orcadiensibus piratis, res et famulos ipsius secum per vim abducentibus, afflictus, relicta insula ad quam secesserat, Glastoniam petiit: ubi ab abbate susceptus, fratres et plebes diversas cœlesti doctrina inbuït, et regum Britanniae historiam (quæ jam desideratur) exaravit. Tom. 5. pag. 535.
- Arthurus Glastoniam obsidet, et rapta uxore restituta cum Melua pacem iniiit. Reges ambo S. Mariæ ecclesiam visitantes, abbati et monachis Glastoniensibus multa territoria sunt largiti. Ibid. pag. 32. 144. 149. 150. 536.
- DXI.** Hoc anno Saxones totam Britanniam devastare cœpisse, et Christianitatem pene totam in insula delevisse, scribit Matthæus Florilegus: Uthero Pendracone tum regnante. Tom. 5. pag. 531, 532. Nos vero filium ipsius Arthurum hoc tempore Saxonibus opponere se cœpisse arbitramur: octodecim annos natum: quod aliis fortasse occasionem dedit tot annos illi tribuendi, quum regnare primum inciperet. Ibid. pag. 533, 534.
- Gildas ad ripam Axi fluminis prope Glastoniam ecclesia nomini S. Trinitatis ædificata, solitariam ibi vitam ad mortem usque egit. Ibid. pag. 536.
- DXII.** Oeric cognomento Oisc, qui cum patre suo Hengisto Britanniam primus intravit, postquam viginti quatuor annis regno Cantuariorum præfuisset, vitam finiit. Ibid. pag. 515.
- Gildas Albanus mortuus, et in Glastoniensi ecclesia sepultus est. Ibid. pag. 537.
- Hoc quoque anno Dubricium, Landavensis et Legionensis ecclesiæ antistitem, vita excessisse notat in ejus legenda Johannes Tinmuthensis, et ejus exscriptor Johannes Capgravius: unde opinionem hausisse videtur Lelandus, Thelinum eo anno in Landavensi episcopatu illi successisse: quanquam Balæus hoc factum referat, non mortuo Dubricio, sed autoritate synodi nescio cujus hoc tempore ad Legionensem archiepiscopatum promoti. Ibid. pag. 103, 104. Verum et ante hunc annum Legionensem archiepiscopum fuisse Dubricium, et post hunc annum vitam produxisse, Britannica confirmat historia. Vid. supra, ann. CCCXC. et infra, ann. DXX. DXXI. et DXXII.

Anno Christi.

- DXIII.** Dubtachus quintus episcopus Armachanus mortuus est. Successit illi Ailillus. Tom. 6. pag. 437.
- Pironi Britanno in insulari cœnobio a se constructo vita functo Samson fluti discipulus succedens, tribus annis cum dimidio congregationi illi præfuit. Ibid. pag. 43. 49.
- DXIV.** Ercus primus Slaniæ episcopus anno ætatis suæ XC. mortuus est. Ibid. pag. 410.
- Cadocus, discipulo suo Ellenio, regiæ cujusdam transmarinæ filio, in Lancarvanensi cœnobio successore relicto, Beneventum migravisse dicitur; novum Sophiæ nomen ibi adeptus. Tom. 5. pag. 538.
- Brendanus Findlogæ filius, ex Hibernia, quo ad S. Brigidam salutandam concesserat, in Britanniam rediens, ecclesiam Bledach dictam in regione Heth fundavit: ut vitæ ipsius scriptor indicat. Tom. 6. pag. 523.
- Thenis, quæ et Thenna, filia Lothi regis Pictlandiæ et Annæ, Utheri Pendraconis filiæ, et Walwani sororis, in loco Collenros dieto Kentigernum peperisse dicitur; eundemque S. Servanus episcopus baptizavisse, et secum educavisse. Ibid. pag. 222—225.
- DXVI.** Kieranus artificis (Beodi videlicet sive Boetii fabri lignarii) filius, Clunensis cœnobia conditor, natus est. Ibid. pag. 473. 525. Comgallus quoque (quod nomen alii Faustum, alii Pulchrum pignus interpretantur) Benchorensis fundator monasterii, et Colmanus sive Colmanelus, episcopus postea Dromorensis, in lucem sunt editi: de quibus ante annos sexaginta (ut in eorum utriusque vita legitur) prophetavisse fertur S. Patricius. Tom. 5. pag. 505, 506. et tom. 6. pag. 430, 431. 524, 525.
- Samson, permittente episcopo Dubricio, cum eruditissimis quibusdam Scotis Roma revertentibus in Hiberniam profectus est: tom. 6. pag. 43. 49. ubi monasterii cujusdam abbatem patrum suum Umbracem presbyterum constituit. Ibid. pag. 50.
- Paternus adolescens, cum DCCCXLVII. monachis e minore Britannia in majorem trajiciens, constructo in Mauritania (apud Cardiganenses locus is est, Lhanpadernvaur vulgo dictus) cœnobio, eos ibidem collocavit: ipse vero, ad patrem suum Petranum visitandum, in Hiberniam perrexit. Ibid. pag. 45.
- Daniel sacrum in Arvoniam collegium instituit, non procul a trajectu in Anglesiam, cui Portus dedit nomen, ubi nova civitas postea a Mailgone sive Maglocuno rege est erecta, quæ a pulchro vel excelso choro Bancor sive Bangoræ nomen obtinuit. Hujus loci Daniel primus a Dubricio ordinatus est episcopus. Tom. 5. pag. 112. 115. 542. et tom. 6. pag. 44.
- DXVII.** Paternus, post reconciliatos ipsius interventu duos reges Hiberniæ inter se dissentientes, in Britanniam rediens, monasteria et ecclesias per totam Cereticam regionem sive Cardiganiam ædificavisse traditur. Tom. 6. pag. 46.
- DXVIII.** Darerca, quæ et Moninna, soror B. Patricii mortem obiit. Tom. 6. pag. 382. "S. Darercam virginem, quæ alio nomine Monynni dicebatur, in monasterio suo quæ Bell-slebi dicitur commoratum" fuisse, scriptor vitæ S. Endei indicat. Unde augetur suspicio, hanc esse Killsevensensem illam virginem, quam cum posteriorum temporum Moninna sive Modwenna recentiores scriptores confundunt. Ibid. pag. 248. 382.

Anno Christi.

- Hoc etiam anno pugnam illam factam fuisse notat Matthæus Florilegus, quæ cæsis sex Saxonum millibus usque ad nemus Calidonis prope Lincolniam Arthurus eos insecutus fuisse memoratur: quod ex duodecim præliis, quæ cum illis is conseruit, septimum fuisse confirmat Ninius. Tom. 5. pag. 85. 543.
- David Menevensis, Eliud (qui Teliaus vulgo vocatur) et Paternus, Hierosolymam profecti, a patriarcha loci episcopalem ordinationem accepisse dicuntur. Ibid. pag. 541. et tom. 6. pag. 46.
- Petrocus, quum viginti annos in Hibernia bonis studiis impendisset, Cornubiam petiit: ubi in loco prius Loderic et Laffenac postea Petrock-stow et Padstow appellato cœnobium extruxit; in proxima vicina Samsonæ quodam, viro sanctitate conspicuo, vitam ducente solitariam. Tom. 6. pag. 83, 84.
- Samson quoque Illuti discipulus, ex Hibernia reversus, Amonem patrem suum, una cum Hibernico abbate et fratre quodam, in eremo juxta Sabrinam fluvium collocavit: ipse vero ad interiora eremi penetrans, in secretissimo quodam specu diu vitam duxit. Ibid. pag. 49.
- DXIX.** Breviensis synodus contra Pelagianos in Ceretia est habita: ad quam ab archiepiscopo Dubricio et episcopo Daniele adductus David Menevensis, post profligatam egregio ab eo habito sermone hæresim, communi omnium consensu totius Cambriæ archiepiscopus constitutus est. Tom. 5. pag. 104. 541—543.
- Cerdicus et Kenricus, post varia cum Arthuro conserta prælia, regione Somersetensi (cui Meluas Britannicus regulus prius præfuerat) et Mantonensi ab eo accepta, West-Saxonicum regnum inceperunt. Ibid. pag. 532. 534.
- Paternus episcopus, in ecclesia Mauritania, quæ Lhan-padern-vaur nomen ab ipso accepit, per annos XXI. vixit. Tom. 5. pag. 114. et tom. 6. pag. 46.
- DXX.** Saxones usque ad mare Sabrinianum Britannorum depopulatione facta, inde itinere facto, urbem Badonis sive Bathoniæ obsederunt. Superveniens vero regis Arthuri exercitus, Dubricii Legionensis archiepiscopi et oratione confirmatus (cujus prima illa a Galfrido Monemuthensi formata verba, "Viri Christiana professione insigniti," Johanni Balæo libri declamationum eruditarem Dubricii initium constituere placuit) et benedictione hilaratus, hostium castra ad proximum montem compulit, et sequente die prorsus profligavit. Tom. 5. pag. 544. cum pag. 459. Quod duodecimum et postremum fuit prælium ab Arthuro cum Saxonibus commissum. Ibid. pag. 543.
- Anno hoc, obsessionis montis Badonici et stragis Saxonice, natum se fuisse ostendit Gildas; ibid. pag. 544. unde et Badonici cognomentum, quo a Gilda Albanio distingueretur, illi inditum. Ibid. pag. 509.
- Nennio, sedis quæ Magnum monasterium vocabatur episcopus, in Britannia claruit. Tom. 6. pag. 522, 523.
- Cælanus sive Kelanus abbas Noendrumensis, postea Dunensis ordinatus episcopus, in Hibernia floruit. Ibid. pag. 522. 529.
- Brendanus Findlogæ filius Ellenio in regimine Lancarvancensis cœnobii successit: ubi et baptizatus et educatus ab eo est Machutus sive Maclovius; quem Wentō comiti, Guinicastræ urbis conditori, anno ætatis

## Anno Christi.

- sexagesimo sexto Derwela, soror Amonis, patris Samsonis Dolensis, peperisse fertur. Tom. 6. pag. 50.
- Finianus, completo Britannicæ suæ peregrinationis anno trigesimo ad fidem post B. Patricii obitum neglectam restaurandam in Hiberniam rediens, scholam ibi aperuit; ex qua tanquam ex equo Trojano innumeri doctri- na, et pietate præstantes viri prodierunt. Tom. 6. pag. 472, 473. 477. 503. 532.
- Post confectum prælium Badonicum, et illud insecutam pacem Albanicam (episcoporum omnium et cleri gentis Scotorum atque Pictorum, si credere libeat, obstatione supplicii exorata) petivit rex Arthurus "Eboracum, instantis natalis Domini festum celebraturus. Cumque urbem intrasset, visa sacrarum ecclesiarum desolatione condoluit. Expulso namque beato Samsonem archiepiscopo, cunctisque sanctæ religionis viris, templa semiusta ab officio Dei cessabant. Tanta etenim Paganorum insania prævaluerat. Exin convocato clero et populo, Pyramum capellanum suum metropolitanæ sedi destinavit." Ita historia Galfridi Britannica; tom. 5. pag. 99. et ejus poeticus metaphrastes; ibid. pag. 95. Samsonem illum intelligens, cui ab Aurelio Ambrosio Eboracensem metropolim concessam fuisse dixerat: ibid. pag. 94. 519. quemque alii sede sua expulsus, cum septem episcopis (ut Vincentius) vel sex ipsius fratribus (ut Alanus vult) in Armoricam trajecisse, et in Dolensi civitate metropolitanam sibi cathedram constituisse narrant. Ibid. pag. 95, 96. et tom. 6. pag. 47, 48. Anno CCCXC. Eboracensem sedem illum adisse scribit Matthæus Florilegus, et anno DVII. adhuc ibidem floruisse: tom. 5. pag. 94. quum, juxta nostram sententiam, regnum Ambrosii in anteriora conjiciendum sit tempora; (vide supra, annum CCCCLV. CCCCLIX. CCCCLXVI. et CCCCLXXXVIII.) eaque admissa hypothesis, consistere etiam possit quod in vita Albei legimus, anno CCCCLXI. quo materno utero David Menevensis tenebatur inclusus, "Samsonem episcopum civitatis quæ vocatur Del-omhoir in extremis finibus Lethæ" (id est, Dolensis civitatis in Britannia Armuric-læthana) extitisse: quod nos in prima loci illius lectione minime animadvertimus. Tom. 6. pag. 433, 434.
- DXXI. Post commemoratam, ad finem superioris anni, a Pyramo susceptam dignitatem metropolitanam; Arthurum regem "ecclesias usque ad solum destructas renovasse, atque religiosis cœtibus virorum ac mulierum exornasse," Britannica subjicit historia: quod Alanus de insulis plenius sic expressit: "Cultum religionis, pene deletum, in civitatibus et vicis et oppidis reformavit: ecclesias, a pagana gente destructas vel dirutas, restauravit; et in eis pastores et episcopos cum clericorum officiis, prout locorum dignitas exigebat, devoto religionis studio ordinavit." Ibid. pag. 37.
- Samson, Iltuti discipulus, in monasterio a S. Germano constructo abbas constitutus, a Dubricio episcopus, sed sine titulo, est ordinatus. Tom. 5. pag. 97. et tom. 6. pag. 49.
- DXXII. S. Columba, patre Fedlimidio sive Felimæo filio Fergusii (non Erci, sed Conalli illius filii, de quo, tom. 6. pag. 230, 231.) matre Æthnea filia filii Navis (qui Navus fortasse ille fuerit, Gildæ Albanii pater; de quo, ibid. pag. 216.) in Hibernia, anno ante adventum in Britanniam XLII

Anno Christi.

dle Decembris septimo: ut habet anonymus, qui acta ipsius Hibernico idiomate descripsit (qui ex antiquo etiam poemate Hibernico annos illi ætatis 76. tribuit: qui juxta nos anni sunt 75. menses 6. quanquam Beda lib. 3. histor. cap. 4. annorum 77. illum fuisse asserat h. e. ann. 76. mens. 5. natus est. Tom. 6. pag. 229—231. 236.

S. Samson (ut in vita ejus, Landavensi regesto inserta, legimus) post acceptam "patris Dubricii abbatisque Illuti et totius cleri et populi benedictionem, consummato paschalis solemnitate officio, ac præparato navigio; assumptis quibusdam secum fratribus citra Abrinum mare (sive fretum Sabrinianum) perrexit, terram matremque suam visitavit, et ecclesiam ab ea factam consecravit:" deinde cum cognato suo Maglorio, (quem ab Illuto institutum ipse diaconum ordinaverat) allisque nonnullis clericis et laicis in Britanniam minorem prædicandi causa trajecit. Tom. 5. pag. 97, 98. et tom. 6. pag. 49.

Ad sequentem Pentecosten magnum illum conventum referimus, quem in Legionensi metropoli tanta cum pompa a rege Arthuro celebratum fuerunt. Tom. 5. pag. 104. Neque enim citius fuisse habitum, rerum post prælium Badonicum gestarum patitur varietas; et ne ulterius differamus, Dubricii archiepiscopi facit præsentia: qui sub hujus anni exitum (ut a Balæo, lib. 1. cap. 51. est notatum) XVIII. Calendas Decembris spiritum efflavit; in Enhly sive Berdeseia insula sepultus, in qua viginti millium sanctorum corpora condita esse dicuntur. Tom. 5. pag. 43—45.

De novis episcoporum ordinationibus in hoc conventu factis, ista refert historia Britannica: "B. Dubricius in eremiticam vitam anhelans, sese ab archiepiscopali sede deposuit: in cujus locum sacratum David, regis Arthuri avunculus; cujus vita exemplum totius bonitatis erat his quos doctrina imbuerat. In loco vero S. Samsonis Dolensis archipræsulis destinatur Thelias illustris presbyter Landaviæ, annuente Hoelo rege Armoricanorum Britonum; cui vita et boni mores virum commendaverant. Episcopatus vero Silcestris Mauganio, et Guintonis Dwiano decernitur: decernitur quoque pontificalis insula Alclud Eledanio." Ibid. pag. 98, 99. 105. 390.

Ubi de Samsonem et ejus successore notare libeat. I. Samsonem seniore hic intelligi, de quo ad annum DXX. dictum: qui ab Eboracensi cathedra ad Dolensem migravisse traditur: quod in pagina 98. minime a nobis consideratum fuerat. II. Samsonis hujus in Dolensi archiepiscopatu successorem a Matthæo Florilego alium Samsonem constitui: ibid. pag. 107. et tom. 6. pag. 48. illum nimirum quem, paulo ante hunc conventum habitum, Dubricii, et Illuti magistri sui benedictione accepta, in Armericam abisse diximus: quæ Dubricii mentio, ne ultra hunc annum professionem Samsonis prorogemus, etiam efficit: licet officium episcopale, in patria a Dubrico illi impositum, in ecclesia Dolensi agente Childberto (qui hoc tempore regnum Francorum nondum obtinuerat) demum exerceret. Tom. 5. pag. 97. et tom. 6. pag. 49. III. Posteriorem hunc Samsonem, archiepiscopum primum Dolensis civitatis, et summa cum Landavensi episcopo Thelias amicitia conjunctum, in Landavensi regesto perhiberi. Neque enim Dolensium episcoporum indiculus seniore illum Eboracensem Samsonem magis agnos-

## Anno Christi.

- cit, quam juniorem illum Menevensem alterum; quem a Menevensi sede ad Dolensem archiepiscopale pallium transtulisse, ex Dolensis ecclesie sequentia quadam Giraldus Menevensis archidiaconus confirmare nititur. Tom. 5. pag. 95—97. IV. Thelium igitur illum illustrem presbyterum Landaviæ (quem tamen jam antea episcopum, sed sine titulo, una cum Davide et Paterno ab Hierosolymitano patriarcha ordinatum retulerunt alii) non Samsoni in Dolensi, sed magistro suo Dubricio in Landavensi cathedra successisse; *ibid.* pag. 106, 107, 123. et tom. 6. pag. 45. Davide in Legionensi archiepiscopatu eidem Dubricio substituto: quam occasione retentæ a Davide antiquæ sedis suæ Menevensis et maxime frequentatæ, non Legionensis solum sed etiam Menevensis archiepiscopus ille dictus fuerit: tom. 5. pag. 112, 123. eoque Merlinianum illud Giraldus huc pertraxerit; "Menevia pallio urbis Legionum inductur." *Ibid.* pag. 104."
- DXXIII. Calendis Februarii S. Brigida septuagenaria, annis XXX. post mortem B. Patricii, obiit. Tom. 6. pag. 444—447, 465. Ejus corpus Kildaræ sepultum, ad Dunensem ecclesiam postea est translatum. *Ibid.* pag. 451—454.
- DXXVI. Ailillus sextus episcopus Armachanus mortuus est. Successit illi Ailillus alter. *Ibid.* pag. 437.
- DXXVII. S. Canicus in Hibernia natus est, patre Lyadeco poeta nepote Dalani. Tom. 6. pag. 473, 526.
- Orientalis Angli Britannos Christianos omni crudelitatis genere affectis dicuntur. *Ibid.* pag. 33.
- Ad eundem annum S. Ailbei Imalecensis episcopi obitum annales Ultonienses et Inisfallenses referunt: et Colmanum, ante annos XI. in lucem editum, sacras ab eo literas didicisse, in ejusdem Colmani actis legimus: *ibid.* pag. 529. quorum neutrum cum illorum rationibus potest consistere, qui Ailbeum ante adventum Patricii Christianam fidem Hibernis annuntiavisse statuunt. *Ibid.* pag. 332, 333, 433, 434.
- DXXIX. Comainus Brecc in Hibernia natus est. *Ibid.* pag. 533.
- Kynotus sive Kinocus ab Arthuro rege rector scholæ Cantabrigiensi constitutus fuisse fingitur. *Ibid.* pag. 31.
- Justinianus et Honorius in Ramseia insula, Kynedus in Gowera occidentali claruisse dicuntur. *Ibid.* pag. 44, 45.
- S. David, cum septem Cambriæ episcopis quorum ille primas erat, Glastoniam venisse, et ecclesiam S. Mariæ minorem ibi construxisse dicitur: tom. 5. pag. 112, 140, 141. ubi a Glastoniensibus ad annum DLXV. vel DLXVI. hoc referri nota: quod tempore morti illius in Britannica historia assignato longe est posterius. Vide infra, annum DXLIV. et ex anonymo vitæ Davidis scriptore hoc quoque, si placet, accipe: "Ipse fundavit Glastingbernense monasterium; et deinde Badum (id est Bathoniam, de qua ad annum DXX.) ubi aquam mortiferam sua benedictione effecit lavandis corporibus salubrem: deinde alia construxit monasteria."
- Ab eodem Davide provincialis totius Cambriæ synodus est coacta, cui nomen Victoria: in qua Breviensis concilii acta contra Pelagianos confirmata sunt, et addita alia, quæ ad commodum ecclesie regimen vidcban-



## Anno Christi.

- tur necessaria. Utriusque synodi decreta ipse David sua manu literis mandavit, suæque et aliis per Cambriam ecclesiis servanda commendavit: quæ sub eo deinceps statum habuerunt florentissimum. Tom. 5. pag. 542.
- Paulus Britannus, Illuti discipulus, comitis Withuri et Childeberti regis Francorum opera Ossissimorum sive Leonensis in Armorica factus est episcopus. Ibid. pag. 539. et tom. 6. pag. 77, 78.
- Kieranus filius artificis, accepta licentia a magistro suo Finiano, ad Ninnidum primum in quadam sylva stagni Erui commorantem, deinde ad Endeum Aranensis insulæ abbatem profectus fuisse dicitur: tom. 6. pag. 525. sub quo annis VII. trituratoris in eadem insula illum exercuisse officium vitæ Endei scriptor significat: licet ipsum Endeum admodum longævum fuisse oporteat, si eo usque vitam produxerit: de quo vidend. ibid. pag. 428, 533, 534. ubi de Brendano Findlogæ filio ipsum invivente.
- DXXXI. Hoc anno, Aprilis die septimo, datum habetur commentitium regis Arthuri diploma; per nepotem suum Wolvanum (ut nugatores fingunt) ad Kynotum Cantabrigiensis scholæ rectorem transmissum: tom. 5. pag. 159. et tom. 6. pag. 33. quod non aliam meretur fidem, quam aniles illæ de rebus ab Arthuro extra Britanniam gestis fabulæ (de quibus, tom. 6. pag. 34—38. 176.) ab Hectore Boethio quoque, licet et ipso fabulatore maximo, impugnatæ. Histor. Scotor. lib. 9. fol. 163. b.
- DXXXIV. Cerdicus Occiduorum Saxonum rex interiit: qui fœdere cum Modredo nepote regis Arthuri inito, septem ab eo Angliæ comitatus accepisse dicitur. Tom. 6. pag. 38.
- DXXXVI. Ailillus, septimus episcopus Armachanus, mortuus est. Ibid. pag. 437.
- DXXXVII. Hoc anno, vel DXXXV. ut alii volunt, XIII. Calendas Septembris Mochæus Ludunensis episcopus, S. Patricii discipulus mortem obiit. Ibid. pag. 415.
- DXXXVIII. Pulso in exilium Silverio, in Romanam sedem intrusus est Vigilus: ad quorum alterutrum, ab avunculo Arthuro, Walwanus, Lothi regis Pictlandiæ et filiæ Utheri Pendraconis regis Britannorum filius, duodecim annorum juvenis, educandus putatur fuisse missus. Ibid. pag. 31, 32.
- Kieranus filius artificis, relicta Aranensi insula, ad Cathaianam profectus est: in qua sub Senano, insulæ illius abbate et episcopo, magister hospitum est constitutus. Ibid. pag. 525.
- DXL. Gildas Badonicus, in Illuti schola studiorum suorum primis fundamentis positus, tom. 5. pag. 539. Iren perrexit; quam ego non aliam quam Hiberniam esse existimo: in qua eo tempore, post Armachanam et Finiani scholam, celebris fuit Rossensis alia, a S. Fachnано viro sapiente constituta; in qua S. Brendanus artea liberales prælegisse dicitur. Tom. 6. pag. 471, 472.
- Mendabnaucus (aliis Modomnoch dictus) Davidis Menevensis discipulus, apes in Hiberniam (Solni tempore ibi desideratas) primus detulisse dicitur: quod alii tamen S. Dominico Ossoriensi tribuendum autumant. Ibid. pag. 521, 522.

## Anno Christi.

- S. Servanus senex, Kentigerno a se discedente, migravit ad Dominum. Tom. 6. pag. 214, 215.
- Kentigernus, anno ætatis suæ XXV. Glascuensis ecclesiæ et Cumbrensis dioceseos ab Hibernico quodam episcopo præsulconsecratus, egregie munere suo functus fuisse dicitur. Ibid. pag. 224, 225.
- Finanus qui et Winninus Romæ, ubi septem annis manserat, sacerdotii gradum adeptus, in patria sua Hibernia multis annis episcopi functus est officio. Ibid. pag. 522, 523.
- Ilundus sive Ilandus episcopus in Hibernia claruit. Tom. 6. pag. 534.
- Docus abbas, S. Canici magister, in Britannia claruit. Ibid. pag. 520.
- Iltutus, Atrochius et Isanus abbates mortem obierunt. Ibid. pag. 42, 43.
- Paternus, postquam per annos XXI. in Lan-paternensi a se denominata ecclesia vixisset, a rege Caradauco (qui, ultra terminos Britannicæ regno propagato, minorem Britanniam regno suo subjugaverat) in Armorican revocatus, Venetensem episcopatum ibi obtinuit; et in Samsonis metropolitæ Dolensis intima familiaritate versatus est. Tom. 5. pag. 114. et tom. 6. pag. 45—47. In Lan-paternensi vero episcopatu Kinocum sive Cenaucum ille habuit successorem. Tom. 5. pag. 106. 114. et tom. 6. pag. 43.
- S. Finiani discipuli in Hibernia fuere celebres: tom. 6. pag. 472, 473.
- Kieranus filius artificis; Columba Cille; Columba alter, Cruintheadni filius, Tirdaglasie apud Momonienses juxta Sinneum fluvium conditor; ibid. pag. 533. Brendanus filius Findlogæ, trium millium (ut præter alios habet Wernerus Laerius in temporum fasciculo) monachorum pater; ibid. pag. 474. Brendanus alter, Nelmi sive Nemaindi clari poetæ filius, Birrani monasterii in medietate Hiberniæ positi conditor; tom. 5. pag. 518. et tom. 6. pag. 523. Moby Clarinech; Laisreanus qui et Molasse, filius Nadfraichi, monasterii Damh-inis in stagno Ernensi conditor; tom. 6. pag. 531. Sinellus filius Maenaci sive Maynacur, abbas monasterii de Cluayn-inis in stagno eodem; ibid. pag. 503. Canicus nepotis Dalani filius, monasterii Campuli Bovis sive Achadh-bho et Cellæ Canici sive Kilkenniæ conditor; ibid. pag. 526. Ruadanus, monasterii Lothrani in regione Muscraiana conditor; Nannyd Lamdere, Mugenocus Kilkicumuli, episcopus Sennachus; et Coemannus, qui et Commanus, Fealconi filius, Roscommanniæ apud Connacienses fundator. Ibid. pag. 532.
- DXLII.** Cambalanicum prælium in Cornubia gestum: in quo rex Arthurus et nepos ejus Walwanus, contra fratrem Modredum depugnans, cum aliis multis ceciderunt. Tom. 5. pag. 105. 144, 145. 459. 544. et tom. 6. pag. 32. 38—42.
- In Glastoniensi vero insula sepultus est Arthurus: tom. 5. pag. 144—149. et tom. 6. pag. 38—42. ut et Weneveria uxor ejus secunda, tom. 5. pag. 144—148. Hanc ex nobili genere Romanorum editam, Arthurum, quum confectis bellis Britannicis, circa annum DXXI. totius patriæ statum in pristinam dignitatem reduxisset, uxorem accepisse; eamque hoc anno ad urbem Legionum diffugientem, in templo Julii martyris vitam monasticam suscepisse, tradit historia Britannica. Lib. 9. cap. 9. et lib. 10. cap. 1. Ut secunda dicta videri possit, respectu Guennivaræ alterius ab Arthuro in ipso regni sui initio ductæ; quam a Melua Sommersettensium rege raptam ad annum DIX. ex Caradoco Lancarvanensi an-

Anno Christi.

notavimus. Quæ an illa Guanora regis Arthuri uxor fuerit, cujus in Albania ostendebatur tumulus (quem si mulieres calcavissent, steriles inde se futuras credebant; ut ex gentiliū auorum opinione Hector Boethius retulit) ipsi Scoti Albienses viderint.

Arthurum cognato suo Constantino, filio Cadoris ducis Cornubiæ, diadema Britannicæ reliquisse; tom. 5. pag. 105. 144. et tom. 6. pag. 56. eumque Modredi filiorum alterum Wintoniæ in ecclesia S. Amphibali, alterum Londini in fratrum quorundam cœnobio absconditum, ante altaria trucidavisse, tom. 6. pag. 57, 58. narrat Galfridus Monemuthensis et eum secutus Matthæus Florilegus. At Gildas, qui ipso Constantino regnante libellum suum edidit, eum non Britannici regni monarcham sed Damnoniæ sive Cornubiæ tyrannum fuisse significat: ibid. pag. 57. neque S. Amphibali ecclesiam ille nominat in qua, sed sancti ejusdam abbatis amphibalum (sive exterius vestimentum) sub quo nefaria illa cædes commissæ fuerit. Ibid. pag. 58. Videndumque an non ad Constantinum etiam spectet, quod de Ambrosii Aureliani posteris apud eundem Gildam legitur; suis temporibus ejus sobolem magnopere ab avita bonitate degeneravisse. Tom. 5. pag. 511. Ut enim ipsum Ambrosium ab eo qui Romanæ gentis postremus purpuram in Britannia induit Constantino, ita et Constantinum hunc nostrum ab Ambrosio genus duxisse, indeque proavi (a quo regis dignitatis splendor in familiam suam primum inductus fuerat) nomen usurpavisse, probabile videri posset atque verisimile.

**DXLIII.** Kentigernus, post mortem Marken regis Cumbrensis provinciæ, aedem Glascuensem relinquere coactus, Meneviam ad S. Davidem iter cepisse, et juxta Caerleon multos ad fidem convertisse atque ecclesiam construxisse dicitur. Tom. 6. pag. 85. 226.

Idem a rege Venedotiæ Cathwallaino loco accepto, Elgucæ cœnobium extruxit, et episcopatus sedem constituit, impediente primum subregulo Malgone vel Maglocuno, sed postea adjunctante: tom. 5. pag. 112. 115. et tom. 6. pag. 85, 86. vid. et pag. 87. ubi Pelagianis se opposuisse, et tom. 5. pag. 322. ubi Oxonii literis operam dedisse dicitur.

**DXLIV.** Malgo vel Maglocunus ille, in primis adolescentiæ aetate avunculo rege Cathwallaino cum fortissimis militibus oppresso, Venedotiæ regnum invasit. Tom. 5. pag. 64. 86. Vitæ S. Paterni scriptor "Mailgunum hunc (sic enim appellat) regem borealium Britonum ad debellandos et deprædandos australes Britones cum exercitu venisse, semper tentatorem sanctorum" extitisse, et speclatim S. Paternum injuria affecisse memorat. Ibid. pag. 46. 66. Eundem novam civitatem Bangor, ad fluvium (vel sinum mariorum potius) Menai dictum, erexisse Johannea Rossus auctor est. Tom. 5. pag. 112. 161. et tom. 6. pag. 44.

Daniel portus illius, in quo nova illa civitas Bangor est erecta, episcopus defunctus est, et in Berdeia insula sepultus. Tom. 6. pag. 43.

Theonus, Glocestrensis episcopus, ad Londinensem archiepiscopatum translatus fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 88—90. 390. et tom. 6. pag. 43.

David Menevensis, et Legionensis antistes, Calendia Martiis, feria tertia, in Menevensi suo cœnobio mortuus, et jubente Malgone Vendotorum rege, in eadem ecclesia sepultus est. Tom. 5. pag. 98. 105, 106. et tom. 6. pag. 44. Successit illi in archiepiscopatu Kinocus sive Cenaucus, qui an-

## Anno Christi.

- tea Lampaternensis ecclesie fuerat episcopus. Tom. 5. pag. 106. 114, 115. et tom. 6. pag. 31. 43. 45.
- Eodem quo ex hac vita David emigravit die, de imminente reipublica et ecclesie Britannice dissipatione Kentigenus, Elvius sive Elguensis episcopus, prophetavisse dicitur: tom. 6. pag. 88. eodemque die in Hibernia Senanus, qui B. Patricio in episcopatu Iniscattensi successerat, vitam finivisse. Ibid. pag. 436. 510.
- Tuathalo Maelgarb jugulato successit in regno Hibernie Dermotus I. Cervailli filius: ibid. pag. 514. 523. Kierano filio artificis (sedem Iniscattensem, quo illum fama Senani attaxerat, ob monachorum illi superstitioni invidiam relinquenti) Cluain-macnois et insulam Anginam, cum centum ecclesiis sive cellis in Midia et Breaghmuir dono dedit. Ibid. pag. 525. Kieranus vero, civitate Clonardensi cum suis villulis magistro suo Finiano donata (qui celeberrimam suam scholam eo deinde transtulit) in Angina insula maximum ipse fundavit monasterium, et ad usus pauperum redditus acquisivit amplissimos. Ibid. pag. 473. 525.
- DXLVI.** Diare Columcill fundata est: tom. 6. pag. 527. not. urbs videlicet episcopalis Derriensis in Ultonia, ubi a B. Columba celebre conditum est monasterium, Roberetum Calgachi sive Calcagi ab Adamnato in illius vita appellatum; ut distingueretur ab altero illo Roboreo sive Roboreti CAMPO Dearmach dicto, ubi non minus celebre in mediterranea Hibernie parte, in comitatu nimirum regio, ab eo positum est cenobium. Ibid. pag. 231. 474. Columba vero regulam monasticam condidit: et centum monasteriorum, partim in Hibernia, partim postea in Britannia, fundator extitit. Ibid. pag. 228. 243. 474. 483.
- DXLVIII.** Kieranus filius artificis, in Angina insula successore Dompnano sive Adomnato Momonicensi relicto, cenobium Clonense sive Cluain-macnois in Midia proximo ante obitum suum anno construxit. Ibid. pag. 473. 502. 525.
- Petrocus Britannus relicto Lodoricensi suo monasterio, in quo per triginta annos commoratus discipulos doctrina et pietate illustres Credanum, Medanum et Dachanum instituerat, Romam et Hierosolimam visitavisse, deinde ad Indiam et orientalem Oceanum penetravisse, ibique in ignota quadam insula integro septennio theoretice vite vacavisse dicitur. Ibid. pag. 84.
- DXLIX.** Kieranus, annos tantum XXXIII. natus, in Clonensi sua civitate obiit; tertio antequam Coemgenus sive Keivinus abbas Glindelacensis ad eum visitandum illuc pervenerat die. Ibid. pag. 473. 525. De monastica Kierani regula, vid. pag. 404.
- DL.** Quartus cyclus paschalis octoginta quatuor annorum incipit.
- Nonis Aprilibus (vel die praecedente, ut volunt alii) Tigernacus episcopus, cenobii Cluanensis in Monachanensi comitatu conditor, mortem obiit. Ibid. pag. 417.
- Colmanus sive Colmanelus, Dromorensis episcopus, in aquilonali parte fluminis Locha nobile construxit monasterium. Ibid. pag. 430. 529.
- Coemanus, monasterii Ead cruin sive Enach-truim abbas, Mocuminus, et Fintanus abbas monasterii Cluain-aednach, discipuli Columbi filii Cruinthaini, in Hibernia claruerunt. Tom. 5. pag. 506. et tom. 6. pag. 532, 533.

Anno Christi.

Melkinus sive Mevinus in Britannia claruisse dicitur. Tom. 5. pag. 37. 392. Vid. Balæum, centur. I. cap. 57.

DLII. Hoc anno, ut ex Inisfallensibus annalibus intelligitur, die duodecimo Decembris, obiit doctissimus ille Finianus, Cluuardensis episcopus; "præcipuus inter sanctos secundi ordinis in Hibernia." Tom. 6. pag. 822.

DLIV. Gildas Badonicus, Iltuti discipulus, ex Britannia majore in minorem, decem ante scriptum suum libellum annis, recessisse dicitur. Tom. 5. pag. 509. et tom. 6. pag. 468, 469.

Leonorius episcopus Britannus, Iltuti quoque discipulus, cum LXXII. discipulis in Galliam transiit, tempore Childeberti regis Francorum et reginæ Ultragothæ. Ejus et Samsonis Dolensis episcopi interventu Judualus vel Indualus ducis Armorici Rigualdi sive Jonæ filius, qui a rege et regina captivus est detentus, et libertati et debitæ sibi hæreditati restitutus est; Commoro Britanni ducatus invasore ab injusta possessione deturbato. Tom. 6. pag. 52.

DLVII. Brudeus sive Bridius, quem S. Columba postea ad fidem Christi convertit, rex Pictorum efficitur. Ibid. pag. 233.

Petrocus Britannus ab orientali oceano ad occidentalem Britanniam iter confecisse dicitur; in qua Tendurus tum regnaverit, "vir atrox ac ferus moribus." Ibid. pag. 84, 85. Tandem vero Bodmaniæ sive Bodminiæ in Cornubia vitam Petrocus finit: ubi olim corpus ejus conditum habebatur. Ibid. pag. 84.

Concilio Parisiensi III. Samson et Paternus, una cum Germano Parisiensi episcopo, subscripserunt, tom. 5. pag. 97. et tom. 6. pag. 47. 49. quorum prior Dolensis, posterior Venetensis videtur fuisse episcopus, qui relicta Britannia Armorica ad Francos postea abiit, et XVII. Calendas Maii mortem obiit; in Berdseia insula (ut quidam volunt) sepultus. Tom. 6. pag. 47.

DLIX. Benchoresis ecclesia in Ultonia fundata: ubi numerosissimo monachorum cœtui sub propria regula viventium B. Comgallus præfuit; in hoc atque aliis monasteriis et cellis a se positis tria cœnobarum millia sub sua habens præfectura. Tom. 5. pag. 161. 506. et tom. 6. pag. 475. 482, 483. 524. 527.

DLX. Florentinus Hibernus Ambasiæ in Gallia, tempore Germani Parisiensium et Gildasii Ruthenensium episcopi, claruit. Tom. 6. pag. 309, 310.

Colmanus Beognai filius, qui et Elo postea cognominatus est, Coemani discipulus, in Connerensi civitate enituit: ibid. pag. 529, 530. 533. frater item S. Columbæ junior Jogenus, et ex tribus sororibus nepotes, claruerunt. Ibid. pag. 231.

Rodericus, in Hibernia a discipulis B. Patricii baptizatus, regnum Cumbrense adeptus, Kentigernum ab episcopatu Elguensi ad primam suam sedem Glascuensem revocat. Is, discipulo suo Asapho in episcopatu Elguensi collocato (qui ab ipso postea S. Asaphi nomen accepit) cum DCLX. fratribus domum rediit, et religionem Christianam in patria sua restaurat. Tom. 5. pag. 111, 112. 115. et tom. 6. pag. 86, 87. 226, 227.

DLXI. Culedreibnense prælium, in finibus Ultoniæ et Conaciæ gestum: in quo tria millia hominum occubuisse, et regis Hiberniæ Dermitti filii Cervaili exercitum precibus Columbæ Cillii fuisse memorant. Tom. 6. pag. 236. 466—468. 532.

Anno Christi.

- S. Columba in synodu Hiberniæ, cui Brendanus abbas Birræ interfuit, excommunicatus est. Tom. 6. pag. 468. Adamnan. de rebus S. Columbæ, lib. 3. cap. 3.
- DLXII. Literæ a senioribus Hiberniæ et S. Columba ad Gildam Badonicum, in Britannia Armorica tunc commorantem, scriptæ. Tom. 6. pag. 468.
- DLXIII. Columba, consilium Finiani Clunardensis episcopi magistri sui, Brendani abbotis Birræ et Laisreani filii Nadfraichi condiscipulorum suorum secutus, reliquit Hiberniam; et navigavit in Britanniam. Ibid. pag. 228. 233. 235. 236. 276. 467, 468.
- Duodecim discipulorum, qui ipsum in Britanniam comitati sunt, nomina; et scripta illis a Dempstero afficta. Ibid. pag. 237—239.
- Mona-dairense sive Onde-monense prælium in Hibernia gestum; in quo Ainmereus filius Setni, et filii Mac Eirce, Donnallus et Forcus (sive Donaldus et Fergusius) reges tum quidem provinciales, postea vero universæ præfecti Hiberniæ victoriam (uti etiam in Culdreibernsi ante biennium commisso) de inimicis reportarunt. Echodius Laib rex Cruithnorum victus, curru insidens evasit. Ibid. pag. 236.
- Eo tempore S. Columba in Britannia cum Conallo filio Comgill Scotorum Albensium rege, de cujus religione mira memoriæ sunt prodita, versabatur. Ibid. pag. 246. 252, 253.
- A Conallo hoc Comgalli filio insulam I sive Ily, quæ Ionæ postea nomen obtinuit, S. Columbæ donatam fuisse, Hibernici tradunt annales: licet a Pictis eam acceptam fuisse Beda scribat. Tom. 6. pag. 246. De hac insula videnda, quæ notata sunt, ibid. pag. 239—246.
- S. Columba in Britannia XXXIV. annorum spatio commoratus, non septentrionales solum Pictos ad Christianam religionem convertit; sed etiam usque ad maxime australes Scotorum et Pictorum terminos progressus fidem prædicavit. Ibid. pag. 228. 233—236. 244. 247.
- DLXIV. Gildas Badonicus querulum suum libellum edidit: in quo tum reges, Constantinum, Aurelium, Vortiporium, Cuneglasum, Maglocunum, tum clerum Britannæ acriter insectatur et exagitat. Tom. 5. pag. 544. et tom. 6. pag. 52—77. 468. Aliud ab eo scriptum nihil extat: si fragmenta quædam fortasse exceperis, MSS. canonum libris interserta; quæ huic an Albanio Gildæ tribuenda fuerint, incertum est. Tom. 6. pag. 76. Nam quod Pseudo-Plauti Anulariam sive Querolum Johannes Philippus Pareus, cum aliis viris doctissimis, Gildæ nostro attribuit, haud facile admittendum putamus: ibid. pag. 76, 77. præsertim si Rutilius ille, cui Querolum dicatum videmus, Rutilius Numatianus fuerit; quem et a fide Christiana alienum, et Gilda longe antiquiorem fuisse certo constat. Ibid. pag. 394.
- DLXV. Diormitius filius Cerbulis, totius Scotiæ regnator, ab Aido cognomento Nigro, gente Cruthinio, interfectus est; ut in ἀνεκδότοις Adomnani legimus. Fergusius et Donaldus, filii Muircheartachi filii Eræ (Adomnani Donnallus et Forcus, filii Mac Eirce dicti) successerunt. Ibid. pag. 236. 515.
- DLXVI. Ainmureus vel Ainmurechus, filius Setnai, Hiberniæ monarchiam obtinuit: ibid. pag. 469. 515. post Davidis Menevensis episcopi nativitatem CIV. et post tempus mortis ejusdem a nobis constitutum XXII. Ut merito suspectum sit, quod in vita S. Ædani sive Moedhogi legimus;

## Anno Christi.

puerum illum "regi Temoriæ Annireo obsidem" fuisse datum, non paucis antequam Davidis episcopi magisterio se tradiderat annis. Tom. 6. pag. 537. Alius vitæ ejusdem scriptor, "ad regem Hiberniæ illum qui morabatur in Themoria" obsidem ductum fuisse puerum; posteaque in Britannia peregrinatum fuisse, et in cœnobii quibusdam vitam egisse, refert: nulla vel regis Ainmirei vel episcopi Davidis speciatim facta mentione. Ut vel in regis alicujus Ainmireo antiquioris tempora pueritiam Ædani incurrisse, vel in Menevensi Davidis jam defuncti cœnobio monasticam illum vitam coluisse, dicendum videatur. Nam ut, cum aliis, Davidem annos CXLVII. vixisse, aut ad annum Christi DCIV. vitam produxisse dicamus, ægre adhuc persuaderi nobis patimur. Tom. 5. pag. 105. 112, 113. et tom. 6. pag. 43, 44. Quod ipsum etiam de Ædani discipulo Swithuno alias Scholano dicto sentimus: quem ad Davidem ab eo missum, et Wintoniensem postea factum fuisse episcopum perhibent. Tom. 5. pag. 390.

Gildas Badonicus a rege Ainmireo accersitus in Hiberniam, plurima ibidem emendasse traditur. Tom. 6. pag. 470, 471. 476. 520.

DLXIX. Ainmireo Hiberniæ monarchæ occiso successerunt Boethanus et Eochanus. Ibid. pag. 470. 515.

DLXX. Gildas Badonicus obiit. Ibid. pag. 470.

Laisreanus qui et Molasse, filius Nadfraichi, mortuus est. Ibid. pag. 531. 532.

Machutes (qui et Maclovius) Britannus, Brendani filii Findlogæ Hiberni discipulus, Alethanæ ecclesiæ primus episcopus præfuit, annis XL. Tom. 5. pag. 97. et tom. 6. pag. 50.

Frigidianus regis Ultoniæ filius, Luccensis in Italia episcopus, claruit. Tom. 6. pag. 412.

Eugenius episcopus Ardsrathanus; ibid. pag. 526. Nessanus; ibid. pag. 478. 501. 531. Coemgenus sive Keivinus, monasterii Glindelachensis fundator; ibid. pag. 524, 525. Berchanus, quem sensu oculorum privatum, sed spiritu prophetico præditum fuisse aiunt; ibid. pag. 534. Moditeus, sive Medocius ille fuerit; ibid. pag. 528. Colmanus filius Darane, monasterii Dairmorensis in Eliana regione conditor, et Colmanus Dub-culian sive Duib-chuilind dictus, ibid. pag. 529, 530. in Hibernia claruerunt.

DLXXI. Brendanus filius Luaignei, monasterii Birrani fundator, in Hibernia diem clausit extremum; quem S. Columbæ in Iona insula agentis statim innotuisse narrat Adamnanus. Ibid. pag. 445. 523.

DLXXII. Æda sive Hugo (in Adomnani ineditis Aidús filius Ainmurech dictus) Hiberniæ factus est monarcha, annis XXVI. Ibid. pag. 515.

DLXXIV. Aidanus sive Ædanus filius Gabrani, a B. Columba in Iona insula Scotorum Albicinium rex inauguratus est. Ibid. pag. 145. 252.

DLXXVII. Ceaulinus occidentalium Saxonum rex, prælio cum tribus Britanorum regibus Christianis ad Deorham inito, eos interemit; et exercitu ipsorum profligato, tres urbes munitissimas, Glocestriam, Circeestriam et Bathoniam receperunt. Ibid. pag. 90, 91.

Brendanus Findlogæ filius (de cujus septennali navigatione prodigiöse feruntur fabulæ) XVII. Calendas Junii, expletis ætatis suæ annis XCIII. in

Anno Christi.

sororis suæ Brigæ monasterio Enach-duin dicto vita functus, Cluáin-fearta sepultus est. Tom. 6. pag. 50. 523, 524. De ejus regula monastica, vid. pag. 484.

DLXXIX. Fintanus, quí et Munnu, XVIII. ante mortem B. Columbæ annis cum S. Sinello Mac Maynacur (sive Maenaci filio, *ibid.* pag. 473.) abbate monasterii de Cluayn-ynis in stagno Erne moratus est. *Ibid.* pag. 503. S. Kentigernus et S. Columba congressi, multa de Christianæ religionis arcanis coram Brudeo Pictorum rege disseruerunt. Aliquanto post tempore ad castrum Calidonix profecti, vicinarum regionum incolas ad veræ pietatis observationem sermonibus suis incitarunt. Sexto post mense inde discedentes; Kentigernus ad sedem suam Glascuensem, Columba in Hebrides primum, inde in Hiberniam abiit. Tom. 6. pag. 247. 250, 251.

DLXXX. Claruerunt apud Hibernos, Congellus, monasterii Cambasiani abbas; tom. 5. pag. 506. Evinus, qui vitam S. Patricii, partim Latino partim Hibernico sermone, conscripsit; tom. 6. pag. 373. Lugidus, qui et Molua, discipulus Comgalli, cœnobii Clonfertensis in Ophalia conditor; *Ibid.* pag. 484. 501. 511. 527. 541. Ædus filius Bricci episcopus, monasterii Enach-midbrenir conditor; *ibid.* pag. 534. Cormacus, qui eremum in Oceano ter frustra quæsivit; *ibid.* pag. 523, 529. Lugudus filius Tailchani, in monasterio Cloni-finchoil senex Christi miles; *ibid.* pag. 527. et Colmanus filius Beognai, qui (presentibus Ædo filio Anmirechi, Columba Chille et S. Canico) ab Ædo Flan (al. Slani) duce nepotum Neill in Midia saltum Fidb-elo dictum accepit, ibique monasterium Land-clo sive Linalli construxit. *Ibid.* pag. 475. 529, 530.

DLXXXI. Hoc anno Malgonem sive Maglocunum regem Britonum factum Matthæus Florilegus significat: quod ut de Cambrensiu Britonum regno accipiamus, electionis illius formula suadet, quæ in antiquissimo libro de legibus Britannorum descripta extat: tom. 5. pag. 98. 112. utcumque Britannicæ consarcinator historix, non modo totam insulam obtinuisse, sed etiam "sex comprovinciales oceani insulas, Hiberniam videlicet, atque Islandiam, Godlandiam, Orcaides, Norwegiam, Daciam, adjecisse dirisimis præliis potestati suæ," affirmet: tom. 6. pag. 64. ex Insularis Draconis titulo, quem Gildas illi tribuit, commenti occasione arrepta: quum ne totius quidem Cambriæ regem illum fuisse Gildas agnoverit (utpote Vortiporium eodem tempore Demetarum tyrannum nominans) nedum totius insulæ, aut aliarum insularum ab ea remotissimarum, minimeque omnium, Norwegiæ et Daciæ, quæ ne inter insulas quidem veniunt numerandæ. Nam quod ille quidem "robustus armis et major multis potentia, multos tyrannos depulisset tam regno quam etiam vita;" *ibid.* pag. 64. haud inepte Draconis illum metaphora designare Gildas poterat: Insularis etiam adjecto epitheto, vel quia in vicinis insulis grassatus ille fuerit, (ut tom. 5. pag. 98. ex Camdeno dictum) vel (quod ego potius senserim) quia in Angleseia sive Mona insula sedem regni is habuerit; quæ non modo ut Venedotiæ (cujus rex, eo quo Gildas scripsit tempore, Maglocunus fuerat) provincia princeps, sed etiam ob soli ubertatem Mater<sup>a</sup> Cambriæ totius, commune Cambro-Britannorum elogio celebratur. Neque multo majorem meretur fidem

<sup>a</sup> Mon mam Cymry.



Anno Christi.

quod ex Kentigerni legenda retulimus; cum, Galwedra et Albania conversa, suos misisse discipulos ad Orcades, Norwegiam et Islandiam luce fidei imbuendas. Tom. 6. pag. 223.

DLXXXII. Winochus Britto, veniens de Britannia, sanctitate clarebat in Gallia. Siebert. in chronic.

DLXXXIV. Malgona Britonibus et Aidano Scotis Albiensibus imperante, in Fedhanlea juxta Stanmoriam Ceaulinus occidentalium Saxonum rex et filius ejus Cuthwinus cum Britannis acerrimo prælio conflixerunt: in quo Cuthwinus occubuit, et Angli fugati sunt. Ceaulinus tamen, rursus reparato exercitu, tandem victores vicit; persequensque Britannos, regiones multas et innumerabilia spolia cepit. Tom. 6. pag. 90.

Brudeo vel Bridio Pictorum regi hoc anno (ut ex Ultoniensibus annalibus intelligimus) vita functo Garnardus filius Domnachii successisse dicitur; qui Abernethianam fundavit ecclesiam. Ibid. pag. 256.

Ruadanus eodem anno (ut Tigernaci docent annales) mortuus est in Lothrano a se condito cœnobio; a quo et Ruadan Lothra cognomentum ille accepit. Ibid. pag. 472.

DLXXXVIII. Conversio Constantini ad Dominum, in annalibus et Ultoniensibus et Tigernaci annotata habetur: qui Constantinus ille est, Damnoniæ sive Cornubiæ rex, asperius a Gilda in querulo suo libello appellatus. Ibid. pag. 56, 57. Hunc enim, liberis et conjuge orbatum, terreui regni pertæsum, clam suis abiisse in Hiberniam, ibique vitam egisse monasticam, nonnulli scribunt. Ibid. pag. 59.

Constantino, Cornubiense regnum deserenti, suffectus est Gerennius: ad quem Thelias Landavensis episcopus cum suis pestem ictericam eo tempore in patria sævientem fugiens divertisse legitur. Murbo enim illo epidemico universam Cambriam, cui Malgo (qui et Maglocunus) tunc præerat, miserum in modum devastante; quidam in Hiberniam, plures vero in Franciam perrexerunt. Inter quos Thelias, cum suis comitibus, Cornubia relicta, Britanniam Armoricam petiit: ubi a sororis suæ marito Budica, rege terræ illius (quæ ab eo Cerniubudic nomen accepit) et Samsone Dolcusi antistite honorifice exceptus est. Tom. 5. pag. 98. 106, 107. 110. et tom. 6. pag. 72—82.

DLXXXIX. Columbanus, discipulus Congalli, ex Hibernia cum Gallo aliisque probatis discipulis venit in Burgundiam: ubi Luxoviense monasterium condidit. Tom. 5. pag. 505, 506. et tom. 6. pag. 229. 270. 275. 279. 282. 476. 481. 483, 484—De monastica illius regula, vid. pag. 484—487. Ædus episcopus, Bricci filius, in Hibernia mortuus est. Tom. 6. pag. 533, 534.

DXC. Leithredense sive Miatorum prælium commissum est: in quo, Scotorum Abiensium regi Ædano infelix contigit victoria; duobus ipsius filii, Arthurio et Echodio Find (sive Eugenio Albo) una cum trecentis de exercitu ipsius aliis interfectis. Ibid. pag. 253.

Constantinus monachus, ex Hibernia ad Scotas Albienses instituendos missus, in Britanniam una cum S. Columba (non tamen in prima illius profectioe; quando regem Cornubiæ adhuc Constantinum exiisse Gildæ proximo post eam anno editus ostendit libellus) navigavit: ubi fidem Christi et Scotis prædicans et Pictis, totam terram Kentricanam convertit; ibidemque tandem impiorum manibus passus martyrium, in Govani-

## Anno Christi.

ano juxta Cludum a se condito monasterio sepultus est. Tom. 6. pag. 59, 60. 237.

Mochudæus, qui et Carthagus, cœtui monachorum DCCCXLVII. in cœnobio Ratheniensi per annos XL. præfuit. Ibid. pag. 474. 483.

Barrindeus monasterii Druim-cuillin abbas claruit : ibid. pag. 532. et Lugaidus, cognomento Laithir, S. Columbæ legatus : qui monasterii in Ralclina insula a se conditi abbas fuisse dicitur. Ibid. pag. 527.

Thaliessinus, aliis Telesinus Helius dictus, Britannicorum Bardorum princeps, Malgone sive Maglocuno adhuc regnante, carmina sua edidit. Tom. 5. pag. 543. et tom. 6. pag. 66.

Anonymus etiam actorum S. Albani scriptor hoc tempore floruisse fingitur : tom. 5. pag. 185. quæ nihil fere continent, præter longos logos et

Portenta quæ narrante matre  
Attoniti stupeant puelli.

DXCII. Cumminus Fada, sive Longus, in Hibernia natus est. Tom. 6. pag. 544.

In prælio ad montem Wodeni commisso, Ceaulinus occidentalium Saxonum rex potentissimus maxima clade a Britannis affectus est. Ibid. pag. 253, 254.

DXCIII. Ædhilfridus Nordanhumbrosum regnum annis XXIV. obtinuit. Ibid.

Kentigernus ex Britannia, et Abbanus ex Hibernia Romam profecti, Gregorium papam inviserunt. Ibid. pag. 225.

Malgoni sive Maglocuno, in Britannico regno, non Rhunus filius sed Carcticus successisse dicitur. Priorem Maelgun Gwinedh sive Malgoneim Venedotum, posteriorem Karedic Cambro-Britanni nominant. Ibid. pag. 66, 67. 89. 92. Glamorganicæ vero regulus eo tempore erat Theodoricus sive Teudric : qui regno filio suo Mourico sive Mauricio postea relicto, in Tinterniæ rupibus vitam agere cœpit eremiticam. Ibid. pag. 82. Lageniam autem et Midiam, Hiberniæ provincias, Gurmundus Africanorum rex sibi subjugavisse, ac filium suum Burchardum, (Hibernis O Gormagheyn dictum) ducem Montis Margei constituisse dicitur. Ibid. pag. 89. 93.

DXCVI. Quum Britanni Christi fidem inimicis Anglis prædicare nollent ; ut in libro I. historiæ suæ ecclesiasticæ cap. 22. et libro 5. cap. 23. Beda conqueritur (cum quo tamen conferenda, quæ habentur, pag. 227. de Kentigerno ; et pag. 100. de Arthuro :) Gregorius magnus ad eos convertendos Augustinum minorem cum sociis misit. Tom. 5. pag. 172. et tom. 6. pag. 100.

Sedata in Cambria peste ictericia, Thelias Landavensis episcopus populares suos per Galliam et Italiam undique dispersos congregavit. Cum quibus ad patriam reditum parantem, detinuisse dicitur rex Armoricanus Budicus et Samson pontifex ; ut ad Dolensem eum eveherent episcopatum, et ecclesiasticum totius gentis Armoricæ principatum. Unde fortasse natum, quod Samsoni in Dolensi episcopatu Theliam substitutum Galfridus Monemuthensis, alium vero Samsonem successisse ad annum DLXI. scripsit Matthæus Florilegus : quandoquidem et Græco nomine Thelias vocatus fuerit Ἰλιος, quod alteri Hebraico Samsonis

## Anno Christi.

plane est synonymum. Tom. 5. pag. 98, 99, 107, 108. et tom. 6. pag. 78, 79.

**Thelias**, post septem annos mensesque totidem in Armorica peractos, una cum Oudoceo nepote suo multisque aliis doctoribus et episcopis, in Cornubiæ portum Dingerein dictum appulit; rege Gerennio in extremis tum posito. Quo vita functo, sedem suam Landavensem repetiit: convenientibus ad eum Lunapeio, Gurmaeto, Cynmuro, Toulidaucio, Luhilo, Fideli, Hismacle, Tyfhei, Oudoceo, et multis aliis discipulis. Tom. 5. pag. 98. et tom. 6. pag. 79. 82.

**Gurmundus** ex Hibernia cum centum sexaginta sex Africanorum suorum millibus in Britanniam transfretavisse; initoque cum Saxonibus fœdere, Careticum Britannorum regem ultra Sabrinam in Walliam fugavisse, Ambresburiensis cœnobii trecentos monachos sustulisse, Christianorum ecclesias evertisse et religionem dissipavisse dicitur: tom. 6. pag. 88—94. ubi et inepta Nicolai Cantelupi de eversa Cantabrigiensi academia referatur fabula.

Hoc etiam tempore Tyfci, filii Armoricani regis Bodici, martyrium passus fuisse putatur; corpore in Pennalun sepulto. Ibid. pag. 81.

**DXCVII.** S. Columba in Iona insula undecimo die Junii mortem obiit. Ibid. pag. 235. De sepulturæ loco et translatione. Vid. ibid. pag. 252. 450—456. 463, 464.

**Baithenus**, qui et Cominus, filius Brendini (filii Fergusii illius, quem avum Columbæ fuisse diximus) in Hyensis cœnobii præfectura illi successit: ibid. pag. 237, 238. 248. ubi de eo æqualis ipsius Finiani filii Lippani viri sapientissimi magnificum habetur elogium.

Ad Baithenum in ipso præfecturæ suæ initio venit Fintanns, qui et Munnu; eoque suadente ad Hiberniam, Deo fructuosius serviturus, iterum rediit. Ibid. pag. 503.

Sede Legionensi et Menevensi per mortem Kinoci sive Cenauici, successoris S. Davidis, vacante, Thelias Menevensi quidem ecclesiæ Hismaclem episcopum ordinavisse, Legionensem vero metropolim Landavensi suæ ecclesiæ proximam, sibi ipsi videtur retinuisse; indeque et archiepiscopi, quo usus est, titulum obtinuisse, et potestatem episcopos per universam Cambriam constituendi accepisse. Tom. 5. pag. 106. 110. 123, 124. et tom. 6. pag. 45. 80.

**Theonus** Londinensis et Thadiocus Eboracensis archiepiscopi, ecclesias omnes sibi subditas usque ad humum videntes destructas, cum omnibus ordinatis, qui in tanto discrimine superfuissent, in Walliam diffugerunt. "Plures etiam Armoricanam Britanniam magno navigio petiverunt: ita ut tota ecclesia duarum provinciarum, Loegræ et Northanhumbriæ, a conventibus suis desolaretur." Indeque factum ut, Christianis jam ex universa Saxonum ditione undique ejectis, Dianæ immolaretur Londonia, Apollini thurificaretur suburbana Thorneia, et cultu paganico universa regio pulleretur: in Wallia tantum et Cornubiæ (quibus et Cumbriam possumus adjicere) Britonibus fidem antiquam retinentibus, tom. 5. pag. 89, 90. 99. 106, 107. et tom. 6. pag. 93—99. De ecclesiæ et tumuli B. Albani hoc tempore statu, tom. 6. pag. 95, 96.

**Augustinus** monachus, et Francorum gente assumptis interpretibus, in Britanniam, evangelium Saxonibus prædicaturus, advenit: tom. 5. pag.

## Anno Christi.

137. 473. et tom. 6. pag. 100. sacraque primum Christiana in ecclesia S. Martini celebravit, ad orientem civitatis Cantuariæ tempore Romanorum posita; ubi Bertha Cantuariorum regina Christiana, cum Luidhardo episcopo quem secum ex Francla adduxerat, orare prius consueverat. Tom. 5. pag. 158.

Annum DXCVII. quo Augustinum cum sociis suis ad Britanniam pervenisse in historiæ suæ epitome docet Beda, ecclesiasticis nostris antiquitatibus terminum præstiteramus. Verum quia, currente rota, ad proximum seculum spectantia complura et ad sequentium quoque temporum historiam aliqua pertinentia intervenerunt: rem lectori omnino non ingrati facturi videbamus, si una cum instituta amphora istum etiam exire urceum sineremus.

DXCVIII. Baithenus, secundus Hyensis abbas, integro post magistrum suum Columbam anno eodemque ipso die, Junii videlicet nono feria secunda, mortem obiit: succedente illi Fernao, quem Virgoum appellat Adomnannus. Tom. 6. pag. 245. 533.

Senachus ecclesiæ Armachanæ annis duodecim præfuit. Ibid. pag. 537.

Duinbolganum prælium commissum est: in quo Ædus filius Anmirei Hiberniæ monarcha, cum aliis multis nobilibus, a Brandubho Laginensium rege occisus est; ipso Brandubho, simul cum Æda et Colmano filiis Dermitti, regnum Hiberniæ post ipsum capessentibus. Ibid. pag. 515. 537.

Rex Brandubhus, cum magnæ synodi consensu, Laginiensis provinciæ Archiepiscopatum a sede Slebhitiensi ad Fernensem transtulit; Ædano sive Moedhogo Laginensium metropolita constituto. Tom. 5. pag. 113. et tom. 6. pag. 425. 537.

DXCIX. S. Canicus in Hibernia diem obiit. Tom. 6. pag. 526.

Æthelbertus Cantuariorum rex, cum gente sua, fidem Christi suscepit. Tom. 5. pag. 171.

Samson Dolensis antistes, Dubrici discipulus, annos CXX. natus, mortem obiit. Ibid. pag. 97. Successit illi cognatus ipsius Maglorius, discipulus Iltuti; in Lotharii et Ludovici diplomate archipræsul Dolensis nominatus. Ibid. pag. 97—99. et tom. 6. pag. 50.

Paulus quoque Leonensis episcopus, Iltuti discipulus, centenario major, in Batha insula mortuus est. Tom. 6. pag. 78.

Abbanus etiam, quum esset ætate supergressus longe communem terminum mortalium decrepitorum, in Hibernia diem suum obiit. Ibid. pag. 430.

Daganus abbas regulam monasticam a Lugido sive Molua conditam ad Gregorium I. Romam detulit: qui ea coram omnibus summopere laudata, salutem auctori per internuncium illum retulit. Ibid. pag. 484. 541.

Eodem cum his tempore claruerunt in Hibernia, Cronannus filius Odrani, abbas Ross-creensis; ibid. pag. 541. et Nathineus presbyter; a quo Fechinus, ex nobilibus ortus parentibus Kelcharnano et Lasrea, rudimentis literarum et bonis moribus informatus est. Ibid.

DCI. Comgallus abbas Benchorensis, annos natus LXXXV. in Hibernia mor-

Anno Christi.

tem obiit. Tom. 6. pag. 524. de quo vidend. tom. 5. pag. 160. 505, 506. et tom. 6. pag. 431. 475, 476. 481, 482, 483.

Totidem etiam annos (neutiquam vero CLXXXV.) agentem Kentigerum, circa hæc tempora Glascuæ ex hac vita migravisse arbitramur. Tom. 6. pag. 251.

Rex ille Britannicus, qui Gerennio in regno Damnoniæ sive Cornubiæ successit, Worgresio Glastoniensi abbate petente, Ecclesiæ vetustæ etiam tunc dictæ terram quæ appellatur Ines-withrin concessit; donationis charta a Manuorno sive Maworno episcopo conscripta. Tom. 5. pag. 137, 138.

A Gregorio papa duæ sedes archiepiscopales in Angliâ constitutæ, altera Londini, altera Eboraci. Ibid. pag. 90, 91, 100.

DCII. "Augustinus episcopus Anglorum, habita synodo cum Britonum et Scotorum episcopis, qui sacerdotes et monachos invenit adversarios æquitatis, quos voluit habere socios prædicationis, tenuit eos vaticinio futuræ super eos calamitatis." Ita, ad hunc annum, Sigebertus in chronico. Habitam fuisse hanc synodum in confinio Wiciorum et occidentalium Saxonum (Wigorniensium videlicet et Herefordensium) Beda indicat; neque Scotorum ullos, sed Britonum tantum septem episcopos illi interfuisse confirmat. Ibid. pag. 112, 113.

DCIII. Ædhilfridus Nordanhumbrorum rex, anno regni sui undecimo cum Ædano Scotorum Albiensium rege ad locum Degsa-stane dictum acerrime conflixit; peremptoque fratre Theodbaldo cum toto illo quem ducebat exercitu, victoriam nihilominus consecutus est. Tom. 6. pag. 253, 254.

Sigebertus, qui Augustinianæ synodo Scotos interfuisse tradiderat, Augustini vaticinium in eorum excidio nunc impletum fuisse fingit: ad annum DCXV. ita scribens: "Ædhilfridus rex Nordanybrorum, regem Scottorum Ean cum omnibus pene suis in bello exstinguit. Hæc calamitas Scottis contigit secundum vaticinium Augustini episcopi, qui interminatus est Scotos ab Anglis fore perimendos, qui Anglos ad vitam æternam converti ægre ferebant: in monachos quoque Scottorum, Augustino rebelles, ira Dei sævientem; qui cum rege suo ad hoc bellum ex more euntes, ut rege armis pugnante ipsi orando pro eo pugnarent, perempti sunt ab Anglis mille ducenti, tantum quinquaginta per fugam elapsis." Vid. infra, ann. DCXIII.

Fintanus, abbas monasterii Cluainædnach, obiit. Tom. 5. pag. 506. et tom. 6. pag. 532.

DCIV. Æda Vairidnuch sive Allain, filius Donaldi, regnavit in Hibernia annos octo. Tom. 6. pag. 515.

Augustinus, metropolitico Londinensis ecclesiæ honore ad sedem Cantuariensem translato, Mellitum Londini episcopum ordinavit. Tom. 5. pag. 90, 91.

Sebertus rex orientalium Saxonum, Ædilderti Cantuariorum regis ex sorore nepos, ab Augustino baptizatus, dejecto Apollinis templo Thorneiæ sive Westmonasterii basilicam extruxit Deo in honorem B. Petri apostoli dicatam, et ab ipso Petro (si somniatoribus credere volumus) consecratam. Tom. 6. pag. 98, 99, 288, 289.

Theliao Landavensi et Legionensi episcopo (qui non minus longævus fuisse

## Anno Christi.

videtur quam Dolensis antistes Samson, ipsius sub Dubricii magisterio condiscipulus) vita functo, sororis ejus filius Oudoceus successor datus est : quem a civitate Cantuariensi, ubi ab archiepiscopo consecratus fuerat, redeuntem rex Glamorganicæ Mouricus sive Mauricius honorifice excepit, et Landavensis ecclesiæ privilegia autoritate sua confirmavit. Tom. 5. pag. 109, 110.

Tum vero Cambrensis provinciæ archiepiscopatum, quem urbis Legionensis antistes antiquitus obtinuerant, Menevenses episcopi videntur sibi vendicasse. *Ibid.* pag. 104, 106. Quibus Landavenses, ut Legionensium jam hæredes, subesse dedignati, a Cantuariensi deinceps archiepiscopo consecrationem accipere maluerunt. *Ibid.* pag. 109, 110. Legionensis enim ecclesia cum proxima Landavensi ita coaluit, ut non parociæ modo conjunctæ, sed ipsum etiam tandem territorium Julii (vide pag. 102. et 204.) et Aaronis (quo nomine vel urbem Legionensem vel ejus saltem suburbana denotari non est dubium) Nuddo XXI. Landavensi episcopo et ejus successoribus donatum fuerit ; ut in ecclesiæ illius regesto habetur traditum. Titulo De Merthir Juu et Aaron (id est de martyrio Julii et Aaronis) talis Guilferth, Heepoi et Arguistil filiorum Beli, legitur concessio : " Immolamus et bono animo reddimus Deo et sanctis Dubricio, Teliario et Oudoceo, totum territorium sanctorum martyrum Julii et Aaron, quod prius fuerat S. Dubricii in priori tempore, et Nud episcopo et omnibus præsulibus Landaviæ," &c.

Ædanus Scotorum Albiensium rex, annorum pene octoginta metas attingens, mœre confectus, apud Kentire obiit, et apud Kilcheran sepultus est. Deinde Kennetho Ker filio Conalli, regni invasore, post annum vel (ut alii malunt) post tres menses defuncto ; Ædani filius Eugenius (Adomnano Euchodius Buide, Hibernis nostris Eogha Buie dictus) annis XVI. regno potitus est. Tom. 6. pag. 253.—255.

Lugidus, qui et Molua, regulæ monasticæ a Gregorio papa laudatæ conditor, mortem obiit. *Ibid.* pag. 484.

A Laurentio, Melito et Justo ad Hibernos scriptæ sunt literæ. *Ibid.* pag. 274, 275.

DCX. Senachus Armachanus episcopus obiit. *Ibid.* pag. 537.

Colmanus Elo in monasterio suo Lan-elo hodie Linalli dicto, sexto Calendarum Octobris senex obiit. *Ibid.* pag. 531.

Maclovius, a sede Aletbana pulsus et a Leontio Santonensi episcopo receptus, Britonibus maledicit. *Ibid.* pag. 51.

Theodoricus infidelibus Saxonibus, terram filii sui Mourici regis Glamorganicæ in adventibus, se opponens, fugatis hostibus, ex vulnere in capite accepto interiit. Quo in loco Mouricus filius ecclesiolam excitavit, ab Oudoceo consecratam ; eamque cum adjuncto territorio, Mathern sive Marthern dicto, Landavensibus episcopis perpetuo dono tradidit. *Ibid.* pag. 82, 83. Ab eodem quoque Mourico, cum aliis possessionibus etiam Mucrosiam, ad ripam vagæ fluminis positam, Oudoceo et ejus in sede Landavensi successoribus donatam fuisse legimus. *Ibid.* pag. 196.

Constantinus filius Fergusii apud Pictos regnavisse traditur : a quo Dunkoldensis ecclesia, post Abernethianam XXVI. annis et novem mensibus fundata est ; atque Columba primus episcopus in ea collocatus. *Ibid.* pag. 248, 256, 257.

Anno Christi.

DCXII. *Ædæ* Allano in regno Hiberniæ successit *Mælco*b<sup>us</sup> illius filius, ann. III. Tom. 6. pag. 515.

DCXIII. Bellum Cair-legion, ubi sancti occisi sunt, gestum fuisse Ultonienses nostri annales annotant : sanctorum nomine Bangorenses illos monachos MCC. intelligentes, ab exercitu *Ædhilfridi* Nordanhumbrorum regis, cum Britonibus ad civitatem legionum (quam Cestriam hodie vocamus) dimicante, interemptos : tom. 5. pag. 161. et tom. 6. pag. 476. de quo *Giraldus Cambrensis* in libro secundo descriptionis Cambriæ, qui Illaudabilium inscribitur : “ *Æthelfridus* nobilem legionum urbem destruxit, et egregii illius Bangornensis monasterii monachos in auxilium orandi vocatos gladiis interemit.”

DCXIV. *Columbanus* in Italia Bobiense construxit monasterium. Tom. 6. pag. 229. 481. 484.

DCXV. *Mælco*b<sup>o</sup> in regno Hiberniæ successit *Suibneus Mendius* ann. XIII. Tom. 6. pag. 515.

*Comainus Brecc* in Hibernia mortuus est. Ibid. pag. 533.

DCXVI. *Petranus* episcopus Luscanus in Hibernia obiit. Ibid. pag. 534.

DCXVII. *Ædhilfridus* Nordanhumbrorum rex interiit, cum XXIV. regnasset annis. Ibid. pag. 254.

*Maclovius* Britoncs Armoricanos, post septennalem terræ suæ cladem, a maledictione sua absolvisse dicitur. Ibid. pag. 51.

DCXVIII. *Coemgenus* sive *Keyvinus*, *Glindelachensis* cœnobii fundator, annos natus CXX. mortem obiisse dicitur. Ibid. pag. 525.

DCXX. *Luanus* (Ionæ, in vita *Columbani*, *Lua* dictus) *Benchorensis* cœnobii apud Hibernos alumnus, claruit : qui centum solus monasteriorum fundator extitisse dicitur. Ibid. pag. 476.

*Deicola*, discipulus *S. Columbani*, claruit. Ibid. pag. 58.

*Airedus*, qui habitavit in loco *Aird-sinnaidh* dicto, et *Colmanus* filius *Fia-chra*, in Hibernia floruerunt. Ibid. pag. 539, 540.

DCXXII. *Ferquhardus*, a *Sodorensi* episcopo *Conano* institutus, patri *Eugenio* in regno *Dalriedæ* successit ; ob diutinam et continuatam cum sacerdotibus Britannicis consuetudinem *Pelagianæ* hæreseos suspectus. Ibid. pag. 255.

DCXXIII. *Virgnous* tertius abbas *Hyensis* obiit. Successit *Segenius*, ann. XXXIX. Ibid. pag. 239. 245.

DCXXIV. *A Bonifacio* V. ad *Iustum* missum est pallium, cum literis jura metropolitana *Cantuariensis* ecclesiæ confirmantibus. Tom. 5. pag. 91.

Ab *Honorio* I. *Cantabrigiensi* academiæ bulla data fuisse fingitur. Ibid. pag. 159.

DCXXV. *Paulinus* (XII. *Calendas Augusti* ut habet *Beda* lib. 2. cap. 9. ordinatus genti *Nordanhumbrorum* antistes) vetustam *Glastoniensium* ecclesiam ex virge ligneam fecisse, plumboque postea cooperuisse dicitur. Ibid. pag. 141.

*Gallus* Hibernus, decem annis post excessum magistri sui *Columbani*, ut ex *Theodoro Campidonensi* in vita *S. Magni* colligimus, mortem obiit ; de quo, ibid. pag. 505. et tom. 6. pag. 229. 279. 282. 487.

DCXXVII. *Edwinus* *Nordanhumbrorum* rex, *Eboraci* a *Paulino* baptizatus, sedem episcopatus ibidem illi donavit. Tom. 5. pag. 100. 171.

## Anno Christi.

- In Albania, Ferquhardo Dalriedæ rege defuncto succedit frater ipsius Donevaldus (Adomnanno Domnallus Breccus dictus) qui Scotis Albiensibus annis quindecim præfuit: ut in Ultoniensibus habetur annalibus. Tom. 6. pag. 255.
- Furseus, Foillanus et Ultanus, filii Philtani reguli Hibernici, claruerunt. Ibid. pag. 539. Ad hunc annum in annalibus Ultoniensibus refertur visio quam vidit Furseus religiosus episcopus. Post quam integro decennio, ut apud veterem actorum ipsius scriptorem legimus, "verbum Dei per universam Hiberniam prædicabat; et ea quæ viderat vel audiverat omnibus populis Scotorum annunciabat." Tom. 6. pag. 275.
- DCXXVIII. Suibneo Mendio in regno Hiberniæ successit Domnallus sive Donaldus filius Aidi, ann. XIV. Ibid. pag. 515. Adomnanus ejus meminit, lib. 1. cap. 9. et lib. 3. cap. 5.
- DCXXIX. Honorius I. Hibernos australes ad Romanam Paschatis observationem traduxit. Ibid. pag. 243, 244. 501. 507.
- DCXXX. Synodus Lech-leniensis hanc ob causam in Campo Albo habita est: ubi Munnu (qui et Fintanus, Tailchani filius) veterem ordinem, Lasreanus autem (qui et Molassus, Kiarelli filius) Lech-leniensis abbas, novum ordinem defendebat, qui nuper de Roma venerat. Ibid. pag. 501—505.
- Eodem quo hæc synodus habita est mense (qui Martius fuit) Subno filius Domnall dux regionis Huamairche<sup>a</sup> (al. Huwargi) a filio fratris sui juxta rivulum Blathach occisus fuit. Ibid. pag. 504.
- Mochudæus, qui et Carthagus, cum discipulis suis DCCCLXVII. e Ratheniensi suo monasterio pulsus, Lismoriam concessit; ejusque ecclesiæ (quæ multitudinis virorum sanctorum postea factum est habitaculum) primus episcopus ordinatus est. Ibid. pag. 475. 483. 510, 511.
- Duodecim celebriorum ejusdem in Ratheniensi cænobio discipulorum nomina: quorum primus Mochue filius Niellani; qui in vicino postea loco, Cluain-dachran dicto, cellam obtinuit. Ibid. pag. 543.
- Barrus (qui et Barrocos et Find-barrus, a parentibus vero Lochanus dictus) apud Corcagienses claruit. Ibid. pag. 544. A Maccurbio Gregorii papæ discipulo, Roma veniente, in Laginia institutus fuisse dicitur. Quod si verum: Davidi Menevensi *σὺγχρονον* fuisse illum, Giraldo Cambrensi non facile fuerit concedendum. Ibid. pag. 520, 521.
- Fechinus trecentis monachis, in monasterio Favoriæ sive Fouriæ a se condito, præfuit: et insulæ cujusdam incolæ ethnicos ad fidem Christi convertit. Ibid. pag. 511. 537, 538.
- Monenna virgo in Hibernia claruit: quæ in Terra Conallea (patre Maugthæo Yveachensium rectore) genita, Fochardæ primum, in agro Louthiano, delubro constructo, virginibus CL. præfuisse; deinde Orbila sive Servila abbatisa ibi relicta juxta Colmi montem consedisit et Kilsleviæ, in comitatu Armachano, alterum condidisse delubrum traditur. Ibid. pag. 249, 250. Quod Moninnæ tamen sive Darercæ B. Patricii sorori, ab aliis est attributum. Vid. supra, ann. DXVIII.
- DCXXXI. Lasreanus et quinquaginta alii, post Lech-lenensem synodum ad urbem Romanam pervenientes, compererunt hoc anno ab omnibus pariter

<sup>a</sup> Sliewmarge, sive Montis Margci. pag. 93. cum 505.



Anno Christi.

gentibus Dominicam paschalem die XXIV. Martii celebratam, quum a Britonibus et Scotis die XXI. Aprilis observaretur. Tom. 6. pag. 505, 506.

DCXXXII. Ædanus, qui et Moedhogus, primus Fernensis archiepiscopus, mortem obiit. Ibid. pag. 536, 537.

DCXXXIII. Edwinus, Nordhanhumborum rex, IV. Idus Octobris a Cedwalla rege Britonum occisus est. Tom. 5. pag. 100. et tom. 6. pag. 202.

Lasreanus abbas Lechlenensis ab Honorio episcopus consecratus, cum sociis suis tertio post iter Romanum susceptum anno in Hiberniam redierunt. Tom. 6. pag. 505.

DCXXXIV. Quintus cyclus paschalis 84. annorum incipit: sub ejus initium, Cummius ad Segenium Hyensem abbatem, de controversia paschali, scripsit epistolam. Ibid. pag. 245. 497. 500. 505. 540.

Colmanus Stellanus abbas Tiridaglas; ibid. pag. 540. et Munnu sive Fintanus Talchaini filius, qui Lech-lenensi synodo nuper interfuit, XII. Calendas Novembris (ut Tigernaci habent annales) in Hibernia mortem obiit.

Cedwalla rex Britonum ab Oswaldo rege Æthelfridi filio interemptus est. Ibid. pag. 202.

Ab Honorio I. Romano pontifice ad Honorium Cantuariensem et Paulinum Eboracensem archiepiscopum duo missa sunt pallia; simul cum literis, utriusque sedis jura metropolitana confirmantibus. Tom. 5. pag. 91.

100. Eboracensis ecclesia, recedente inde Paulino, per XXX. annos proprium non habuit episcopum. Ibid. pag. 100. Aidanus enim, qui ex Hy Scotorum insula ad prædicandum verbum Dei Nordanhumbri hoc anno est vocatus, ab Eboracensi ad Lindisfarnensem ecclesiam sedem episcopatus transtulit. Ibid. pag. 100. et tom. 6. pag. 240. 483.

DCXXXV. A Segenio Hyensi abbate ecclesia de Rechran sive Rachliensis, ut ex Ultoniensibus et Tigernaci annalibus intelligitur fundata est. Tom. 6. pag. 527.

Eodem anno, ut ex Ultoniensibus etiam annalibus liquet, mortuus est Ernanus sive Erneneus filius Craseni; per omnes Hiberniæ ecclesias celebris. Ibid. pag. 502. 540. Putatur fuisse ille S. Columbæ monachus in dorso Thomæ sepultus; quem Scotice sive Hibernice Ernene, Latine Ferreolum dici posse, Adomnanus annotat. Ibid. pag. 540, 541.

Birinus, ab Honorio I. missus, Gevissis sive occidentalibus Saxonibus evangelium primus prædicavit. Tom. 5. pag. 532.

DCXXXVII. Rothianum prælium in Hibernia gestum est. Tom. 6. pag. 255. 256.

Mochudæus, qui et Carthagus, abbas Ratheniensis et episcopus Lismoriensis, hoc anno, ut Ultonienses annales indicant, mortem obiit. De cujus regula monastica, vidend. ibid. pag. 483.

Furseus, quum multis annis in patria verbum Dei annunciavisset, ex Hibernia transiit in Angliam. Ibid. pag. 276.

DCXXXIX. Lasreanus sive Molassus, Kiarelli filius, Lech-lenensis abbas simul et episcopus, in Hibernia mortem obiit. Ibid. pag. 505, 506.

A Furseo monasterium Cnobheresburgense inter Suffolcienses est conditum: cujus cura fratri suo Foillano atque presbyteris Gobbano et Dicullo (Gobbonam et Tibullam alii vocant) commissa, ipse cum fratre Ultano per

Anno Christi.

- integrum annum vitam egit eremiticam. Tom. 6. pag. 539. Vid. Bedam, lib. 3. hist. cap. 19.
- DCXL. A Tomiano Armachano archiepiscopo, Columbano, Cromano, Dimao, et Baithano episcopis, Cremano, Erniano, Laistrano, Scellano et Segeno presbyteris, Sarano aliisque doctoribus et abbatibus Hiberniæ, de controversia paschali et hæresi Pelagiana ad Severinum papam perlatae sunt literæ. Ad quas, de luce eo migrante, ab electo ejus successore Johanne datum est responsum. Ibid. pag. 274, 275. 506, 507. 540, 541. Vid. Bed. lib. 2. hist. cap. 19.
- Furseus Hibernus ex Anglia in Galliam abiit. Ibid. pag. 275.
- Oissenus presbyter, Munnu sive Fintani discipulus, in Hibernia claruit. Ibid. pag. 503.
- Columba Dunkeldensis episcopus Cuthbertum puerum, Lindisfarnensem postea antistitem, una cum Brigida virgine Hibernica suscepisse, et aliquandiu educavisse scribitur. Ibid. pag. 248. 257.
- DCXLII. Domnallus filius Aidi, rex Hiberniæ, in fine mensis Januarii moritur: succedentibus illi in regno Conallo et Cellacho filiis Mælcobi, anno XVI. Ibid. pag. 256. 515. In Anglia Oswaldus rex Nordanhumbro- rum die quinto mensis Augusti peremptus est. Tom. 5. pag. 164. In Albania quoque Domnallus Breccus, filius Euchodii sive Eugenii, rex Dalriætæ ab Hoan rege Britonum mense Decembri interfectus est. Tom. 6. pag. 256.
- DCXLIII. Kenewalchius patri suo Kineligso in occidentalium Saxonum regno successit. Tom. 5. pag. 137. 139.
- DCXLVIII. Foillanus, episcopali ordinatione Romæ a Martino pontifice accepta, post fratris Fursei excessum in Galliam, Sigeberti regis temporibus, pervenit: ubi Gertrudis virginis dono monasterium Fossense super Bervennam fluvium fundavit. Tom. 6. pag. 539, 540. Vid. Sigebert. chron. ann. 648.
- DCL. Murgæus et Lomanus episcopi in Hibernia claruerunt. Ibid. pag. 537, 538.
- Monenna ex Hibernia in Britanniam profecta, juxta sylvam Ardernam in Anglia duo monasteria, in Albania vero septem ecclesias construxisse dicitur. Ibid. pag. 250.
- DCLI. Aidanus Lindisfarnensis episcopus pridie Calendas Septembris obiit; non Glastoniæ, ut pag. 456. sed Lindisfarnæ, ut pag. 536. cum Beda, lib. 3. hist. cap. 17. et 26. sepultus. Finanus, ex Ily insula vocatus, illi successit. Tom. 5. pag. 100. et tom. 6. pag. 240. 483. 523.
- DCLII. Segenius quartus abbas Hyensis obiit. Successit Suitbneus, ann. V. Tom. 6. pag. 245. 542.
- Aidhologus filius Camaini abbas Cluanamac-nois et Manchenus, qui et Manichæus, abbas Meno-drochit in Hibernia obierunt. Ibid. pag. 542, 543.
- DCLIII. Caminus de Inish-kealtair mortem obiit. Ibid. pag. 544.
- Wilfridus tonsuram in modum coronæ spinæ a Dalfino Lugdunensi archiepiscopo accepit; cujusmodi etiam tonsuram in Mailrosensi cœnobio Cuthbertus suscepit. Ibid. pag. 489.
- DCLIV. Colmanus episcopus, filius Guideldubh, in Hibernia obiit. Tom. 6. pag. 536.

Anno Christi.

- Foillanus episcopus, cum tribus discipulis, in sylvâ Carbonaria martyrio coronatus, in Fossensi suo monasterio sepultus est. Tom. 6. pag. 539, 540.
- DCLV. Penda Merciorum rex interiit. Ibid. pag. 250.
- DCLVII. Suibneus quintus abbas Hyensis obiit. Successit Cummineus Albus, ann. XII. ibid. pag. 245. qui S. Columbæ acta descripsit. Ibid. pag. 229.
- Ultanus Ardbracanensis, ex Conchuburnensium sive Connoreorum genere ortus, in Hibernia mortem obiit: ex quo Tirechanus ea didicisse se profitetur, quæ de actis B. Patricii retulit. Ibid. pag. 375. 534.
- DCLVIII. Dermitus et Blathmac, filii Ædæ, regnant in Hibernia ann. VII. Ibid. pag. 515.
- DCLX. Colmanus Glindelochensis in Hibernia obiit. Ibid. pag. 536.
- Monenna virgo Lanfortini in Albania mortua est; Columba Dunkeldensi episcopo adhuc superstite. Ibid. pag. 248, 249.
- Decem Barri Corcagiensis discipuli in Hibernia claruerunt: inter quos Colmanus filius Lenini, primus Clonensis episcopus. Ibid. pag. 535. 544.
- DCLXI. Finano defuncto, Colmanus Hibernus in Lindisfarnensi episcopatu successit; eique tribus annis præfuit. Tom. 5. pag. 100. et tom. 6. pag. 220. 240. 483. 535.
- DCLXII. Cumminus Fada sive Longus, filius Fiachna occidentalis Momoniæ regis, mortem obiit. Tom. 6. pag. 544.
- DCLXIV. In Pharensi sive Whitbiensi conventu de legitimo Paschatis observandi tempore, inter Colmanum Lindisfarnensem præsulem et Wilfridum Ripensis monasterii presbyterum, habita est disputatio. Ibid. pag. 497, 498. 507. 535.
- Soluto conventu illo, Colmanus, cum iis quos in Lindisfarnensi insula congregaverat Scotis et de gente Anglorum circiter triginta monachis, in Hiberniam patriam suam navigavit: atque in insula Vitulæ Albæ sive Inisbofinde commune illis construxit monasterium. Ibid. pag. 535. Eum ex Anglia secutus fuisse dicitur Geraldus abbas Wintoniensis, cum tribus suis fratribus et tribus virorum millibus: quibus monasterium in Connacia Elitheriam, id est, Cervinam nominatum construxisse illum, vitæ ipsius scriptor narrat.
- Calendis Maii eclipsis solis maxima facta est. In eadem æstate cælum ardere visum est. Subita orta pestilentia, depopulatis prius australibus Britannicæ plagis, Nordanhumbroborum quoque provinciam corripuit; et Calendis Augusti in Hiberniam pervenit. Ibid. pag. 515, 516. Pestem hanc ictericam fuisse notat scriptor vitæ Geraldî Saxonis, sermone Hibernico Budi Conayll dictam: eaque tot in Hibernia homines extinctos fuisse addit, ut tertia tantum pars populi superstes fuerit relicta.
- Eodem anno Tuda, qui apud Scotos austrinos Colmani loco Lindisfarnensis ordinatus fuerat episcopus, peste sublato, Wilfridus Eboracensis creatus est episcopus; triginta annis post episcopatum a sede Eboracensi ad Lindisfarnensem per Scotos translata. Tom. 5. pag. 100. Hic abrogata S. Columbæ regula quam Scoti introduxerant, S. Benedicti regulam in regno Nordanhumbriæ a monachis observari primus iussit: tom. 6. pag. 483. neque Nordanhumbriis solum omnibus sed etiam Pictis, quousque regis Oswii protendebatur imperium, episcopus ille præfuit. Ibid. pag. 208.

Anno Christi.

- DCLXV. Colmanus, Scotis suis in Inis-bofindia relictis, Anglicæ gentis monachis novum paravit cœnobium, quod Inni geo vel potius Muigeo (ut postea, ad annum DCXCVII.) appellatum Beda confirmat. Tom. 6. pag. 533. Magunciam, Magunensem et Maionensem abbatiam scriptor vitæ Geraldî Saxonis nominat : de eodem addens : " Ad Magunensem ecclesiam ipse cum suis devenit. Ibi quoque sanctissimus vir usque in finem vitæ moram trahens, in amore Dei et proximi permansit."
- Sæviente pestilentia, Dermittus et Blathmac Hiberniæ reges, *ibid.* pag. 515.
- Fechinus Fouriæ abbas, Aileranus sive Eleranus sapiens, Cronanus filius Silni, duo abbates Clonenses Colmanus Cass et Cummenius, cum aliis multis (inter quos vitæ Geraldî scriptor sororem illius Sigresiam, cum centum sanctimonialibus de ejus collegio, et quinquaginta ejusdem Geraldî, in Elitherensi monasterio discipulos, connumerat) e vita sublati sunt. *Ibid.* pag. 537—541.
- DCLXVII. Theodorus, Tharsi in Cilicia natus, sub finem hujus anni Romæ subdiaconus ordinatus, Romanam suscepit tonsuram. *Ibid.* pag. 488.
- DCLXIX. Cumminus Albus, sextus abbas Ilyensis, obiit. Successit Failbeus, ann. X. *Ibid.* pag. 245.
- DCLXX. Oswio Nordanhumbroꝝ regi defuncto successit filius Egfridus : qui mox post patris obitum deficientes Pictos subegit. *Ibid.* pag. 208.
- Kenewalchius occiduorum Saxonum rex Berthualdo primo e gente Anglorum Glastoniensis monasterii abbati, Theodoro Cantuariensi archiepiscopo intercedente, Ferrameriam donavit. Tom. 5. pag. 137—140. 152.
- Fiacrius Hibernus, ad Pharonem Meldorum episcopum profectus, in Gallia clariùt. Tom. 6. pag. 255. 511, 512.
- Molingus, secundus Fernensis archiepiscopus, in Hibernia floruit. *Ibid.* pag. 425.
- DCLXXIII. Beda natus est in Girwensi territorio, non longe a Tinæ fluminis ostio. *Ibid.* pag. 139. 516.
- DCLXXIV. Hiberniam sanctis viris plenam fuisse, ad hunc annum Marianus Scotus annotat : tom. 6. pag. 281. Ex quibus quartus sanctorum ordo constitui poterit.
- DCLXXV. Ositha, a Monenna sive Modwenna instituta, et Edithæ virginis curæ commendata, ab Ecce et Bedwino orientalium Anglorum episcopis velum accepit ; et in villa Chicensi, a Sigero orientalium Saxonum rege sibi tradita, sacrarum virginum cœtui præfuit : ubi postea a Danicorum piratarum duce martyrio est affecta. *Ibid.* pag. 249, 250.
- DCLXXVI. Colmanus, prius Lindisfarnensis postea Inis-bofindanus episcopus, mortem obiit. *Ibid.* pag. 536.
- DCLXXVIII. Comanus episcopus Fernanus in Hibernia obiit. *Ibid.* pag. 540.
- Kentwinus occiduorum Saxonum rex, Hedda episcopo Wintoniensi impetrante, insulam Glastoniæ liberam ab omni regali servicio vetustæ Ecclesiæ concessit, sicut reges Britonum ante eum jam pridem confirmaverant : libero jure fratribus ibi Deo servientibus concessio rectorem sibi eligendi et constituendi secundum regulam S. Benedicti. Tom. 5. pag. 137—140.
- Wilfridus a sede Eboracensi pulsus est. Tom. 6. pag. 208.

Anno Christi.

- DCLXXIX. Failbens septimus abbas Hyensis obiit. Successit Adomnanus actorum Columbæ scriptor ann. XXV. Tom. 6. pag. 245.
- DCLXXX. Adamnanus alius, et ipse Scotus sive Hibernus, in Coludiensi sive Coldinghamensi monasterio, vitam exegit severissimam. Ibid.
- DCLXXXI. Trumwinus provinciæ Pictorum, quæ tunc Anglorum erat imperio subjecta, episcopus a Theodoro Cantuariensi præsule est ordinatus. Ibid. pag. 203.
- Duæ chartæ Glastoniensi cœnobio, cujus abbas tum erat Hemgislus sive Hemgiselus, hoc anno inveniuntur concessæ. Heddæ Wintoniensis episcopi nna, cum consensu Cedwallæ tum pagani facta. Altera Baldredi reguli, ex consensu ejusdem Heddæ et Aldhelmi Malmesburiensis abbatis concessa. Tom. 5. pag. 138.
- Coludiense sive Coldinghamense commune viris et fœminis cœnobium incendio est absumptum. Tom. 6. pag. 513.
- DCLXXXIV. "Egfridus rex Nordanhumborum, misso Hiberniam cum exercitu duce Bertho, vastavit misere gentem innoxiam, et nationi Anglorum semper amicissimam:" ut his ipsis verbis Beda Anglus retulit. Ibid. pag. 276.
- A Theodoro Cantuariensi archiepiscopo Twifordiensi synodus juxta fluvium Alce est habita: cui Trumwinus Pictorum episcopus interfuit. Ibid. pag. 208.
- DCLXXXV. Cuthbertus episcopus ordinatus est: qui Coldinghamensis incendii motus exemplo, omne suis muliebri interdixit consortium, fœminarumque ab ecclesiæ suæ ingressu penitus amovit introitum. Ibid. pag. 513.
- Chartæ donationis ab Egfrido rege Cuthberto concessæ Trumwinus Pictorum episcopus subscripsit. Tom. 6. pag. 208.
- Alia quoque charta a Cadwalladro Britannorum rege Cantabrigiensi academiæ eodem anno data fuisse fingitur. Tom. 5. pag. 159.
- Egfrido Nordanhumborum rege (a fratruel suo Birdeo sive Brideo rege Pictorum; ut habet continuator Ninii) interempto; Picti terram possessionis suæ ab Anglis recuperaverunt. Unde Trumwinus, qui in eos episcopatum acceperat, cum suis qui erant in monasterio Abercurnig, ab eis recessit. Tom. 6. pag. 202. 208.
- DCLXXXVI. Cædvalla, qui paganus ille regulus fuisse videtur, cujus ad annum DCLXXXI. facta est mentio, Kentwino in regno occidentuorum Saxonum successit. Tom. 5. pag. 139.
- DCLXXXVII. Kilianus Hibernus primus Wirtziburgensis episcopus factus est. Tom. 6. pag. 279. 281.
- DCLXXXIX. Kiliannus, cum sociis suis Colonato et Totnano, VIII. Idus Julii martyrio vitam finiit. Ibid. pag. 279.
- DCXC. Aldhelmus Anglus, de tonsuræ et paschalis observationis controversia, ad Geruntium Britannorum Cornubiensium regem scripsit epistolam. Tom. 5. pag. 368. et tom. 6. pag. 489. 497.
- DCXCII. "Adomnanum, decimo quarto anno post pausam Failbei ad Hiberniam perrexisse," in annalibus Ultoniensibus legimus: ut Columbiensium nimirum cellas, Hyensi suo cœnobio subditas, visitaret. Quo illud, in vita Geraldii Saxonis, refero: "Sanctus abbas Adamnanus, post visitationem totius Hiberniæ ad S. Geraldum perrexit; ut fraternam cum eo contra-

## Anno Christi.

beret societatem. Cui S. Geraldus fundam cum fonte limpido contulit ; atque sibi suam commendavit ecclesiam, ut a persecutione laicorum post obitum suum eam defensaret. Quod totum S. Adamnanus se completurum promisit, atque opere complevit."

DCXCIII. Berthwaldus, Glastoniensis primum, deinde Raculvensis abbas, ad Cantuariensem archiepiscopatum promotus est. Tom. 5. pag. 137, 138.

Egbertus Anglus ex Hibernia discedens, ubi sacris studiis operam dederat, in Germaniam ad Frisones, Saxones et alios adhuc infideles populos convertendos proficisci voluit. Sed eo impedito, Willibrordus, in Hibernia quoque institutus, et undecim socii opus aggressi perfecerunt. Tom. 5. pag. 456. 458. et tom. 6. pag. 276.

DCXCIV. Kiliani Wirtzburgensis episcopi discipulos Arnual in Gallia ; Adamnanus abbas, Aldhelmus et Wilfrid episcopi, clarent in Anglia. Tom. 6. pag. 502. not. r.

DCXCVII. Adamnanum, vel Adomnanum potius hunc Hyensem abbatem, septem ante mortem suam annis in Hiberniam iterum perrexisse, Ultonienses docent annales. Unde et illud in actis Gerardi Saxonis huc referendum existimo. "S. Geraldus apud Maionensem ecclesiam in pace quievit III. Idus Martii. Post ejus vero obitum S. Adomnanus Maionensem ecclesiam per septem annos indefesse rexit : claustrales in charitate perfecta instruens, volumina conscribi faciens, atque manu propria librum quatuor evangeliorum scribens, campanas etiam ad reverentiam ecclesie fabricandis. Inde ad Jonensem perrexit abbatiam ; et ibi feliciter obiit in Christo, et sepultus est." Ut in iisdem annalibus metachronismo peccatum esse videatur ; quum ad annum DCCXXXI. (qui nobis est DCCXXXII.) "Geralt pontifex Saxonum Campi Hen obiisse" scribitur : vel, ut Tigernacus in suis annalibus exprimere maluit : "Pontifex Muighe heo Saxonum Garalt obiit." In Maionensi vero urbeula, ut Geraldus nomine Deo dicata ad hunc usque diem superest ecclesia : ita Adamnani et S. Cormaci tempore centum Saxoniorum sanctorum habitaculum ibidem extitisse, libri Ballimotensis collector confirmat. Tom. 6. pag. 536.

DCCIII. Adomnanus predicatione sua borealium Hibernorum plurimos, et pene omnes qui ab Hyensium dominio erant liberi, ad Romanum celebrandi Paschatis ritum perduxit. Ibid. pag. 244. 275, 276.

DCCIV. Idem, post celebratum in Hibernia Pascha canonicum, ad Hyenses suos reversus, quum ad Romanum observandi Paschatis morem eos perducere non potuisset, hoc anno, Octobris die XXIII. mortalitatem exiit : succedente illi in Hyensi prefectura Conaino filio Failbei, ann. VI. Ibid. pag. 244, 245. Vid. Bed. histor. lib. 5. cap. 16. et 22.

Ab Ina occidentalium Saxonum rege, consilio Aldhelmi, Glastoniensibus monachis charta concessa legitur. Tom. 5. pag. 139. 141.

DCCX. Conainus nonus abbas Hyensis obiit. Successit Dunchadus filius Cinfaelæ, ann. VII. Tom. 6. pag. 245.

Abernethiæ novem sacratas virgines Eugeni VII. Scotorum regis temporibus claruisse nonnulli perhibent. Ibid. pag. 256.

Naitanus sive Nechtanus Pictorum rex, Ceolfridi abbatis literis persuasus, paschalis observationis et tonsuræ morem Romanum in subjectas sibi provincias introduxit : ibid. pag. 244—246. 487. qui idem rex Aberne-

## Anno Christi.

- thianam quoque ecclesiam, Brigidæ nomine Deo dicatam, amplis possessionibus dotavisse traditur. Tom. 6. pag. 257.
- DCCXVI. Egbertus presbyter, qui in Hibernia peregrinam ducebat vitam, ad Columbæ monasteria docenda perrexit: atque illos quoque qui insulam Hy incolabant monachos Scotiæ nationis IV. Calendas Septembris, die Sabbati, ad Romanum paschalis temporis observandi morem perduxit. Ibid. pag. 244, 245.
- DCCXVII. Dunchadus, decimus abbas Hyensis obiit: et expulsio familiæ Iæ sive Hyensis hujus insulæ trans Dorsum Britanniae a Nectano sive Naitano Pictorum rege facta est. Ibid. pag. 245.
- DCCXVIII. Sextus cyclus paschalis 84. annorum incipit: a Britonibus adhuc retentus. Tom. 6. pag. 244.
- DCCXXI. Concilio Romano sub Gregorio II. habito, "Fergusus sive Fergusius potius, episcopus Scotiæ Pictus et Sedulius episcopus Britanniae de genere Scotorum," subscripserunt. Ibid. pag. 331.
- Ina occidentalium Saxonum rex, Aldhelmi Schireburnensis tunc episcopi consilio, Glastoniense denuo fundavit monasterium, ecclesiam Petri et Pauli ibidem construxit; multisque prædiis cœnobitas et magno illo (quod vocatur) donavit privilegio. Tom. 5. pag. 32. 133—135. 137. 139.
- Inæ tempore Beorwaldus Glastoniensis fuit abbas, Hemgisli sive Hemgiseli successor. Ibid. pag. 137. 152.
- Daniel Britannus a sede Congresburiensi, donante rege Ina et consentiente, ad Wellensem sedem episcopatum transtulit; postremus in eo loco Britonum existens episcopus. Ibid. pag. 87. 540.
- DCCXXXI. Mordacus Scotorum Albiensium rex mortuus est: et Beda anno ætatis suæ LIX. historiam suam ecclesiasticam terminavit: quo tempore, Britonum complures in gente Nordanhumborum, depositis armis, monasticæ disciplinæ subdere se cœperunt; atque inter Anglos ibidem, Acca in ecclesia Hagustaldensi episcopatum gessit, Pecthelmus in Candida Casa sive Whit-hernia, quæ "nuper multiplicatis fidelium plebibus, in sedem pontificatus addita, ipsum primum Anglorum ibi habuit antistitem:" Albienses vero Scoti, suis contenti finibus, nihil contra gentem Anglorum moliti sunt. Tom. 6. pag. 202—206. 254. 516.
- DCCXXXV. Pecthelmo episcopo Candidæ Casæ defuncto successit Frithwaldus. Ibid. pag. 206.
- DCCXLIII. Regulæ monasticæ Kiarani filii artificis et Brendani filii Findlogæ in Hibernia usus propagatus est. Ibid. pag. 484.
- DCCCLVI. Eadbertus, qui et Egbertus, rex Nordanhumborum et Unnust sive Oengus rex Pictorum, capta urbe Aleluit, Britones eam tenentes in dedicationem receperunt. Ibid. pag. 376.
- DCCCLXI. Oengus ille rex Pictorum obiit. Ibid.
- DCCCLXIII. Frithwaldus Candidæ Casæ episcopus Nonis Maii ex hac vita decessit: et XVI. Calendas Augusti successor illi datus est Pecthwinus. Ibid. pag. 206.
- DCCCLXXV. Rumoldus Hibernus Mechliniæ a sicariis interemptus est. Ibid. pag. 233.
- DCCCLXXVII. Pecthwinus Candidæ Casæ episcopus obiit. Ibid. pag. 206.
- DCCCLXXVIII. Æthelbertus Eboraci XVII. Calendas Julii Candidæ Casæ ordinatus est episcopus. Ibid.

Anno Christi.

DCCXCI. Beadvulfus, post hunc, ejusdem ecclesiæ ordinatus est episcopus. Tom. 6. pag. 206.

Duo Scoti de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad litus Galliæ deveniunt; viri et in secularibus et in sacris scripturis incomparabiliter eruditi: ibid. pag. 279. a quorum altero Parisiensis academia in Gallia, ab altero Ticinensis in Italia, sua sumpsit primordia.

Alcuinus gravissimam ad Æthelardum Cantuariensem archiepiscopum scripsit epistolam. Tom. 6. pag. 75.

DCCXCIII. S. Albani sepulchrum, Anglo-Saxonibus hucusque incognitum, extra ecclesiam memoriæ illius dicatam (cujus, ut sua ætate celchris, libro 1. histor. cap. 7. Beda meminit) Calendis Augusti ab Offa Merciorum rege inventum est, et martyris reliquiæ in ecclesiam illatæ. Tom. 5. pag. 178. 201. 377. et tom. 6. pag. 95—98.

Albanensis cœnobii ab eodem rege posita sunt fundamenta, et nigrorum monachorum conventus ibidem institutus: primo monasterii nondum extracti abbate ordinato Willegodo. Tom. 6. pag. 97.

Ab eodem rege, eodem hoc anno, Croylandensibus monachis charta data legitur; in qua eos, tanquam fratres suos monachos de sancto Albano, in clientelam suam accipit. Ibid.

DCCXCIV. Æthelredo Nordanhumbroborum rege occiso, provincia illa cessante rectore per triginta tres annos et finitimis et Danis advenis præda facta est. Ibid. pag. 206.

DCCXCV. Dani, qui et Nordmanni, maximam Hiberniæ partem populati, Rechrain sive Raclinensem insulam vastaverunt: ibid. pag. 527, 528. quo tempore et Findanum Laginensem, cum sorore sua, captivum abduxerunt. Ibid. pag. 277.

DCCC. Modanus et Medanus, germani fratres, apud Scotos vitam monasticam egisse dicuntur. Ibid. pag. 220.

Heathoredus, Anglo-Saxonum postremus, Candidæ Casæ episcopatum obtinuit; postea enim Scoti, ex Hibernia (Nordanhumboranæ, ut videtur, ἀραρχίας tempore) in Gallovidiam influentes, Sodorensi in Mona insula episcopo se putantur subjecisse. Ibid. pag. 206.

DCCCII. Septimus cyclus paschalis 84. annorum incipit; in australi Cambria adhuc retentus. Nam in Venedotiam sive borealem Cambriam ab Elbodo episcopo Romana observandi Paschatis consuetudo est introducta. Vid. Humfred. Lhyd. fragment. Britann. descript. fol. 55. b. et chronicon Cambriæ, pag. 17.

A Kenulpho Merciorum rege ad Leonem III. pontificem, de sedis Cantuariensis jure metropolitico, missa est epistola. Tom. 5. pag. 91, 92.

DCCCIX. Elbodus, qui et Elvodugus, Venedotiæ antistes, obiit. Ibid. pag. 110. et tom. 6. pag. 374.

DCCCXII. Danorum sive Nordmannorum classis, Hiberniam invadens, victa et fugata est. Tom. 6. pag. 277. 281.

DCCCXIV. Hungus filius Fergusii principatum in Pictos iniisse dicitur. Ibid. pag. 258, 259.

Ab eo Athelstanum (nescio quem) Anglorum regem, in loco qui ab eo Elstan-furd nomen obtinuit prælio commisso, occisum ferunt; signo crucis S. Andreæ in aere apparente, quo Picti et Scoti, ad tantæ victoriæ memo-



Anno Christi.

riam conservandam, pro insigni deinceps usi fuerint. Tom. 6. pag. 188. 193. 195. 256, 257, 258.

DCCCXVIII. Dani sive Nordmanni, duce Turgesio Norwego, Hiberniam per annos XXX. tributariam effecerunt: et gentili furore debacchantes, ecclesias fere omnes destruxerunt, libros incendio abstumpserunt, viros cruditione et sanctitate illustres in latibula compulerunt et inventos martyrio affecerunt. Unde nova in florentissimam insulam invecta est barbaries: ibid. pag. 92. 373. 420, 421. 479, 480. quibus et ille locus addi poterit, ex actis Geraldii Saxonis: "Turgesius Norvagiensis, tyrannus valde crudelis, totam devastans Hiberniam, tandem ad Maionensem deveniens ecclesiam, templum quod fuit ibi a sanctis constructum ac asseribus plumbeis contextum in contemptum Dei et sanctorum comburendo destruxit:" et quod de nongentis monachis a piratis una die in Bencho-rensi apud Ultonienses cœnobio interfectis a Bernardo est traditum. Ibid. pag. 476.

Sedulius Scotus clarus habebatur. Ibid. pag. 331, 332.

DCCCXIX. Achaius sive Eochaig, Scotorum Albiensium rex, mortem obiit. Ibid. pag. 259.

DCCCXXVII. Recepta post XXXIII. annorum ἀναρχίαν Northumbria, Egbertus occiduorum Saxonum rex monarchiam Angliæ, quæ nomen illud eo tempore putatur accepisse, primus sibi vendicavit. Tom. 5. pag. 134. et tom. 6. pag. 207.

DCCCXXXIV. Farananus ecclesiæ Armachanæ ann. XIV. episcopus præfuit. Tom. 6. pag. 420, 421.

DCCCXXXVI. Egberto Angliæ monarchæ succedens filius Æthelwulfus, avito West-Saxonum regno contentus, cætera quæ pater subjugaverat Æthelstano filio suo tradidit. Ibid. pag. 258.

DCCCXXXVIII. Alpinus filius Achaii sive Eochaig, Dalriedæ rex, a Pictis occisus est. Successit filius Kenedus sive Kinadius: qui Pictorum regnum delevit, sexies Saxones debellavit, et leges Mac-alpin (hoc est, filii Alpini) dictas promulgavit. Ibid. pag. 147. 260, 261.

DCCCXL. Kenedus hic, quem Kennethum II. vocant, post susceptum Dalriedæ regnum biennio transacto, in Pictaviam duxit exercitum. Ibid.

DCCCXLII. Idem, quinto ineunte regni sui anno, Pictos profligavit: tanta in eos grassatus sævitia, ut neque mulieribus neque impuberibus neque sacris parceret ordinibus. Unde et hinc XVI. annorum Albanici ipsius impuberibus neque sacris parceret ordinibus. Unde et hinc XVI. annorum Albanici ipsius imperii ducitur initium. Ibid.

DCCCXLIII. Anno regni sui sexto, cum piratæ Danorum occupatis litoribus Pictos sua defendentes non modica strage prædando maritima contrivissent, Kenedus Dorsum Albanicæ transcendens in reliquos Pictorum terminos arma vertit: multisque eorum occisis, reliquos in fugam compulsi, et amborum regnorum monarchiam acquisivit. Ibid. pag. 260.

DCCCXLV. Picti, reparatis aliquantulum Anglorum auxilio viribus, quatuor annis Kenedum frustra infestant. Ibid.

DCCCXLVIII. Turgesius, urbe Armachana occupata, Farananum primatenu una cum omnibus religiosiis et studiosis inde expulsi, expulsi vero Farananum locum suscepisse putatur Dermotus: qui sapientissimus omnium doctorum Europæ fuisse dicitur. Ibid. pag. 420, 421.

Anno Christi.

- Cæso Turgesio, Iliberni Nordmannos a finibus suis expulcrunt. Unde rex eorum, Dei auxilio tanta potitus victoria, ad Carolum Calvum Francorum regem pacis et amicitiae gratia legatos cum muneribus misit; viam sibi petendi Romam concedi deposcens. Tom. 6. pag. 420, 421.
- DCCCXLIX. Aluredus, nobilis ille Anglorum rex, nascitur. Ibid. pag. 259.
- Kenedus, anno regni sui duodecimo, septies uno die cum Pictis congressus, universas eorum copias fudit; indeque Sconam rediens, Druskenum filium Feredethi Pictorum regem obruncavit, atque illud regnum suo adjecit imperio. Unde ab anno sequente Giraldus Cambrensis Albanicæ Scotorum monarchiæ deducit epocham: ibid. pag. 256. 260—262. ubi non ad Twedam, nedum ad Tinam fluvium, Kenedum australem regni sui limitem protendisse; neque universam Pictorum gentem delevisse, sed Scotico imperio subiēcisse illum, ostenditur.
- Picticæ gentis ut regem Druskenum, ita Tarnanum archiepiscopum postremum fuisse aiunt. Ibid. pag. 208.
- DCCCL. Patricius abbas, relicta patria sua Hibernia, Glastoniam petiisse, ibique ad VIII. Calendas Septembris vitam finivisse dicitur. Ibid. pag. 458—462.
- DCCCLI. Ab Æthelstano filio Æthelwulphi Sandwici in Cantio Danorum cæsus est exercitus. Ibid. pag. 258.
- DCCCLII. Forannanus et Dermittus, Armachani antistites, mortem obierunt: ipsaque urbe Armachana die Paschatis a Nordmannis ethnicis vastata est. Ibid. pag. 421.
- DCCCLVII. Æthelwulphus rex Anglorum Idibus Januarii mortuus est; quum regnasset ann. viginti, mens. quinque. Ibid. pag. 258.
- DCCCLVIII. Kenedus rex Albanicæ mortuus est: quum Dalreuinis suis annis XX. Pictis vero annis XVI. præfuisset. Successit illi in regno frater Domnallus sive Donaldus, Alpini filius. Ibid. pag. 261—263.
- Ninius discipulus Elvodugi (sive Elbodi illius, quem anno DCCCIX. obiisse diximus) Britannicam historiam, quæ falso Gildæ nomine circumfertur, edidit. Tom. 5. pag. 110. et tom. 6. pag. 374. 523.
- DCCCLXII. Domnallus sive Donaldus filius Alpini, rex Scotorum et Pictorum, mortuus est. Tom. 6. pag. 262, 263.
- DCCCLXXI. A Danis urbs Alelyde sive Dunbrittania spoliata, Northumbria capta, et Picti plurimum afflicti sunt. Ibid.
- Ainlaphus et Ivarus Danorum dnces ex Albania cum ducentis navibus Dubliniam advenerunt: prædam maximam hominum Anglorum, Britonum et Pictorum captivam secum in Hiberniam adducentes. Ibid.
- DCCCLXXXV. Dani cum Halfdeno duce suo, tota Nordanhumbroborum regione occupata, Pictos et Strætedwalos sive Cumbros depopulati sunt. Ibid.
- DCCCXXXVI. Constantinus filius Kenedi, rex Scotorum et Pictorum, mortem obiit. Ibid.
- DCCCXXXVIII. Ædh sive Eithus filius Kenedi alter, fratri in regno succedens, a sociis suis occisus est. Ibid.
- Guthrunum Danorum regem, quem alii Gurmound vocant, Aluredus Anglorum rex de fonte sacri baptismatis suscepit, Æthelstani nomen illi imposuit, atque Northumbria eum donavit. Ibid. pag. 91, 92. 259.
- DCCCXXXIX. Mælcobus filius Crumvalli antistes Armachanus, et Moctheus lector a Nordmannis ethnicis capti sunt. Ibid. pag. 421.

Anno Christi.

- DCCCLXXXIII. Grimaldus Flandrensis, doctissimos viros Oxoniam secum adduxisse, novas leges ac prælegendi formulas instituisse, atque ecclesiam S. Petri ab ipso fundamento ibidem extruisse dicitur: tom. 5. pag. 391, 392. quo et notula illa spectat, ex vita Alfredi regis quam scripsit S. Neothus (si titulo credere libeat) desumpta: quam ad marginem libri sexti polychronici Ranulphi Cestrensis, manu satis antiqua, appositam in membranæ Thomæ Alani Oxoniensis reperi. "Grimaldus, præsentis victoriosissimo Alfredo cæterisque regni magnatibus, in universitate Oxoniæ legit primo lectionem scholasticam: qui paulo ante fuit Parisiensis Cancellarius." Hunc Asserius Menevensis ut cantatorem optimum, et omni modo ecclesiasticis disciplinis et in divina Scriptura eruditissimum celebrat. Videndum annon ejus sit sacramentorum ille liber, quem Grimoldi abbatis nomine, in secundo tomo Liturgicorum Jacobi Pamelii habemus editum.
- DCCCLXXXVI. Simultatem inter veteres Oxonienses academicos et novas advenas, quæ per tres annos occultior extiterat, tandem acrius erupisse, in fragmento Asserio Menevensi temere asuto, legimus: quam cum frustra rex Alfredus componere tentavisset; Grimaldum offensum Oxoniam reliquisse aiunt, et ad monasterium Wintoniense a rege nuper fundatum concessisse. Ibid.
- DCCCLXXXIX. Guthrunus Danorum rex, Æthelstanus in baptismo nominatus, mortem obiit. Tom. 6. pag. 259.
- DCCCXC. In Demetia Hemicidus regulus dominatus est: qui monasterium et parochiam S. Davidis deprædatus est, et Menevensem archiepiscopum inde expulit. Tom. 5. pag. 123, 124.
- DCCCXCI. Tres Scoti de Hibernia ad Ælfrédum Anglorum regem venerunt: Dufflanus, Macbæthus, et Magulmemenus insignis doctor. Tom. 6. pag. 278.
- Suibneus filius Mallchuvai, doctor Scotorum peritissimus, Clonmacnoisix in Hibernia obiit. Ibid.
- DCCCXIX. Bressalus lector Armachanus mortuus est. Tom. 6. pag. 421.
- DCCCCVI. Asserius Menevensis archiepiscopus, mortuus est: quem ego quidem rerum Ælfredi regis scriptorem fuisse existimo: utenique Balæus ex annalibus ejus (in quibus nihil tamen tale invenio) non solum affinem sed etiam cancellarium eum fuisse dicat nescio cujus senioris Asserii, ejusdem sedis archiepiscopi. Tom. 5. pag. 124, 392, 393. Neque ipsi etiam Guilielmo Malmesburiensi facilem assensum præbeo, qui (in secundo tam de regum quam de pontificum Anglorum gestis libro) Asserium nostrum, ab Ælfredo rege ex Sancto Dewi evocatum, Schireburnensem ait constitutum fuisse episcopum. Nam noster quidem inde se ab Ælfredo advocatum fuisse agnoscit: sed, cum annum ætatis XLV. rex ille ageret, hoc est, anno Christi DCCCXCIII. acta illius se conscripsisse adjicit: quum integro ante illud tempus decennio Asserium Schireburnensem episcopum defunctum fuisse, Florentius Wigorniensis et Matthæus Florilegus confirmant: ipso etiam Malmesburiensi non diffidente; ubi Sigelmum, Asserii in Schireburnensi episcopatu successorem, partem Domnici ligni a papa Marino missam regi Ælfredo detulisse narrat: lib. 2. de gest. Reg. cap. 4. cujus Marini mortem ab Asserio

Anno Christi.

(in gestis Ælfredi) ad DCCCLXXXIV. a Florentio Wigorniensis ad annum proxime sequentem relatam videmus.

DCCCCXXXVII. Helmstano in Wintoniensi episcopatu successit Swithunus : quem in Cantabrigiensi academia cathedra sacre theologie professorem fuisse voluit ; horum æquali, Bonagratia de villa Dei, in epistola ad nigros monachos Angliæ illud attestante. Ibid. pag. 390.

Anlaphus Norwegus, Hibernensium (ut aiunt) multarumque insularum rex, a socio suo Constantino filio Ethi Scotorum Albiensium rege incitatus, infinitam Danorum, Norwegorum, Scotorum ac Pictorum multitudinem adversus Æthelstanum Anglorum regem, Edvardi senioris filium, contraxit. Prælio vero ad Bruneburgum commisso, in quo Tarketuli cancellarii, Croylandensis postea abbatis, fortitudo emicuit, Æthelstanus Scotos et Pictos imperio suo subiecit. Tom. 6. pag. 264.

DCCCCXL. Æthelstanus, rex Anglorum, Glocestriæ vitam finivit. Ibid. pag. 259.

Ei succedens Edmundus senior, Dunstanum Floriacensem monachum Glastoniensis cœnobii abbatem constituit. Tom. 5. pag. 135, 152.

DCCCCXLIII. Constantinus III. Ethi filius, Scotorum Albiensium rex, dimisso regno, Keldeorum sive Colideorum S. Andreæ abbas factus est. Tom. 6. pag. 197.

DCCCCXLIV. Edmundi regis donatio, ecclesiæ S. Mariæ Glastoniæ concessa, et Dunstano ejus abbati ; qui regiis opibus suffultus, Glastoniense cœnobium magnifice restauravit. Tom. 5. pag. 135, 136.

DCCCCXLVI. Edmundus rex, Leolini regis Demetiæ auxilio fretus, Cumbriam totam cunctis opibus spoliavit : ac duobus filiis Dunmail ejus provinciæ regis oculorum luce privatis, regnum illum Malcolmio I. Scotorum regi de se tenendum concessit ; ut aquilonares Angliæ partes terra marique ab hostium adventantium incursione tueretur. Tom. 6. pag. 204, 205.

DCCCCCL. Osulfus primus Nordanhumbrorum comes constitutus est. Ibid. pag. 262.

DCCCCCLIII. Mælpatrius lector Armachanus obiit. Ibid. pag. 422.

DCCCCCLV. Guentoniensis episcopi, Monemuthensibus præsentis, in Landavensi regesto fit mentio. Tom. 5. pag. 116.

DCCCCCLX. Indulpho apud Scotos reguante, Edenburgum ab Anglis relictum usque in hodiernum diem a Scotis est possessum. Tom. 6. pag. 207.

Ældredi Albanensis abbatis tempore, navalia armamenta et conchyliæ Verolamii sunt effossa. Tom. 5. pag. 182, 183.

DCCCCCLXVIII. Diploma ab Ædgaro Anglorum rege Westmonasteriensi ecclesiæ concessum. Tom. 6. pag. 99, 289.

DCCCCCLXX. Ædmari Albanensis abbatis tempore liber idiomate antiquo Britonum de S. Albani martyrio conscriptus a fossoribus inventus, et Unwona presbytero interprete in linguam Latinam transfusus fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 184, 185.

Osulfus comes, Nordanhumbranæ provinciæ administratione cum Oslaco divisa, regionem ad aquilonarem plagam Tinæ positam illius curæ commisit ; Eboraco cum suis finibus sibi reservato. Tom. 6. pag. 262.

DCCCCCLXXI. Ædgarus rex Glastoniensis cœnobii privilegia confirmavit et amplificavit : præsentibus Dunstano Cantuariensi et Oswaldo Eborac-

Anno Christi.

- censi archiepiscopo, Athelwoldo Wintoniensi et Brithelmo Fontanensi sive Wellensi episcopo, Edgiva regina et multis aliis. Tom. 5. pag. 142.
- Eodem Ædgaro præsentē, ecclesiæ Glastoniensi ab Ealdredo quodam donatæ sunt XI. hidæ de Clifan. Ibid. pag. 143.
- DCCCCLXXV. Ædgarus rex Laudoniam Kenedo III. Scotorum regi ea conditione concessit; "ut annis singulis in festivitibus præcipuis, quando rex et ejus successores diadema portarent, venirent ad curiam et cum cæteris regni principibus festum cum lætitiâ celebrarent." Tom. 6. pag. 207.
- DCCCCLXXXVI. S. Albani reliquiæ, a Germano Romam perlatæ, per Theophaniam imperatoris Othonis II. conjugem Coloniam deportatæ fuisse dicuntur. Ibid. pag. 379.
- DCCCXCIII. Leofrico (Ælfrico et Aluricio aliis dicto) ex abbate S. Albani facto archiepiscopo Cantuariensi, successit in abbatia frater ejus uterinus Alfricus: qui S. Albani in cænobio illo decantatum officium composuit. Tom. 5. pag. 180. Vide Balæum, centur. 10. cap. 52.
- MXXVIII. Marianus Scotus chronographus in Hibernia natus est. Tom. 6. pag. 282.
- MXXXII. Glastoniensis cænobii privilegia a Cnutone rege confirmata sunt. Tom. 5. pag. 141.
- MLX. Siwardus, comitem Eadulphum interficiens, totius provinciæ Nordanhumbrorum contitatum ab Humbra usque ad Twedam administravit. Tom. 6. pag. 262.
- MLIV. Siwardus Nordanhumbrorum dux, jussu Edvardi regis et confessoris, Malcolmum III. (Con-more sive Capitonem dictum) filium regis Cumbrorum, profligato Macbetho, regem Scotorum constituit. Ibid. pag. 204. Vide Edvardi I. literas ad Bonifacium papam apud Matthæum Westmonasteriensem in Florib. historiæ. et Thomam Walsingham. in Ypodigm. Neustriæ, anno MCCC.
- MLV. Siwardo defuncto, in ducatu Nordanhumbriæ successit Tostius: sub quo Copsi totius comitatus curam gerebat. Ibid. pag. 262.
- MLX. Wulsinus, monachus inclusus, sanctitatis opinione in Angliâ claruit. Ibid. pag. 288.
- MLXI. Nicolai II. pontificis rescriptum ad Edvardum regem de Westmonasteriensis ecclesiæ privilegiis. Ibid. pag. 289.
- MLXV. Privilegia ab Edvardo rege Westmonasteriensi ecclesiæ, denuo a se extractæ, concessa. Ibid. pag. 288.
- Assumenta legibus illius adjecta. Ibid. pag. 33, 34.
- MLXVII. Copsius Nordanhumbrorum illorum qui ad septentrionalcm plagam Tini fluminis habitant a Guilielmo I. Anglorum rege comes factus est. Ibid. pag. 262.
- MLXX. Crucem Stane-moriæ, in Westmorlandiæ et Richmondiensis comitatus confiniis, a Guilielmo I. Angliæ et Malcolm III. Scotiæ rege, tanquam limitem utriusque regno fixam fuisse, Scotorum tradunt historici. Ibid. pag. 107. Vide Camden. in Yorkshire, pag. 596.
- Malcolmus III. episcopatus Scotiæ constituens, Gallovidiæ, quæ Sodorensis episcopo subdita fuisse dicitur, sedem antiquam suam episcopalem Candidam Casam restituit. Ibid. pag. 206.
- Incertæ fidei leges Guilielmo I. adscriptæ. Ibid. pag. 264, 265.

Anno Christi.

- MLXXX. Turstinus Normannorum primus Glastoniensis cœnobii abbas factus est. Tom. 5. pag. 152.
- MLXXXII. Vitalis abbas Westmonasteriensis, ad quem Sulcardus monachus ecclesie illius scripsit historiam, mortem obiit. Ibid. pag. 156.
- MLXXXVII. Walwani, regis Arthuri nepotis, sepulchrum in Rossia inventum fuisse scribitur. Tom. 6. pag. 32.
- MXC. Marianus Scotus et conterranei ejus, Ifacius, qui CXX. vixit annos, Clemens, Murichardochus, Johannes, Caudidus et Donatus, imperate Heurico IV. Ratisbonam venerunt: quorum fama moti plures Scoti de Hibernia adventarunt; quibus septem illi præfuerunt. Vid. Johannem Aventinum lib. 6. annal. Boiorum. Alium hunc fuisse a Mariano chronographo tom. 6. pag. 282. confirmat Mathæus Raderus in sua Bavaria sancta.
- Osmundus, brevii Sarisburiensis concinnator, claruit. Tom. 5. pag. 180.
- MXCI. Benigni, Armachani antistitis, reliquæ Ferremeria translatae sunt Glastoniam. Tom. 6. pag. 438, 439.
- MXCVI. Epistolæ ad Anselmum Cantuariensem archiepiscopum a Waterfordiensibus transmissæ subscribit Samuel Dubliniensium et Ferdomachus Laginiensium episcopus. Ut enim Laginiensium archiepiscopatus a sede Slebhicensi primum ad Fernensem, ita succedentibus temporibus ob S. Brigide honorem a Fernensi ad Kildariensem (cujus hic Ferdomachus antistes erat) translatus est; atque in Dublinensi ecclesia postremum constitutus. Ibid. pag. 163. 425. 537.
- MCI. Ferdomachus Kildariensis episcopus obiit. Ibid. pag. 537.
- MCII. Felix O-Dullane episcopus Ossoriensis obiit: cujus ecclesia cathedralis tunc erat apud Aghboo in superiori Ossoria. Ibid. pag. 426.
- MCIII. Mugronus O-Mungar, Armachia et totius occidentalis Europæ lector primarius, III. Nonas Octobris vitam finivit. Ibid. pag. 422.
- Herwoldus Landavensis episcopus centenario major obiit: in cujus senectute, bellis in Wallia ferventibus, ecclesie illius status plurimum debilitatus fuisse dicitur. Tom. 5. pag. 109.
- MCVII. Urbanus Glamorganensis sive Landavensis ecclesie in Wallia episcopus Cantuarie consecratus est. Ibid. pag. 115.
- MCVIII. Mæl-patricius O-Druranus munus lectoris Armachia suscepit. Tom. 6. pag. 422.
- Turgotus prior Dunelmensis III. Calendas Augusti episcopus Sancti Andreae Eboraci consecratus est. Ejus tempore totum jus Kaledorum totius regni Scotiae translatum est in episcopatum sancti Andreae. Ibid. pag. 197.
- MCIX. Hervæus, sedc Bangorensis in Wallia dimissa, primus Eliensis episcopus factus est. Tom. 5. pag. 161.
- MCXV. Turgotus, quum septem annis ecclesie S. Andreae in Scotia præfuisset, mortuus est. Tom. 6. pag. 197.
- “Wilfridus episcopus de Sancto David in Walonia obiit. Usque ad illum episcopi exitere Britonici:” inquit Florentinus Wigorniensis. Hucusque etiam omnes episcopi ecclesie Menevensis sive S. Davidis, omni archiepiscopali dignitate usi fuisse dicuntur, excepto pallio, et episcopos

## Anno Christi.

- Walliæ tanquam suffraganeis consecravisse; nulla penitus alii ecclesiæ facta professione vel subjectione. Tom. 5. pag. 108. 113.
- Henricus I. Anglorum rex, subacta Wallia, Bernardum primum Normanorum Menevensem episcopum constituit; qui licet Cantuariæ consecrationem susceperit, jura tamen ecclesiæ suæ publice protestatus est; et crucem interdum sibi præferri per Walliæ fines attentavit. Ibid. pag. 108.
- MCXIX. Ab Urbano Landavensi episcopo in Remensi concilio coram Calixto II. pontifice, pro juribus ecclesiæ suæ, adversus Bernardum Menevensem episcopum facta est protestatio. Inserta ea est Landavensis ecclesiæ regesto, quod Teilo appellatur, et a Galfrido fratre Urbani episcopi concinnatum fuisse putatur. Ibid. pag. 106. 108.
- MCXX. Celsus qui et Celestinus, Hibernis Ceallach dictus, Armachanus archiepiscopus claruit. Tom. 6. pag. 480.
- Malachias, a Celso presbyter ordinatus, Benchorensis in Hibernia a piratis olim destructum reparavit cœnobium. Ibid. pag. 283. 476.
- MCXXIX. Henricus Blesensis, Henrici I. ex sorore Adela nepos, Stephani regis et Theobaldi comitis Blesensis frater, abbas Glastoniensis, Wintoniensem adeptus est episcopatum. Tom. 5. pag. 145.
- S. Albani reliquiarum facta est translatio sub Gaufrido Albanensi abbate. Ibid. pag. 202.
- MCXXX. Gillebertus, Lumnicensis sive Limiricensis episcopus, primus Romani pontificis legatus in Hibernia. Tom. 6. pag. 432. 481.
- Rogerus de Bello-monte, secundus e Normannico sanguine Warwici comes, claruit: qui ecclesiam B. Mariæ in oppido Warwicensi construxit. Tom. 5. pag. 510.
- MCXLIII. Gilbertus Lambethæ a Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo Lanclvensis sive Asaphensis ecclesiæ consecratus est episcopus. Ibid. pag. 115.
- Guilielmus Somerset, Malmesburiensis bibliothecarius, in fine vitæ novellam suam terminavit historiam. Ibid. pag. 145.
- Oenus miles, diebus regis Stephani, purgatorium S. Patricii ingressus fuisse traditur. Tom. 6. pag. 461, 462.
- MCXLVIII. Malachias, celebris ille Armachanus archiepiscopus, mortem obiit. Ibid. pag. 283. 480.
- Bernardus in Remensi concilio, coram Eugenio III. pontifice, de Menevensis suæ ecclesiæ jure metropolitico cum Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo certamen iniiit; sed conatu irrito. Tom. 5. pag. 108.
- MCL. S. Cataldi reliquiarum translatio a Giraldo Tarentino archiepiscopo facta est. Tom. 6. pag. 307.
- Gervasius abbas cœnobii Ludensis, monachum suum Gillebertum de Luda ad construendum monasterium in Hiberniam misit: qui Gillebertus postea abbas de Basingewere in Flintensi comitatu factus est: ex cujus relatione, quæ de Oeni in Purgatorium S. Patricii leguntur ingressu, Henricus Saltereyensis monachus literis mandavit. Ibid. pag. 461, 462.
- MCLI. Ab Eugenio III. pontifice per legatum suum Johannem Paparonem quatuor pallia sunt transmissa in Hiberniam, quo nunquam antea pallium delatum fuerat, eorumque unum Dubliniensi antistiti, totius Lagi-

## Anno Christi.

- niensis provinciæ tunc facto metropolitano, collatum. Tom. 6. pag. 524. 432. 537.
- Gilberto in Lan-elvensis sive Asaphensis ecclesiæ episcopatu successit Galfridus Arthurns, Britannicæ interpret et interpolator historiæ. Tom. 5. pag. 115. et tom. 6. pag. 39.
- Post Wermundum sive Wimundum monachum Savignensem, Manniæ et Hebridum insularum Johannes monachus Sagiensis constitutus est episcopus. Tom. 6. pag. 181, 182.
- Radulphus Gubius abbas S. Albani mortem obiit. Tom. 5. pag. 186.
- MCLVI. Coloniae reperti fuisse dicuntur tituli quidam sepulchrales, Ursulanarum virginum, et virorum qui eas comitati sunt, nomina inscripta præferentes; indeque enata Elizabethæ Schonangiensis abbatissæ, ipsi etiam Baronio improbata, insomnia. Tom. 6. pag. 155. 160, 161. 165, 166.
- Ursulæ et Dariæ corpora Glastoniensi cœnobio Henricus Wintoniensis episcopus donavisse memoratur. Ibid. pag. 162.
- MCLX. Laurentius Dunelmensis claruit, quem de Cuthberto episcopo librum edidisse scribit Balæus cent. 2. cap. 88. Forsan idem est qui Cuthberti acta edidit vide pag. 512.
- MCLXV. Malcolmo IV. Scotorum regi defuncto Guilielmus Rufus frater successit: qui eodem hoc anno, cum episcopo insularum (Manniæ, et aliarum XXXI. quæ sunt inter Scotiam et Hiberniam et Angliam) ad Henricum II. Anglorum regem se contulit. Tom. 6. pag. 182. 261.
- MCLXVII. Simon monasterii S. Albani abbas constitutus est. Tom. 5. pag. 185.
- MCLXX. Fervente inter Henricum II. et Thomam Becketum Cantuariensem archiepiscopum contentione, Gilbertus Folioth Londinensis episcopus sedi suæ jus metropoliticum frustra arrogat. Ibid. pag. 92.
- De S. Albani miraculis apud se patris ab Albanensibus monachis editus est libellus. Ibid. pag. 380.
- MCLXXI. Henricus Blesensis, episcopus Wintoniensis, mortem obiit. Ibid. pag. 145.
- MCLXXVI. Vivianus sive Vibianus Thomasius tituli S. Stephani in Cœllo monte presbyter cardinalis, Romani pontificis in Hibernia et Scotia legatus, "Scotiam intravit; conculcans et comminans obvia quæque, expeditus capere nec impeditus rapere." Tom. 6. pag. 454.
- Andreas episcopus Catbensii, et libelli de Albanæ divisione auctor, claruerunt. Ibid. pag. 147.
- MCLXXXVII. Reliquiæ Amphibali et sociorum ejus Redburnæ effossæ fuisse memorantur, et ad ecclesiam S. Albani, opera Simonis abbatis translata. Tom. 5. pag. 194. 380, 381.
- Reliquiæ S. Petroci ab ecclesia Bodminiæ in Cornubia furto ablatae, et ad S. Mevennii in Britannia Armorica monasterium translatae, Henrici II. Anglorum regis mandato restitutæ sunt. Tom. 6. pag. 84, 85.
- MCLXXXIX. Alexandri III. bulla ad Laurentium Dublinensem archiepiscopum transmissa. Ibid. pag. 524. 531.
- MCLXXX. Guilielmus Marcellus et Radulphus Dunstapulensis monachi in Albanensi cœnobio claruerunt: quorum alter soluta oratione, alter versu acta Albani et Amphibali Latine edidit. Tom. 5. pag. 185—189.



Anno Christi.

- MCLXXXIII. Simon abbas monasterii S. Albani mortem obiit : cujus locum Guilielmus ille Martellus frustra ambivit. Tom. 5. pag. 185.
- Johannes Curtius, expulsis secularibus canonicis de ecclesia cathedrali Dunensi, (ut habet in annalibus suis Pembrigius) eorum loco monachos nigros e Cestria advocatos substituit : prioratu ecclesie ab eodem et Malachia Dunensi episcopo cuidam Gulielmo de Etleshale monacho Cestrensi concessio. Tom. 6. pag. 372, 373.
- Charta donationis Hugonis de Lacy, ecclesie Donschachlinensi concessa, ab Eugenio Clunardensi sive Midensi episcopo confirmata est. Ibid. pag. 384.
- Richardus Præmonstratensis novas de virginibus Ursulanis revelationes commentus est. Ibid. pag. 168, 169.
- MCLXXXIV. Glastoniense cœnobium die XXV. Maii combustum est: tom. 5. pag. 146, 147. in cujus restauratione repertæ fuisse dicuntur Patricii, Indracti et Gildæ reliquiæ. Ibid. pag. 537. et tom. 6. pag. 455, 456.
- MCLXXXV. Ab Henrico II. Anglorum rege novæ ecclesie Glastoniensi a se fundatæ diploma concessum est, quod magnum privilegium appellatur. Tom. 5. pag. 150, 151.
- Amlavo O-Muredo defuncto Thomas sive Tomaltach O-Conor in archiepiscopatu Armachano successit : cujus hortatu a Jocelino Furnesii monacho editum est opus de vita B. Patricii. Tom. 6. pag. 372.
- Comes Johannes filius Henrici II. in Hiberniam venit : et Duni inventa sunt Patricii, Brigidæ et Columbæ corpora. Ibid. pag. 452.
- MCLXXXVI. Ad Urbanum III. pontificem a Malachia Dunensi episcopo et Johanne Gurcio missa legatione ; per Vivianum cardinalem, nuncium pontificium, V. Idus Junii, die S. Columbæ memoriæ sacro, reliquiarum Patricii, Brigidæ, et Columbæ facta est translatio. Ibid. pag. 452—454. 458, 459.
- Vivianus legatus pontificius, generali præsulum Hiberniæ synodo Dublinii coacta ; “ auro Hibernico, quod multum sitierat, minus onustus in Scotiam remeavit.” Ibid. pag. 454.
- MCLXXXIX. Arthuri regis et uxoris suæ Weneriæ corpora Glastoniæ reperta fuisse dicuntur ab Henrico Soliacensi, cœnobii illius abbate. Tom. 5. pag. 144—147. et tom. 6. pag. 32. 40, 41.
- Henricus II. Anglorum rex, sexto die Julii, mortuus est. Tom. 5. pag. 148.
- MCXCI. Gladium regis Arthuri, quem Britones Caleburne vocant, Tancredo regi Siciliæ a Richardo I. Anglorum rege donatum fuisse scribunt. Ibid.
- MCXCIII. Henricus Soliacensis ex abbate Glastoniensi episcopus factus est Wigorniensis. Ibid. pag. 146.
- MCXCV. Idem mortem obiit. Ibid.
- MCXCIX. Turonensis et Dolensis ecclesie vetus illa de jure metropolitico coram Innocentio III. agitata est controversia : in qua Dolensis cecidit, et Turonensi metropoli fuit subjecta. Tom. 6. pag. 48. Vid. Innocent. regest. lib. 2. epist. 79. et Roger. Hoveden. in historia anni 1199.
- Sub finem ejusdem anni, coram eodem Innocentio pro jure metropolitico Menevensis suæ ecclesie contra Cantuariensem archiepiscopum Giraldus Cambrensis certamen iniit : tom. 5. pag. 96. 111. 116. de quo horum temporum scriptor anonymus, qui in Merlini vaticinia commentarium

Anno Christi.

edidit. "Vidi iisdem temporibus Giraldum Menevensem archidiaconum, pro pallio obtinendo apud S. David, cum Huberto Walteri Cantuariensi archiepiscopo coram papa contendisse." Vid. Roger. Hoveden. in hujus anni historia.

MCCXV. Glastonienses cum Jocelino Bathonensi ac Wellensi episcopo de cœnobii sui privilegiis contenderunt. Tom. 5. pag. 151, 152.

MCCXXX. Simon Sodorensis factus est episcopus. Tom. 6. pag. 182.

MCCXLVII. Idem anno pontificatus sui XVIII. pridie Calendas Martii in Mannia insula mortuus est; sepultusque in insula S. Patricii, in ecclesia S. Germani quam ipse ædificare cœperat. Ibid.

Laurentius Manniæ archidiaconus in illius locum electus, statim ad Norwegiam profectus est; ut se Haraldo regi et Nidrosiensi archiepiscopo, a quo consecrandus fuerat, præsentaret. Ibid.

MCCL. Michael Glastoniensis abbas extitit. Tom. 5. pag. 152.

MCCLII. A Davide O-Bragan Clochorensi episcopo coram Innocentio IV. actio est instituta contra Reynaldum Armachanum archiepiscopum; quem a sede ipsius, ecclesiam Ludunensem, cum tribus in Louthiano comitatu decanatibus, abstulisse coquestus est: quemadmodum ab eodem Davide ecclesiam de Ardsratha, cum pluribus aliis ecclesiis de Opheathrach, subduxisse Germanum O-Chearbalan, episcopum Rathlurensis sive Drensens, Clochorenses criminantur. Tom. 6. pag. 417.

MCCLVI. In octavis S. Stephani vetus Albani mausoleum denuo inventum fuisse scribitur. Tom. 5. pag. 178. 201—203. 377.

MCCLXI. Nicolai martyris reliquæ apud Peblis in Laudonia repertæ fuisse feruntur. Tom. 6. pag. 175, 176.

MCCLXVI. Ad Alexandrum III. Scotorum regem a Norwegis Manniæ et insularum regnum translatum est. Ibid. pag. 182.

MCCLXXII. Keldeorum sive Colideorum S. Andreæ, apud Scotos, meminit Henricus Silcgravius in domuum religiosarum Britannicæ catalogo. Ibid. pag. 197, 198.

MCCLXXV. Marcus Gallovidiamus, electus Manniæ episcopus, ab Alexandro III. Scotorum rege ad metropolitanum suum Nidrosiensem archiepiscopum consecrandus mittitur. Ibid. pag. 183.

MCCLXXXI. Ross-cree, in Tipperariensi comitatu, ab Edvardo I. Anglorum rege Edmundo Butlerio comiti Carickiano, Jacobi primi comitis Ormondicæ parenti, donata est. Ibid. pag. 541.

MCCLXXXIII. Constantii imperatoris corpus in Arvoniam repertum et, Edvardo I. Anglorum rege jubente, in ecclesia honorifice collocatum fuisse traditur. Tom. 5. pag. 83.

MCCLXXXIV. Galfridus de Sancto Leodegario, episcopus Ossoriensis, duello acquisivit manerium de Seir-keran. Tom. 6. pag. 345.

MCCXCVII. Guilielmo Feasar episcopo Andreapolitano defuncto, in ejus locum a canonicis III. Nonas Novembris electus est Guilielmus Lambertonus, cui electioni cum reclamarant Keldei, eorum præpositus Aminus Romam appellavit: ubi non modo electus approbatus est a pontifice sed omne etiam jus deinceps Keldeis abrogatum. Ibid. pag. 198.

MCCXCIX. Bonifacii VIII. bulla pro Scotis ad Edvardum I. Anglorum regem data. Ibid. pag. 185.

Anno Christi.

- MCCCI. Edvardi I. libellus contra Scotos ad Bonifacium transmissus: tom. 6. pag. 185. apud Matthæum Westmonaster. et Thom. Walsingham. in Ypodigm. Neustriæ. ann. 1301.
- Apologia a Scotis libello Edvardi opposita. Ibid.
- Processus contra argumenta Edvardi, a Balredo Bysato papæ Bonifacio exhibitus. Ibid.
- MCCCLXIV. Feretrum, in quo S. Albani caracalla apud Elienses servata fuisse existimabatur, a rege Edvardo II. reclusum est. Tom. 5. pag. 181. 378.
- MCCCXVI. Dovenaldi O Neyl, principis Hibernicorum Ultoniæ, ad Johannem XXII. Romanum pontificem scriptæ literæ. Tom. 6. pag. 269.
- MCCCXXVII. Apud Colonienses S. Albani reseratæ sunt reliquiæ. Tom. 5. pag. 380.
- MCCCXXX. Diploma ab Edvardo III. Anglorum rege Glastoniensi cœnobio concessum. Ibid. pag. 151.
- MCCCXLV. Johannes Blomæus Londinensis, cujusdam revelationis sibi factæ prætextu, a rege Edvardo III. licentiam quærendi corpus Josephi ab Arimathia impetravit. Ibid. pag. 44, 45.
- MCCCXLVIII. Guilielmus Russell, abbas monasterii B. Mariæ de Russin, Sodorensis episcopus electus, a papa Clemente VI. Avinione consecratus est. Tom. 6. pag. 183.
- MCCCXLVI. Johannes Magnavillanus sive de Mandeville, nobilis Anglus, post XXXIV. annorum peregrinationem domum reversus fuisse dicitur. Amplissimarum ædium, in agri Corcagiensis loco Cloughtekilty appellato, adhuc supersunt fundamenta; quas Johannis hujus fuisse, tradunt accolæ. Tom. 5. pag. 518.
- MCCCCI. Tractatus inter commissarios Henrici IV. Anglorum et Roberti III. Scotorum regis, die Martis, XVIII. mensis Octobris habitus. Tom. 6. pag. 282.
- MCCCCIX. De Britannici regni dignitate in Pisano concilio a legatis regis Angliæ mota est controversia. Tom. 5. pag. 38.
- MCCCCXVII. Eadem inter legatos regis Anglici et Gallici in concilio Constantiensi agitata est quæstio. Ibid. pag. 38. 215.
- MCCCCXXII. Diploma a Sigismundo imperatore monasterio Scotorum et Hibernorum apud Ratisbonenses concessum. Tom. 6. pag. 268, 269.
- MCCCCXXIV. In Senensi concilio, coram Martino V. pontifice, regni Anglicani dignitas a Richardo Flemmingo Lincolnensi episcopo et Lincolnensis collegii apud Oxonienses conditore, adversus Hispanos, Scotos et Gallos defensa est. Tom. 5. pag. 39.
- MCCCCXXXIV. In Basileensi concilio, inter oratores regis Angliæ et Castellæ renovata est hæc controversia: Castellani partes propugnante Alphonso Garsia de sancta Maria, legum doctore, ac Compostellanæ et Segobiensis ecclesiarum decano. Ibid. pag. 39—42.
- MCCCCXLV. De ecclesiæ Armachanæ Colideis a Johanne Meyo archiepiscopo lata sententia. Tom. 6. pag. 174.
- MCCCCXLVII. De iisdem Romæ a Nicolao V. lata sententia altera. Ibid.
- MCCCCXLVIII. Apud Hibernos, de instituenda cantaria in ecclesia S. Secundini episcopi, comitorum regni decretum editum est. Ibid. pag. 384.
- MCCCCXCII. S. Cataldi prophetia, laminis plumbeis inscripta, Tarenti inventa

## Anno Christi.

- et Ferdinando I. regi Aragoniæ et utriusque Siciliae exhibita fuisse dicitur. Tom. 6. pag. 307.
- MCCCCXCIV. A Guilielmo Schewes Andreapolitano archiepiscopo S. Palladii translatae sunt reliquia. Ibid. pag. 211, 212.
- MDII. A Coloniensibus S. Pantaleonis cænobitis ad Henricum VII. Anglorum regem de S. Albani reliquiis, scriptus est libellus. Tom. 5. pag. 179.

END OF THE SIXTH VOLUME.







